MBurg. sculp.

MBurg. sculp.

M. T. CICERONIS
DE
OFFICIIS
LIBRI TRES,
CATO MAJOR, LÆLIUS,
PARADOXA,
SOMNIUM SCIPIONIS.

Ex optimis Exemplaribus Recenſuit, Selectiſque Variorum Notis nonnullas etiam ſuas adjecit

THO. TOOLY A. M. è Coll. D. Jo. Bapt.

OXONIÆ,

E Theatro Sheldoniano. 1717.

Proſtant venales apud *Joh.* & *Sam. Wilmot* Bibliopol. Oxon.

Imprimatur,

JO. BARON

VICE-CAN. OXON.

Jan. 14. 1716.

38
9.226.6

DOMINO

Dno GULIELMO GIBBONS

M. D.

Coll. D. JO. BAPT. olim Socio.

VERERER profecto, Vir Ornatiſſime, ne, dum *Ciceronis* haſce lucubrationes, mea qualicunque cura recenſitas, manibus Tuis revolvendas vellem, abſtruſam illam Scientiam recolendam intempeſtivus interpellare videar, cujus in Arcanis perſcrutandis non ſine uberrima gloria bene actæ ætatis curſum confeciſti, ni in omnigenarum Artium ſtudioſos perſpecta Tua benevo-

lentia mihi penitus innoteſceret; ni ſententiarum ſumma conſenſio Te literarum omnium prædicaret non minus cultorem eſſe, quam patronum. Quapropter *Muſæ*, domicilii hujuſce Noſtri Antiſtites, quarum in gremiis nutritia ſtudii, & doctrinæ pabula quondam decerpſiſti, & quicquid in Politiori Literatura enitet elegantiæ, id totum feliciter conſecutus es, Alumnum Suum fama indies effloreſcere proſpicientes, neque ſolum ſterile arare, ſed laborum fructuoſorum reditus in commune hominum ſocietatis emolumentum impendere, Tanti Viri propinquitate, & eruditione liberali ſibi gratulantur. Cujus nomen non iiſdem, quibus vita, terminis circumſcribi; cujus munificæ voluntatis theſauros, intra Suæ Sedis parietes abunde explicitos, neutiquam tamen coarctatos, non facilius latere, quam exhauriri poſſe augurantur. Anguſti ſcilicet, abjectique ingenii eſt, Sibi, Suiſque vivere: Tui vero, Teipſum benignius diffundere, afflictorum ſola-

men,

men, languentium medelam, Reipublicæ literariæ decus, & præſidium, humanæ gentis ſuſtentaculum. Quem in morbis ſubacto judicio explorandis non magis peritum, quam levandis, eruendiſque radicitus exercitatum, Medendi Artem Augmentis quam ampliſſimis exornaſſe, imo potius ad abſolutam, omnibuſque numeris expletam maturitatem perduxiſſe Tui agnoſcunt coætanei. Non tamen eatenus in *Hippocratis* Aphoriſmos operam contuliſti, quominus præceptis, inſtitutiſque Philoſophiæ, Medicinæ mentis ſaluberrimæ, abundares. Inter quæ non imum locum obtinent diſciplinæ Moralis documenta: quæ dum legendo evolvis, in iiſque cogitationem altius defigis, mirabili quodam Virtutis amore ſenſim inflammatur pectus, ad eandem aſſequendam, complectendamque ardentius anhelans. Nec fragilem ſolummodo, & caducam corporis humani fabricam *Lynceis* velut oculis perſpectare, opiferque ſuffulcire ſoles; ſed etiam, quotieſcunque ſalus

publica

publica Te curis, negotiisque vacuum, ex hac turba, & colluvione, tanquam in portum ex Oceano procelloso, in solitudinem recedere, otiumque persequi finet; dum implorata ægritudinis levamina, & utilissimarum rerum varia, & laudanda procuratio parumper meditationi cedit, stupendas facultates, & immortalem animæ nobis divinitus infusæ naturam sedulo contemplaris: ad quam gravissimis testimoniis, & argumentis undique conquisitis demonstrandam sæpius per Hos Libros pro virili parte se accingit *Tullius*; qua si errat in sententia (talis enim fuit Ethnicorum doctissimorum, solo ingenii lumine, & quasi per caliginem hancce veritatem intuentium, incertitudo) se lubenter errare, nec sibi hunc errorem, quo delectatur, dum vivit, extorqueri velle profitetur. Has itaque *Ciceronianæ* Philosophiæ partes, ad perfectam sapientiæ normam dirigentes, singula Virtutis Officia excolenda, totamque honestatis rationem complexas, necnon viam, quæ

ad

DEDICATIO.

ad ſolidum decus, ad animi tranquillitatem, adeoque ſummam vitæ beatitudinem adipiſcendam pateat, erranti comiter tanquam digito monſtrantes, Patrocinio Tuo commendatas exhiberi placuit. Quod ſi pro conſueta morum ſuavitate, exiguum utcunque obſervantiſſimæ memoriæ pignus, æqui, bonique conſulas, gratiam habebit, quam referre nequit,

Tibi omni Officio Devinctiſſimus

OXON. è Coll. Div. Jo. Bapt.
11. Cal. Decemb. 1716.

THO. TOOLY.

M. T. CICERONIS DE OFFICIIS AD *MARCUM FILIUM*

LIBER PRIMUS.

1. QUanquam [1] te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, idque Athenis, [2] abundare oportet præceptis, institutisque philosophiæ, propter summam & doctoris auctoritatem, & urbis; quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis: tamen, ut ipse ad meam utilitatem semper cum Græcis Latina conjunxi, neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci; [3] idem tibi censeo faciendum, ut par sis in [4] utriusque

1 *Quanquam te*] Paucis verbis egregium artificium in cohortando ad Philosophiam filio expandit Tullius. Cratippum enim, Athenasque ideo laudat, ut ostendat turpe admodum fore, vitioque verti jure posse, si talem doctorem nactus, in ea præsertim urbe, quæ præstantissimorum Philosophorum copia semper floruerat, claros que viros, liberalibus disciplinis excultos, in omnes fere mundi partes emiserat, præceptis tamen, & exemplis immotus, optimarum doctrinarum expers, inanisque domum rediret. *Manut.*

2 *Abundare oportet.*] Par est; credibile videtur; ratio postulat, ut abundes; si non profeceris, culpam, infamiamque vitare non potes. *Idem.*

3 *Idem tibi censeo faciendum.*] Cicero monet filium, exemplo suo, ne à Græca linguam Latinam disjungat; veritus, ne, cum assidue Cratippum audiat Græco sermone Philosophiæ præcepta explicantem, Latinæ orationis studium negligat. *Idem.*

4 *Utriusque orationis*] Hæc verba denotent aut utrasque linguas, Græcam scilicet, & Romanam, aut etiam diversa styli genera, hoc exercitationibus forensibus, illud vero Philosophicis dissertationibus maxime consentaneum.

orationis facultate. [1] Quam quidem ad rem nos (ut videmur) magnum attulimus adjumentum hominibus nostris, ut non modo Græcarum literarum rudes, sed etiam docti aliquantum se arbitrentur adeptos & [2] ad dicendum, & ad judicandum. Quamobrem discès tu quidem à principe hujus ætatis philosophorum, & discès, quam diu voles: [3] tam diu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit. Sed tamen nostra leges, non multum à Peripateticis dissidentia: quoniam [4] utrique & Socratici, & Platonici esse volumus: [5] de rebus ipsis utere tuo judicio: nihil enim impedio. Orationem autem Latinam profecto legendis nostris efficies pleniorem. Nec vero arroganter hoc dictum existimari velim. Nam philosophandi scientiam [6] concedens multis, quod est oratoris proprium, [7] apte, distincte, ornate dicere, quoniam in eo studio ætatem consumpsi, si id mihi sumo, videor id meo jure quodammodo vendicare. Quamobrem magnopere te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros, [8] qui se jam illis fere æquarunt, studiose legas. Vis enim dicendi major est in illis; sed hoc quoque colendum est æqua-

1 *Quam quidem ad rem*] Id est, Patres ut esse possent Romani in utriusque orationis facultate. Vult Cicero, ita à se locupletatum esse linguam Latinam, ut ea de re, Græcæ jam æquata, non minorem in posterum sperare gloriam possint Romani, quam si in Græca excellerent, tot sæculorum spatio, tot summorum oratorum, & Philosophorum laboribus absoluta. *Manut.*

2 *Ad dicendum, & ad judicandum*] Dicere est Oratoris, Judicium rerum, Philosophi. *Erasm.* Possunt igitur, inquit Cicero, nostrorum librorum lectione etiam docti inter Romanos non solum Latina lingua augeri, sed judicandi quoque scientiam consequi; &, quamvis Græcos de Philosophia libros legant, aliquem tamen ex industria quoque nostra fructum capere. *Manut.*

3 *Tam diu autem velle debebis*] Quamdiu Cratippo magistro profitere te intelliges, tamdiu dandam ei operam esse existimare debes. *Idem.*

4 *Utrique*] Id est, Ipse, licet Academicus, cum Cratippo Peripatetico consentio, quatenus & Socratis, & Platonis placita ambo asseri volumus.

5 *De rebus ipsis utere tuo judicio*] Probes, necne, tuæ scriptæ, quod ad præcepta attinet, meo labore. Avocare enim te ab ea doctrina, in qua Cratippo magistro studium locas, consilii nostri non est. *Manut.*

6 *Concedens multis*] Quasi dicat, Non repugno, quo minus alii Philosophiæ cognitione mihi non modo conferantur, sed etiam præferantur. *Idem.*

7 *Apte, distincte, ornate*] *Apte*, ad id scilicet, quod orator agendum suscepit; ut dicantur ea, quæ subjecta postulat materia: *Distincte*, ne rerum ordo perturbetur; frustra enim apte, qui suo quidque loco non dicit: *Ornate*, adhibitis Rhetoricis figuris, ornamentisque. *Manut.* Hæ tres itaque voces viderentur totum oratoris negotium continere; hoc est, Invenire præclare, inventa disponere, disposita exornare.

8 *Qui se jam illis fere æquarunt*] Hoc est, Qui orationum numerum, granditatem, & molem fere æquarunt.

bile,

bile, & temperatum orationis genus. Et id quidem nemini video Græcorum adhuc contigisse, ut idem utroque in genere laboraret, sequereturque & illud [1] forense dicendi, & hoc [2] quietum disputandi genus: nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen; ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. Nos autem quantum in utroque profecerimus, aliorum sit judicium: utrumque certe secuti sumus. Equidem & [3] Platonem existimo, si genus forense dicendi tractare voluisset, gravissime, & copiosissime potuisse dicere: & Demosthenem, si illa, quæ à Platone didicerat, tenuisset, & pronuntiare voluisset, ornate, splendideque facere potuisse. Eodemque modo de Aristotele, & Isocrate judico; quorum uterque suo studio delectatus [4] contempsit alterum.

2. Sed cum statuissem aliquid hoc tempore ad te scribere, & multa posthac, ab eo ordiri volui maxime, quod & [5] ætati tuæ esset aptissimum, & auctoritati meæ. Nam cum multa sint in philosophia & gravia, & utilia, accurate, copioseque à philosophis disputata, latissime patere videntur ea, quæ de [6] officiis tradita ab illis, & præcepta sunt. [7] Nulla enim vitæ pars, neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest: in eoque colendo sita est vitæ honestas omnis, & in negligendo turpitudo. Atque hæc quidem quæstio communis est omnium philosophorum. quis est enim, qui nullis officii præceptis tradendis philosophum se audeat

1 *Forense dicendi*] In orationibus contentiosus, in differendo sermo sedatus est. *Erasm.*

2 *Quietum*] Caret enim actione forensi, nec illam dicendi vim ad excitandos animos requirit. *Manut.*

3 *Platonem existimo*] Platoni dicendi exercitatio, Demosthenis Philosophandi defuit. *Erasm.*

4 *Contempsit alterum*] Aristotelis videlicet oratorium dicendi genus, Isocrates Philosophicum contempsit, seu tractare noluit. *Lamb.*

5 *Ætati tuæ esset aptissimum*] Decet enim erudiri adolescentem Officii potissimum colendi notitia. *Manut.*

6 *Officiis*] *Officium* apud Ciceronem nostrum interdum significat obligationem ad producendos hos, vel illos actus, interdum eorum actionem ipsam, per quam persolvitur obligatio.

7 *Nulla enim vitæ pars*] *Officium* per tres Ethicæ partes percurrit: Politicam, quæ circa Remp. administrandam versatur: Oeconomicam, quæ circa rem familiarem bene gerendam: Monasticam, quæ circa vitam uniuscujusque privatam.

dicere? Sed sunt nonnullæ disciplinæ, quæ, propositis bonorum, & malorum finibus, officium omne pervertunt. nam qui summum bonum instituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum; idque [1] suis commodis, non honestate metitur, hic [2] (si sibi ipse constet, & non interdum naturæ bonitate vincatur) neque amicitiam colere potest, nec justitiam, nec liberalitatem; fortis vero, dolorem summum malum judicans; aut temperans, voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. Quæ quanquam ita sunt in promptu, ut res disputatione non egeat, tamen sunt à nobis [3] alio loco disputata. Hæ disciplinæ igitur, si sibi consentaneæ esse velint, de officio nihil queant dicere. neque ulla officii præcepta firma, stabilia, [4] conjuncta naturæ tradi possunt, nisi aut ab iis, [5] qui solam, aut ab iis, qui [6] maxime honestatem propter se dicant expetendam. Itaque [7] propria est ea præceptio Stoicorum, & Academicorum, & Peripateticorum: quoniam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli, jampridem [8] explosa sententia est; qui tamen haberent jus suum disputandi de officio, si rerum aliquem delectum reliquissent, ut ad officii inventionem aditus esset. [9] Sequemur igitur hoc quidem tempore, & hac in

1 *Suis commodis*] Refutatur Epicuri opinio, qui summum bonum in voluptate, summum malum in dolore posuit; dixitque, sapientem omnia sui commodi causa facturum.

2 *Si sibi ipse constet*] Si semper idem sentiat, nec se doceri, & corrigi ab ipsa Natura patiatur, quæ nil, nisi bonum, suadet; turpe nihil patitur. *Manut.*

3 *Alio loco*] Tuscul. Quæst. & Libris de Finibus bonorum, & malorum.

4 *Conjuncta naturæ*] Quæ consentiant Naturæ humanæ, hoc est, rectæ rationis regulis. Neque enim quicquam fieri potest secundum Naturam, quod fiat repugnante ratione. Honestatis originem dedisse Stoici à Natura, secundum quam vivere, bene vivere est.

5 *Qui solam*] Sine adjunctione rerum externarum. Hi vero sunt Stoici; ut illi, qui honestatem propter se, hoc est, ob suam vim, & intrinsecam dignitatem, dicunt expetendam, sunt Academici, & Peripatetici. *Grav.*

6 *Maxime honestatem*] Num fuquicquid aliud sit honestate magis expetendum, ad illud assequendum amoveatur honestas.

7 *Propria est ea præceptio*] Id est, Præcepta de Officiis proprie pertinent ad Stoicos, qui solam virtutem, honestatemve amplectebantur, necnon ad Academicos, Peripateticosque, qui felicitatem in tribus bonis adipiscendis, maxime vero in honesto posuerunt.

8 *Explosa sententia*] Utpote absurdissima, à communi sensu abhorrens, & indigna, contra quam ulla Philosophorum secta disputaret. Quippe qui discrimen omne veri, & falsi, boni, & mali, adeoque rerum omnium sustulit delectum, idcirmque ad officii inventionem præclusit. Si enim omnia sint paria, ac indifferentia, quis virtuti locus relinquatur, quæ consistit in bonis, malisque secernendis, his sucupandis, illis autem fugiendis?

9 *Sequemur igitur hoc tempore*] Cicero, tanquam Academicus, nullius addictus

quæſtione poſſimum Stoicos: [1] non ut interpretes; ſed, ut ſolemus, è fontibus eorum, judicio, arbitrioque noſtro, quantum, quoque modo videbimur, hauriemus. Placet igitur, quoniam omnis diſputatio de officio futura eſt, ante [2] definire, quid ſit officium: quod à Panætio prætermiſſum eſſe miror. Omnis enim, quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re, inſtitutio, debet à definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur.

3. Omnis de officio duplex eſt quæſtio. unum genus eſt, [3] quod pertinet ad finem bonorum: alterum, quod poſitum eſt in præceptis, [4] quibus in omnes partes uſus vitæ conformari poſſit. Superioris generis hujuſmodi exempla ſunt: Omnia ne officia [5] perfecta ſint? num quod officium aliud alio majus ſit? & quæ ſunt generis ejuſdem. Quorum autem officiorum præcepta traduntur, ea, quanquam [6] pertinent ad finem bonorum, tamen id minus apparet, quia magis ad inſtitutionem vitæ communis ſpectare videntur: de quibus eſt nobis his libris explicandum. Atque etiam [7] alia diviſio eſt officii. Nam & medium quoddam officium dicitur, & perfectum. Perfectum officium rectum (opinor)

dictus jurare in verba magiſtri, nunc hoc, nunc illud tuemur, quicquid in ulla diſciplina ſit probabile, & placita ſuæ rationi maxime conſentanea ſemper amplexatur.

1 *Non ut interpretes*] Non verbum verbo fide reddere curando, ſed addendo, minuendoque, ne aliena tantum induſtria ſervire videremur.

2 *Definire*] Hoc verbum non neceſſario ſignificat *explicare per genus, & differentiam*, juxta ſenſum Logicum: hâc hoc loco ſenſimus, implicaque limitandam vocis ſignificationem. Non ignarus enim Cicero non unam eſſe hominum actionem, ſed multiplicem; atque etiam varia officiorum genera; idcirco non potuit unam, ac ſimplicem officii definitionem tradere. Hac igitur de cauſa non ſubjicit, quid ſit Officium, ſed dividit. *Manut.*

3 *Quod pertinet ad finem bonorum*] Quod explicat, quid ſit felicitas, ſive ſummum hominis bonum.

4 *Quibus in omnes partes uſus vitæ conformari poſſit*] Quorum obſervatione totus vitæ curſus ad virtutem dirigatur, & acquiratur felicitas.

5 *Perfecta*] Id eſt, Eo & judicio, & voluntate ſuſcepta, & ad eximum perducta, ut nulla ignorantiæ nubecula, nulla pravæ cupiditatis labe admiſta contaminentur, ut ad verum ſcopum, citra ullas ambages, contendatur, nec uſquam ab eo deerretur. *Manut.*

6 *Pertinent ad finem bonorum*] Actus ſcilicet juſtitiæ, temperantiæ, & conſimiles; qui recta ad humanam tendunt beatitudinem, licèt immediate ad vitæ ductum referuntur.

7 *Alia diviſio*] Philoſophi tres virtutis gradus numerare ſolent. Primum, Inchoatum, mancum penitus, & imperfectum, priuſquam acquiritur virtutis habitus: Secundum, Adauctum, quoties aliquis laudabilem acquiſivit habitum, ſed tamen in vitium relabi poſſe videatur. Tertium, Perfectum, conſummatum, imo prorſus Heroicum, quando paſſiones abſolute rationis viribus debellantur, nihilque agitur, niſi quod rectæ rationi conſonat. Tali autem

vocemus, quod Græci [1] κατόρθωμα: hoc autem commune [2] καθῆκον vocant. Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant: medium autem officium id esse dicant, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit. Triplex igitur est (ut Panætio videtur) [3] consilii capiendi deliberatio. Nam, honestumne factu sit, an turpe, dubitant, id, quod in deliberationem cadit. in quo considerando sæpe animi in contrarias sententias distrahuntur. Tum autem aut [4] anquirunt, aut consultant ad vitæ commoditatem, jucunditatemque, ad facultates rerum, atque copias, ad [5] opes, ad [6] potentiam, quibus & se possint juvare, & suos, conducat id, necne, de quo deliberant. quæ deliberatio omnis [7] in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus est, cum pugnare videtur cum honesto id, quod [8] videtur esse utile. Cum enim utilitas ad se rapere, honestas contra [9] revocare ad se videtur, fit, ut distrahatur deliberando animus, afferatque ancipitem curam cogitandi. Hac divisione, (cum [10] præterire aliquid maximum vitium in dividendo sit) duo prætermissa sunt. Nec enim solum, utrum honestum, an turpe sit, deliberari solet, sed etiam, duobus propositis ho-

tem virtute imbutus nusquam, nisi in Stoicorum Ideis, extitit.

1 *Κατόρθωμα*] Id est, Officium perfectum, quod iis solis conveniebat, qui credebantur Stoicis supernaturalem quandam vitam vivere, tanquam excessissent communem hanc vivendi rationem, & proximi Diis essent, imo Dii. Stoici enim sapientem suum Deum esse persuasum habuerunt. *Grav.*

2 *Καθῆκον*] Id est, Officium medium, quod qui sequuntur, dicuntur secundum naturam vivere, virtutibus moralibus, ac politicis contenti. *Idem.*

3 *Consilii capiendi deliberatio*] *Consilium capere* hoc loco significat, deliberatum exequi, rem facere, de qua deliberabatur. *Gronov.*

4 *Anquirunt*] Hoc verbo Cicero multis in locis utitur. Proprie autem denotat, circum quærere, ut scribit Festus: à quo *inquirere* diversum est. Qui igitur circumquaque omnia scrutans quærit, is *anquirere* Latine, & Ciceroniane dicitur. *Fabric.*

5 *Opes*] Id est, Amicos, gratiam, auctoritatem. Non enim pecuniam tantum significat. *Manut.*

6 *Potentiam*] Id est, Defensionem sui, suorumque, & adversariorum offensionem: non modo, ut tuti ab injuria, verum etiam inimicis formidabiles, amicis autem solatio, præsidioque sint. *Idem.*

7 *In rationem utilitatis cadit*] Cicero igitur sub ratione utilitatis comprehendit non solummodo divitias, honoresque, sed etiam vitæ voluptates.

8 *Videatur esse utile*] Hominibus scilicet leviter eruditis, populariterque & sententiosis, & loquentibus. *Manut.* Non est autem realis utilitas, sed tantum apparens, si cum honesto pugnet, licet nobis vitæ necessaria suppeditet, falsique utilitatis specie blandiatur.

9 *Revocare*] Hæc vox indicat hominem natura esse honestati conjunctum, à qua interdum voluptatis illecebris, & falsaci emolumento abstrahitur.

10 *Præterire aliquid maximum vitium*] Secundum illam Dialecticorum legem, *Omnis divisa sit adæquata diviso.*

nestis

nestis, utrum honestius. Itemque, duobus propositis utilibus, utrum utilius. Ita, quam ille triplicem putavit esse rationem, in quinque partes distribui debere reperitur. Primum igitur est de honesto, sed dupliciter: tum pari ratione de utili; post de comparatione eorum disserendum.

4. [1] Principio generi animantium omni est à natura tributum, ut se, vitam, corpusque [2] tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, quæcunque ad vivendum sunt necessaria, anquirat, & paret; ut pastum, ut latibula, ut alia generis ejusdem. Commune autem animantium omnium est [3] conjunctionis appetitus, procreandi causa, & cura quædam eorum, quæ procreata sunt. Sed inter hominem, & belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum, aut futurum. Homo autem (quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit, atque annectit futuras) facile totius vitæ cursum videt, ad eamque degendam præparat res necessarias: eademque natura vi rationis hominem conciliat homini & ad [4] orationis, & ad vitæ societatem: ingeneratque in primis [5] præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt: impellitque, ut hominum [6] cœtus, & celebrationes esse, & à se obiri velit:

1 *Principio generi*] Cum constet inter Philosophos beate vivere esse, naturæ convenienter vivere, ante omnia naturæ humanæ vis inquirenda, ut constet, quid homini commune sit cum cæteris animalibus, & quid proprium, summque sortiatur. Desiderium esse tuendi, perpetuque propagandi homo cum brutis habet commune. Mens autem, & ratio homini soli competunt. Ex iis igitur petendum summum hominis bonum. *Wolf.*

2 *Tueatur*] Vim vi repellat. Hinc variis armis ad se tuendum muniuntur animalia. *Idem.* Vox autem latius patet, & significat, quovis modo salutem suam conservare. *Grav.*

3 *Conjunctionis appetitus*] Hinc Lucretius Lib. I. ad Venerem,

Omnibus incutiens blandum per pectora amorem
Efficis, ut cupide generatim sæcla propagent.

4 *Ad orationis, & ad vitæ societatem*] Ad sermonem conferendum, & simul vivendum. Natura societatem appetimus; hinc & instrumentum societatis colendæ nacti sumus orationem. *Grav.*

5 *Præcipuum*] Id est, Multo ardentiorem, quam amor brutis insitus; utpote non à Naturali tantum instinctu, sed etiam à ratione provenientem.

6 *Cœtus, & celebrationes*] Cicero vult hominem à ratione impelli, ut concursus publicos, & concilia celebrari, ac frequentari cupiat. *Fabric.*

ob

ob eaſque cauſas ſtudeat parare ea, quæ ſuppeditent & ad cultum, & ad victum: nec ſibi ſoli, ſed conjugi, liberis, cæteriſque, quos caros habeat, tuerique debeat. [1] Quæ cura excluſcitat etiam animos, & majores ad rem gerendam facit. In primiſque hominis eſt propria veri [2] inquiſitio, atque inveſtigatio. Itaque cum ſumus neceſſariis negotiis, curiſque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiſcere: cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad beate vivendum neceſſariam ducimus. ex quo intelligitur, quod verum, ſimplex, ſincerumque ſit, id eſſe naturæ hominis aptiſſimum. Huic veri videndi cupiditati adjuncta eſt [3] appetitio quædam principatus, ut nemini parere animus bene à natura informatus velit, niſi præcipienti, aut docenti, aut utilitatis cauſa [4] juſte, & legitime imperanti: ex quo animi magnitudo exiſtit, [5] humanarumque rerum contemptio. Nec vero illa parva vis naturæ eſt, rationiſque, quod unum hoc animal ſentit, [6] quid ſit ordo, quid ſit, quod deceat, in factis, dictiſque qui modus. Itaque eorum ipſorum, quæ adſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venuſtatem, convenientiam partium ſentit: quam ſimilitudinem natura, ratioque ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in conſiliis, factiſque conſervandum putat: cavetque, ne quid indecore, effæmi-

1 *Quæ cura exſuſcitat*] Cura nos, noſtroſque conſervandi animos ab ignaviæ quaſi ſomno ſuſcitat, exacuitque, & vegetiores reddit aut ad artes excolendas, aut negotium quodlibet capeſſendum.

2 *Inquiſitio, atque inveſtigatio*] Metaphora à venatoribus, qui è veſtigiis luſtra ferarum indagare ſolent. Natura enim habet quædam ſenſibus obvia, è quibus concludit ratio, quæ ſenſus perſpicere nullo modo poteſt. *Manut.*

3 *Appetitio quadam principatus*] Homini proprium eſt, cujus animum non ita neglexit Natura, ut nihil ſublime, nihil unquam homine dignum cogitet, ſi non ingenio ſervili, & prorſus Gallico præditus ſit, ut velit inter ſuos excellere, & cæteris imperare. Hinc J. Cæſar oppiduli primus, quam Romæ ſecundus, eſſe maluit.

4 *Juſte Imperanti*] Magiſtratui legitime ob commune bonum conſtituto: ad diſcrimen Uſurpantium Tyrannorum, qui liberam gentem opprimunt, procetes digniſſimos aut vita ſpoliant, aut in exilium propellunt, vi, aut malis artibus regunt, neque civium voluntate, ac ſuffragiis, legibuſve patriæ poteſtatem conſecuti ſunt.

5 *Humanarumque rerum contemptio*] Strenuo quippe libertatis vindici ſordent opes, honores, dignitateſque, aut ſuis paſſionibus, aut Tyranni imperio inſervire dedignanti.

6 *Quid ſit ordo*] Hoc quoque homini proprium eſt, quod ſolus inter omnia animalia noſcit, judicatque, quale in omni actione, aut ſermone ſit obſervandum decorum. *Grav.*

nateve

nateve faciat: tum in omnibus & opinionibus, & factis, ne quid libidinoſe aut faciat, [1] aut cogitet. quibus ex rebus conflatur, & efficitur id, quod quærimus, [2] honeſtum: quod etiam ſi [3] nobilitatum non ſit, tamen honeſtum ſit: quodque vere dicimus, etiam ſi à nullo laudetur, natura eſſe laudabile.

5. Formam quidem ipſam, Marce fili, & tanquam faciem honeſti vides: quæ, ſi oculis cerneretur, mirabiles [4] amores (ut ait Plato) excitaret ſapientiæ. Sed omne, quod honeſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua. aut enim in perſpicientia veri, ſolertiaque verſatur: aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique, [5] & rerum contractarum fide: aut in animi excelſi, atque invicti magnitudine, ac robore: aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine, & modo, in quo ineſt modeſtia, & [6] temperantia. Quæ quatuor quanquam inter ſe [7] colligata, atque implicita ſunt, tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur: velut ex ea parte, quæ prima deſcripta eſt, in qua ſapientiam, & prudentiam ponimus, ineſt indagatio, atque inventio veri: ejuſque virtutis hoc munus eſt proprium. Ut enim quiſque maxime perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit, quique acutiſſime, & celerrime poteſt & videre, & explicare rationem, is prudentiſſimus, &

1. *Aut cogitet*] Hinc Juvenalis Sat. 13. v. 209.

—ſolus intra ſe tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

Porro legibus Romanis non tantum facta, ſed etiam puniebantur conſilia, & voluntas. *Grav.*

2 *Honeſtum*] Quod nihil aliud eſt, niſi Naturæ, rectæque rationis in factis omnibus, dictiſque obſervatio. Conſtat ex quatuor Cardinalibus virtutibus; Juſtitia, ſive conſervanda inter homines ſocietate, & conſortio: Prudentia, ſive veritatis cultu: Fortitudine, ſive animi excelſitate: Temperantia denique, ſive Sobrietate, Modeſtia, & ſimilibus: de quibus omnibus ſigillatim in ſequentibus agit Cicero.

3 *Nobilitatum*] Multorum ſermonibus, & admiratione celebratum. *Manut.*

4 *Amores ſapientiæ*] Quiſquis honeſti venuſtatem intueri poſſet, neceſſario ſapientiam protinus ambiret. Quid aliud enim eſt ſapientia, niſi ipſa virtus, ipſa honeſtas? Impoſſibile enim eſt aliquem ſapientem fore, ſi non ſit honeſto, & virtute præditus.

5 *Et rerum contractarum fide*] Duæ ſunt juſtitiæ partes; Diſtributiva, qua, quod cujuſque proprium eſt, tribuimus: Commutativa, quæ circa commercia, contractaſque res verſatur.

6 *Temperantia*] Hæc virtus itaque, ſecundum Ciceronem, non circa cibum, potumque moderandum ſolummodo verſatur, ſed denotat etiam modum in omnibus rebus conſervandum.

7 *Colligata*] Qui enim unam poſſidet virtutem, reliquos item poſſidere dicitur. *Manut.*

[1] ſapientiſſimus rite haberi ſolet. quocirca huic, quaſi materia, quam tractet, & in qua verſetur, ſubjecta eſt veritas. [2] Reliquis autem tribus virtutibus neceſſitates propoſitæ ſunt ad eas res parandas, tuendaſque, quibus actio vitæ continetur: ut & ſocietas hominum, conjunctioque ſervetur: & animi excellentia, magnitudoque, cum in augendis opibus, utilitatibuſque & ſibi, & ſuis comparandis, tum multo magis in his ipſis [3] deſpiciendis, eluceat. Ordo autem, & conſtantia, & moderatio, & ea, quæ ſunt his ſimilia, verſantur in eo genere, ad quod adhibenda eſt actio quædam, non ſolum mentis agitatio. His enim rebus, quæ tractantur in vita, modum quendam, & ordinem adhibentes, honeſtatem, & decus conſervabimus.

6. Ex quatuor autem locis, in quos honeſti naturam, vimque diviſimus, primus ille, qui in veri cognitione conſiſtit, maxime [4] naturam attingit humanam. Omnes enim [5] trahimur, & [6] ducimur ad cognitionis, & ſcientiæ cupiditatem: in qua excellere pulchrum putamus: labi autem, errare, neſcire, decipi, & malum, & turpe ducimus. In hoc genere & naturali, & honeſto, duo vitia vitanda ſunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hiſque temere aſſentiamus. quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit ad conſiderandas res & tempus, & diligentiam. Alterum eſt vitium, quod quidam nimis magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras, atque difficiles conferunt, eaſdemque non neceſſarias: quibus vitiis declinatis, quod in rebus honeſtis, & cognitione dignis operæ, curæque ponetur, id jure laudabitur: ut in aſtrologia C. Sulpitium audivimus; in geometria Sex. Pompejum ipſi cognovimus: multos in dialectica, plures in jure

1 *Sapientiſſimus, & prudentiſſimus.*] Sapientia, & prudentia hic eadem eſt virtus: quas cum ſecernit Ariſtoteles, ſapientiam vocat, ſcientiam rerum multarum, & mirabilium; prudentiam verò, virtutem, quæ circa res ad vitam utiles verſatur. *Gaſſend.*

2 *Reliquis autem.*] Id eſt, Cæteræ tres virtutes, ut juſtitia, fortitudo, temperantia, verſantur in rebus neceſſariis parandis, conſervandiſque, ſine quibus vitam civilem agere commode non poſſumus. *Græv.*

3 *Deſpiciendis.*] Proprium eſt magnanimi officium res externas aſpernari, & vili pendere.

4 *Naturam humanam.*] Quæ potiſſimum in excellentia mentis ponitur. *Manut.*

5 *Trahimur.*] Naturali inſtinctu, quaſi vi, citra voluntatem noſtram.

6 *Ducimur.*] Cognitionis nempe ſuavitas maxime delectat, allicitque. *Manut.*

civili.

civili. quæ omnes artes [1] in veri inveſtigatione verſantur: cujus ſtudio [2] à rebus gerundis abduci contra officium eſt. virtutis enim laus omnis in actione conſiſtit: à qua tamen ſæpe fit intermiſſio: multique dantur ad ſtudia reditus: tum agitatio mentis, quæ nunquam acquieſcit, [3] poteſt nos in ſtudiis cogitationis etiam ſine opera noſtra continere. Omnis autem cogitatio, motuſque animi, [4] aut in conſiliis capiendis de rebus honeſtis, & pertinentibus ad bene, beateque vivendum, aut in ſtudiis ſcientiæ, cognitioniſque verſatur. ac de primo quidem officii fonte diximus.

7 De tribus autem reliquis latiſſime patet [5] ea ratio, qua ſocietas hominum inter ipſos, & [6] vitæ quaſi communitas continetur. cujus partes duæ ſunt: juſtitia, in qua virtutis ſplendor eſt maximus; ex qua boni viri nominantur: & huic conjuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem, vel liberalitatem appellari licet. Sed juſtitiæ primum munus eſt, ut [7] ne cui quis noceat, [8] niſi laceſſitus injuria: deinde, ut

1 *In veri inveſtigatione*] Eſt ſane ſcientiarum prædictarum finis immediatus veritatis inventio; licet etiam ad vitam activam applicari poſſint ſingulæ: velut Sulpitii paulo ante memorati Aſtrologia, qui, Lunaris Eclipſis rationem edisſerendo, exercitum Romanum falſa formidine liberavit.

2 *A rebus gerundis abduci*] Debemus interdum rebus agendis operam dare, non ſemper in rerum cognitione occupari, velut Archimedes, qui, periclitante civitate, pulveribus ſuis intentus fuit.

3 *Poteſt nos in ſtudiis cogitationis*] Mens Ciceronis hæc eſt: Res ſunt gerendæ. A quibus nimium rerum abſtruſarum ſtudium nos non debet avocare; præſertim cum ſæpe poſſimus ab actione ad contemplationem reverti, horis nimirum ſubſecivis, aut cum aliquæ venient feriæ. Præterea, mentis agitatio, ſeu meditatio animæ ſemper cogitantis poteſt nos etiam ſine applicatione noſtra in ſtudiis exercere. *Grav.*

4 *Aut in conſiliis*] Secundum receptam Scholaſticorum diviſionem intellectus in Activum, & Contemplativum. Prior conſiderat res in ordine ad actionem, poſterior ad ſcientiam.

5 *Ea ratio, qua ſocietas*] Abſoluto loco de prudentia, tranſit ad ſecundam honeſtatis partem, quæ pertinet ad tuendam hominum ſocietatem: cujus partes duæ ſunt, Juſtitia, & Liberalitas. *Muret.*

6 *Vitæ quaſi communitas*] Socialis illa vita hominibus præ cæteris animalibus propria. *Grav.*

7 *Ne cui quis noceat*] Cum enim juſtitia ſit bonum, boni autem ea vis, ac natura ſit, ſemper prodeſſe, nunquam nocere, neceſſario ſequitur, juſtum nemini nocere. *Muret.*

8 *Niſi laceſſitus injuria*] Huic primo juſtitiæ præcepto, *nemini nocere*, additur exceptio, ut qui injuria laceſſitus ſit, is juſte ei, à quo laceſſitus eſt, viciſſim nocere poſſe videatur. Sed hoc intelligendum eſt ex ſuppoſitione, quod non aliter injuriam arcere poſſumus. In civitate enim, ubi jure licet agere, legibus, & judici committenda res eſt, qui inferentem injuriam puniat. Qui autem iræ explendæ cauſa ſe ulciſcuntur, ab omnibus merito damnantur. *Grav.*

communibus utatur [1] pro communibus, privatis, [2] ut ſuis. Sunt autem [3] privata nulla natura: ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam [4] in vacua venerunt: aut victoria, ut qui bello potiti ſunt: aut [5] lege, pactione, conditione, [6] ſorte; ex quo fit, ut ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tuſculanus Tuſculanorum. Similiſque eſt privatarum poſſeſſionum [7] deſcriptio. ex quo, quia ſuum cujuſque fit, eorum, quæ natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quiſque teneat: ex quo ſi quis [8] ſibi appetet, violabit jus humanæ ſocietatis. Sed quoniam (ut præclare ſcriptum eſt à Platone) non nobis ſolum nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vendicat, partem amici: atque (ut placet Stoicis) quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe, aliis alii prodeſſe poſſent: in hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre, [9] mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem. Fundamentum eſt autem juſtitiæ fides: id eſt, [10] dictorum, conven-

1 *Pro communibus*] Communes res ſunt vel omnium hominum, vel Reip. alicujus, aut ſocietatis. In his utendis officio boni viri fungitur, quiſquis communibus utitur, ut communibus, nec ſibimet ex iis privatim quicquam vendicat. *Rachel.*

2 *Ut ſuis*] Ne tamen iis abutatur. Intereſt enim Reip. ne ſua re quis male utatur. *Grav.*

3 *Privata nulla*] Sicut in principio rerum, cum omnia erant communia, & indiviſa omnibus unicum quaſi patrimonium ſortitis. Proprium autem ex hominum pacto, conventuque ortum eſt. Cum omnia in medio poſita erant, ex eorum autem uſu oriebantur lites, ſicut inter Lothi, & Abrahami familias, convenit illis de uſu ſingulorum, non quod uſquam hoc præceperat Deus, ſed quod id è re ſocietatis humanæ videbatur eſſe. *Grav.*

4 *In vacua venerunt*] Occuparunt fundos domini expertes, aut regiones nondum habitatas coluerunt.

5 *Lege*] Cum nimirum ager publicus, aut ab hoſte captus dividitur inter cives: aut cum lege naturæ, aut gentium, aut etiam civili aliquid fit noſtrum; ſicut hæreditas, quæ ab inteſtato venit. *Grav.*

6 *Sorte*] Hic modus acquirendæ poſſeſſionis eſt quaſi à Fortuna: unde dicit Juſtinianus, Fortunam judicem eſſe in rebus dubiis, aut communibus dividendis. Sic Palæſtinam partiti ſunt Iſraelitæ. *Rachel.*

7 *Deſcriptio*] Hæc vox denotat jugerum quorundam definitionem, diviſionem, dimenſionem.

8 *Sibi appetet*] *Appetere* proprie eſt amplius petere, demum vehementer velle, atque etiam vi invadere; ut appetere regnum. Hoc enim vult Cicero, ex eo, quod alterius ſit, neminem ſine injuria abſtrahere poſſe. *Lang.* ſic Quintil.

Quicquid jure poſſidetur, injuria auferetur.

9 *Mutatione*] Eſt tranſlatio à mutatione mercium, cum officia, tanquam merces, mutamus, aliis officia præſtando, ut viciſſim nobis præſtent. *Grav.*

10 *Dictorum, conventorumque conſtantia, & veritas*] Eſt, cum quæ dicuntur, promittuntur,

torumque conſtantia, & veritas. ex quo, quanquam hoc videbitur fortaſſe cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt, unde verba ſint ducta: credamuſque, quia fiat, quod dictum eſt, appellatam fidem. Sed injuſtitiæ genera duo ſunt: unum eorum, qui inferunt: alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant injuriam. Nam qui injuſte impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quaſi manus afferre videtur ſocio. qui autem non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, [1] tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat. Atque illæ quidem injuriæ, quæ nocendi cauſa de induſtria inferuntur, ſæpe [2] à metu proficiſcuntur; cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne, niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo. [3] Maximam autem partem ad injuriam faciendam aggrediuntur, [4] ut adipiſcantur ea, quæ concupiverunt; in quo vitio latiſſime patet [5] avaritia.

8. Expetuntur autem divitiæ cum ad uſus vitæ neceſſarios, tum ad perfruendas voluptates. In quibus autem major eſt animus, in iis pecuniæ cupiditas ſpectat [6] ad opes, & [7] ad gratificandi facultatem: ut nuper M. Craſſus negabat, ullam ſatis magnam pecuniam eſſe ei, qui in rep. princeps vellet eſſe, cujus fructibus exercitum alere non poſſet.

mittuntur, & convenerunt, præſtantur, & ſervantur vere, ſincereque. cum non aliud in lingua promptum, aliud clauſum in pectore habent, ſive ambitione, ſive avaritia, ſuorumque commodorum ſtudio incenſi. *Grav.*

1 *Tam eſt in vitio*] Non dicit Cicero (ut aliqui volunt) æque graviter peccare, qui hominem non defendat, ac ſi parentem non defendat; ſed æque peccare in juſtitiam, qui injuriam, à quocunque poteſt, non propulſat, ac illum, qui parentem, patriamve deſerat. In hac locutione vocula *tam* non quantitatem, ſed qualitatem denotat. Sicuti tam in vitio eſt denarium, ac decies ſeſtertium furari, quamvis quoad gradum differunt crimina. *Idem.*

2 *A metu*] Vide Grotium de Jure Belli, & Pacis Lib. 2. cap. 1. Sec. 2. ubi copioſe hoc explicat, & ſimul oſtendit, quando per juſtum metum nobis liceat occupare injuriam illaturum.

3 *Maximam autem partem*] Helleniſmus. Id eſt, Plerique homines.

4 *Ut adipiſcantur ea, quæ concupiverunt*] Sic apud Romanos Tullia maritum, Tarquinius & uxorem, & Servium ſocerum regni cupiditate necarunt. *Manut.*

5 *Avaritia*] Auri ſacra fames, quæ Polymneſtora Thracium hoſpitii jura violare, Pygmalionem Sichæum, ſororis maritum ante aras incautum opprimere, Verrem furari, Judam denique Salvatorem prodere compulit, juſtitiæque fines ſemper tranſilit.

6 *Ad opes*] Id eſt, Honores, auctoritates, & poteſtates. *Manut.*

7 *Ad gratificandi facultatem*] Ut potentes fiant, egenos adjuvent, multorum voluntates alliciant, & illis ſubveniendo illorum animos ſibimet devinciant; ſicut fecit Milo, qui tres ampliſſimas profudit hæreditates, quas impendit in populi ſtudio captando. *Grav.*

Delectant

[1] Delectant etiam magnifici apparatus, vitæque cultus cum elegantia, & copia: quibus rebus effectum est, ut infinita pecuniæ cupiditas esset. Nec vero rei familiaris amplificatio nemini nocens vituperanda: sed fugienda semper injuria est. Maxime autem adducuntur plerique, ut eos justitiæ capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, gloriæ cupiditatem inciderunt. Quod enim est apud Ennium,

Nulla sancta societas, [2] *nec fides regni est,*

id latius patet. nam quidquid ejusmodi est, in quo non possint plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum sit sanctam servare societatem. Declaravit id modo [3] temeritas C. Cæsaris, qui omnia [4] jura divina, atque humana pervertit propter eum, quem sibi ipse opinionis errore fixerat, principatum. Est autem in hoc genere molestum, quod in maximis animis, splendidissimisque ingeniis plerumque existunt honoris, imperii, potentiæ, gloriæ cupiditates. quo magis cavendum est, ne quid in eo genere peccetur. Sed in omni injustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis est, & ad tempus, an consulto, & [5] cogitata fiat injuria. Leviora enim sunt, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata, & præparata inferuntur. Ac de inferenda quidem injuria satis dictum est.

9. Prætermittendæ autem defensionis, deserendique officii plures solent esse causæ. Nam aut [6] inimicitias, aut laborem,

1 *Delectant etiam*] Id est, Alii divitias expetunt, ut lautissima epularum, rerumque omnium copia fruantur.

2 *Nec fides regni*] Aliam, & quidem maximam violandæ justitiæ causam docet esse ambitionem, & principatus cupidinem. *Grav.* Sic Lucanus Lib. I.

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Cujus rei exempla sunt Romulus, & Remus; Eteocles, & Polynices.

3 *Temeritas*] Hæc vox denotat Cæsarem imprudenter, & sine consilio ad principatum, dominiumque ruentem. *Fabrit.*

4 *Jura divina, atque humana pervertit*] Ingentem auri vim è Capitolio furando, templa Deorum donis referta expilando, ærarium invadendo, patriæ arma inferendo, libertatem Reip. opprimendo, regna pretio vendendo, urbes ad deditionem paratas diripiendo. *Manut.*

5 *Cogitata fiat injuria*] Talem injuriam intelligit, de quâ inferenda diu meditati sumus. *Grav.*

6 *Inimicitias*] Quas sustinere grave est, si inopem contra potentem defendimus. *Manut.*

botem, aut ſumptus ſuſcipere nolunt: aut etiam negligentia, pigritia, inertia: aut ſuis ſtudiis quibuſdam, occupationibuſve ſic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, deſertos eſſe patiantur. Itaque [1] videndum eſt, ne non ſatis ſit id, quod apud Platonem eſt in philoſophos dictum: quod [2] in veri inveſtigatione verſentur, quodque ea, quæ plerique vehementer expetunt, de quibus inter ſe digladiari ſolent, contemnant, & pro nihilo ducant, propterea juſtos eſſe. Nam alterum juſtitiæ genus aſſequuntur, inferenda ne cui noceant injuria: [3] in alterum incidunt. Diſcendi enim ſtudio impediti, quos tueri debent, deſerunt. Itaque eos ad remp. ne acceſſuros quidem putant, niſi coactos. æquius autem erat id voluntate fieri. nam hoc ipſum ita juſtum eſt, quod recte fit, ſi eſt [4] voluntarium. Sunt etiam, qui aut ſtudio rei familiaris tuendæ, aut [5] odio quodam hominum [6] ſuum ſe negotium agere dicant, ne facere cuiquam videantur injuriam: qui altero injuſtitiæ genere vacant; in alterum incurrunt. [7] deſerunt enim vitæ ſocietatem, quia nihil conferunt in eam ſtudii, nihil operæ, nihil facultatum. Quoniam igitur duobus generibus injuſtitiæ propoſitis adjunximus cauſas utriuſque generis, eaſque res ante conſtituimus, quibus juſtitia continetur; facile, quod cujuſque temporis officium ſit, poterimus ([8] niſi noſmetipſos valde amabimus) judicare. eſt enim difficilis cura rerum alienarum, quam

1 *Videndum eſt*] Hæc dictio hic, ut ſæpe alias, eandem vim habet, quam *verendum eſt*. *Giffan.*

2 *In veri inveſtigatione verſentur*] Epicuri dogma fuit, ſapientem non accedere ad Rempublicam. Stoici autem & poſſe, & debere, niſi quid impedierit, crediderunt. *Grav.*

3 *In alterum incidunt*] Sententia Ciceronis hæc eſt: Philoſophi alterum quidem juſtitiæ genus aſſequuntur, ne cui noceant in inferenda alteri injuria; id eſt, eo quod nemini injuriam inferant, juſti ſunt: ſed alterum juſtitiæ genus non colunt, in id peccantes, quoniam diſcendi ſtudio impediti eos non tuentur, quos tueri debent. *Lambin.*

4 *Voluntarium*] Multum refert, quo animo aliquis quid gerat, ſuſcipiatque. Diſtinguunt enim Ethici inter *honeſtum*, & *honeſte* agere. Qui ſuum alteri tribuit, *honeſtum* agit; non autem *honeſte*, ſi contra ſuam voluntatem, aut per vim legum coactus.

5 *Odio quodam hominum*] Quo morbo laboravit Timon Athenienſis, qui Μισάνθρωπος nuncupatus eſt.

6 *Suum ſe negotium agere*] Nullas aliorum res curare, utpote à ſe prorſus alienas.

7 *Deſerunt enim vitæ ſocietatem*] Rerum enim, & officiorum communicatione ſervatur ſocietas, ſublata tollitur.

8 *Niſi noſmetipſos valde amabimus*] Id eſt, Quid noſtri ſit officii in alienis negotiis pro diverſitate temporum, facile videbimus, niſi quietis noſtræ, commodorumque nimis ſtudioſi, moleſtiam, ſumptumve alterius cauſa ſuſcipere nollimus. *Grav.*

quam

quam Terentianus ille Chremes [1] humani nihil à ſe alienum putat. Sed tamen, quia magis ea percipimus, atque ſentimus, quæ nobis ipſis aut proſpera, aut adverſa eveniunt, quàm illa, quæ cæteris; quæ quaſi longo intervallo interjecto videmus; aliter de illis, ac de nobis judicamus. Quocirca bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, æquum ſit, an iniquum. Æquitas enim lucet ipſa per ſe: [2] dubitatio cogitationem ſignificat injuriæ.

10. [3] Sed incidunt ſæpe tempora, cum ea, quæ maxime videntur digna eſſe juſto homine, eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria: ut reddere depoſitum, promiſſum facere, quæque pertinent ad veritatem, & ad fidem, [4] ea migrare interdum, & non ſervare, ſit juſtum. Referri enim decet ad ea, quæ propoſui in principio, fundamenta juſtitiæ; primum, ut ne cui noceatur: deinde, ut communi utilitati ſerviatur. [5] ea cum tempora commutantur, commutatur officium, & non ſemper eſt idem. poteſt enim accidere promiſſum aliquod, & [6] conventum, ut id effici ſit inutile vel ei, cui promiſſum ſit, vel [7] ei, qui promiſerit. Nam ſi (ut in fabulis eſt) Neptunus, quod Theſeo promiſerat, non feciſſet, Theſeus filio Hippolyto non eſſet orbatus. Ex tribus enim optatis (ut ſcribitur) hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit: quo impetrato [8] in maximos luctus incidit. Nec promiſſa igitur ſervanda ſunt ea, quæ ſint iis, quibus

1 *Humani nihil à ſe alienum*] Putat ad ſe, ſuamque curam pertinere aliorum hominum curas, moleſtias, negotia. Sic huncce verſum intelligendum eſſe non ſolum ex ipſo Comico patet, ſed & hoc Ciceronis loco. *Grav.* Inepta eſt ſententia vulgo huic verſui aſcripta, quaſi omnibus humanis infirmitatibus, & erroribus obnoxium ſeſe fateatur Terentianus ille Chremes.

2 *Dubitatio cogitationem ſignificat injuriæ*] Si quis enim facit, quod, an æquum ſit, dubitat, apparet eum ab inferenda injuria non ſatis abhorrere, ſuamque cupiditatem juſtitiæ anteponere. *Grav.*

3 *Sed incidunt*] Pro temporum, circumſtantiarumque ratione officii quoque mutatur conditio.

4 *Ea migrare*] Ea, quæ per ſe juſta ſunt, interdum tranſilire, negligere, ſeu violare juſti, bonique eſt officium. *Lamb.*

5 *Ea cum tempora*] Quando tales occurrunt circumſtantiæ, ut promiſſa juſtitiæ fundamentis repugnent, tum demum mutatur officium, neque ſervanda eſt promiſſio.

6 *Conventum*] Vox denotat duorum, pluriumve contractum.

7 *Ei, qui promiſerit*] Si promittenti plus nocet, quam ei prodeſt, cui promiſerat. *Grav.*

8 *In maximos luctus incidit*] Poſtquam cognoverat, fatente Phædra, filium de ſtupro novercæ oblato falſo accuſatum eſſe.

pro-

promiſeris, inutilia: nec, ſi plus tibi noceant, quam illi profint, cui promiſeris. Contra officium eſt, majus non anteponi minori: ut, ſi conſtitueris te cuipiam advocatum in rem præſentem eſſe venturum, atque interim graviter ægrotare filius cœperit, [1] non ſit contra officium, non facere, quod dixeris: magiſque ille, cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutum queratur. Jam [2] illis promiſſis ſtandum non eſſe, quis non videt, quæ coactus quis metu, quæ deceptus dolo promiſerit? quæ quidem pleraque [3] jure prætorio liberantur, nonnulla legibus. Exiſtunt etiam ſæpe injuriæ calumnia quadam, & nimis callida, ſed malitioſa juris interpretatione. Ex quo illud, [4] ſummum jus, ſumma injuria, factum eſt jam tritum ſermone proverbium. Quo in genere etiam in rep. multa peccantur: ut ille, qui, cum triginta dierum eſſent cum hoſte pactæ induciæ, nocte populabatur agros, quod dierum eſſent pactæ, non noctium induciæ. Nec noſter quidem probandus, ſi verum eſt, Q. Fabium Labeonem, ſeu quem alium (nihil enim præter auditum habeo) arbitrum Nolanis, & Neapolitanis de finibus à ſenatu datum, cum ad locum veniſſet, cum utriſque ſeparatim locutum, ne cupide quid agerent, ne appetenter; atque ut regredi, quam progredi mallent. Id cum utrique feciſſent, aliquantum agri in medio relictum eſt. Itaque illorum fines, ſicut ipſi dixerant, terminavit: in medio relictum quod erat, populo Romano adjudicavit. decipere hoc quidem eſt, non judicare; quocirca in omni re fugienda eſt talis ſolertia.

1 *Non ſit contra officium, non facere*] Quia filium ægrotum fovere majus eſt officium, quam amico cuipiam advocatum venire.

2 *Illis promiſſis ſtandum non eſſe*] Si quis præ metu, aut dolo deceptus aliquid promiſerit, tale promiſſum non obligat conſcientiam. Si autem promiſſum jurejurando fuerit firmatum, ſervandum id eſſe contendit Grotius Lib. III. de Jure Belli, & Pacis C. 19. Sect. 5. quia tum homo non homini tantum, ſed etiam Deo obſtringitur. Quæ res inter Juriſconſultos, Theologoſque controverſa eſt.

3 *Jure Prætorio liberantur*] Per prætores in integrum reſtituuntur. Jus prætorium, & leges opponuntur. Leges enim proprie Romanis dicebantur, quæ ſuffragiis populi ferebantur. Nihil autem erat jus prætorium, quam edicta prætorum. Quilibet prætor, cum iniret magiſtratum, proponebat edictum, ex edictis deceſſorum ſuorum in id transferens, quod juſtum, & æquum putabat, nova etiam interponebat, veteribus repudiatis. *Grav.*

4 *Summum jus, ſumma injuria*] Hoc proverbium ſpectat ad legis verba rigide obſervata, & non moderatione quadam propter circumſtantiarum rationem mitigata, adhibita æquitate, tanquam Municipalis juris correctione.

11. Sunt autem quædam officia etiam adversus eos servanda, à quibus injuriam acceperis. Est enim ulciscendi, & puniendi modus. atque [1] haud scio, an satis sit, eum, qui lacessierit, injuriæ suæ pœnitere: ut & ipse ne quid tale posthac, & cæteri sint ad injuriam tardiores. Atque in rep. maxime conservanda sunt jura belli. Nam cum sint duo genera decertandi; unum per disceptationem, alterum per vim: cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore. Quare suscipienda quidem bella sunt ob eam causam, [2] ut sine injuria in pace vivatur. parta autem victoria, conservandi sii, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt: ut majores nostri Tusculanos, Æquos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt: at Carthaginem, & Numantiam funditus sustulerunt. nollem Corinthum: sed [3] credo aliquid secutos, opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari. Mea quidem sententia, paci, quæ nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. In quo [4] si mihi esset obtemperatum, etsi non optimam, at aliquam rempub. quæ nunc nulla est, haberemus. Et cum iis, quos vi deviceris, consulendum est, tum ii, qui, armis positis, ad imperatorum fidem confugient, [5] quamvis murum aries percusserit, recipiendi sunt. in quo tantopere apud nostros justitia culta est, ut ii, qui civitates, aut nationes devictas bello in fidem recepissent, [6] earum patroni essent, more majorum. Ac belli quidem æquitas sanctissime [7] fœciali populi Romani

1 *Haud scio, an satis sit*] Id est, Parum abest, quin existimem satis esse. *Manut.*

2 *Ut sine injuria in pace vivatur*] Bellum enim pacis securæ causa suscipitur. *Rachel.*

3 *Credo aliquid secutos*] Excusat Tullius Romanos, quod Corinthum everterint non crudelitate impulsi, sed aliam aliquam rationem secuti, maxime autem loci opportunitatem. *Fabrit.*

4 *Si mihi esset obtemperatum*] Cicero multis epistolis ad Cæsarem, & Pompeium scriptis bellum civile dehortatus est; cujus tamen consilium neutiquam secuti sunt.

5 *Quamvis murum aries percusserit*] De officiis erga dedititios agit Cicero, negatque observandum jus illud summum belli, ut si oppidani, admotis jam machinis, & arietibus, sese dediderint, non reciperentur, nisi direpto oppido, quasi esset vi expugnatum. Quod veteres in ariete observavere, id hodie nos bombarda tenemus.

6 *Earum patroni essent*] Eas & in senatu, & in judiciis defenderent, earumque curam haberent. *Manut.*

7 *Fœciali*] Romani veteres non, nisi consulto fœcialium collegio ad id instituto, bella suscipiebant; ut, si quid esset, quod religionem posset injicere,

ejus

jure perſcripta eſt. Ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante ſit, & indictum. Popillius imperator tenebat provinciam: in cujus exercitu Catonis filius tyro militabat. Cum autem Popillio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimiſit. Sed, cum amore pugnandi in exercitu remanſiſſet, Cato ad Popillium ſcripſit, ut, ſi eum pateretur in exercitu remanere, ſecundo eum obligaret militiæ ſacramento: quia, priore amiſſo, jure cum hoſtibus pugnare non poterat. Adeo ſumma erat obſervatio in bello movendo. Marci quidem Catonis ſenis epiſtola eſt ad M. filium, in qua ſcripſit, ſe audiſſe, eum miſſum factum eſſe à conſule, cum in Macedonia [1] Perſico bello miles eſſet. Monet igitur, ut caveat, ne prœlium ineat. negat enim jus eſſe, qui miles non ſit, pugnare cum hoſte.

12. Equidem illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante. Hoſtis enim apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. indicant [2] duodecim tabulæ: [3] aut ſtatus dies cum hoſte. Itemque: [4] adverſus hoſtem æterna auctoritas. Quid ad hanc manſuetudinem addi poteſt? eum, quicum bella geras, tam molli nomine appellari? Quanquam id nomen durius jam effecit [5] vetuſtas. à peregrino enim jam receſſit, & proprie in eo, qui arma contra ferret, remanſit. Cum vero de imperio decertatur, belloque quæritur gloria, cauſas omnino ſubeſſe tamen oportet eaſdem, quas dixi paulo ante juſtas cauſas eſſe bellorum. Sed ea bella, quibus imperii

ejus monerentur. Fœciales ſcilicet erant fœderum, pacis, belli, inducianum judices.

1 *Perſico Bello*] Bellum Perſicum hoc loco denotat, non cum Perſis geſtum, ſed cum Perſeo Macedonum rege.

2 *Duodecim tabulæ*] Corpus antiquarum legum Romanarum, fons omnis publici, privatique juris, ſecundum Livium.

3 *Aut ſtatus dies cum hoſte*] Sic Feſtus: ſtatus dies vocatur, qui judicii cauſa eſt conſtitutus cum hoſte, id eſt, peregrino. Prætor enim Romanus de cauſis peregrinorum dicebat.

4 *Adverſus hoſtem æterna auctoritas*] Id eſt, Nullus peregrinus civis Romani bona quantumvis diuturno uſu acquirere, & uſu capere poteſt: ſed jus dominii integrum, & inviolatum perpetuo manet. *Manus.* Verba legis ex 12 Tab. excerpta.

5 *Vetuſtas*] Id eſt, Longi temporis uſus.

gloria propoſita eſt, minus acerbe gerenda ſunt. Ut enim cum civi aliter contendimus, ſi eſt inimicus, aliter, ſi competitor; cum altero certamen honoris, & dignitatis eſt: cum altero capitis, & famæ. ſic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum, ut cum inimicis gerebatur, uter eſſet, non uter imperaret; cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur. Pœni fœdifragi, crudelis Hannibal, reliqui juſtiores. Pyrrhi quidem de captivis reddendis illa præclara:

Nec mi aurum poſco, nec mi pretium dederitis,
[1] Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes,
Ferro, non auro [2] vitam cernamus utrique,
[3] Voſne velit, an me regnare hera; quidve ferat fors,
Virtute experiamur. & hoc ſimul accipe dictum:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum eſt:
Dono, ducite, doque, volentibus cum magnis diis.

Regalis ſane, & digna Æacidarum genere ſententia.

13. Atque etiam, ſi quid ſinguli, [4] temporibus adducti, hoſti promiſerint, eſt in eo ipſo fides conſervanda: ut primo Punico bello Regulus captus à Pœnis, cum de captivis commutandis Romam miſſus eſſet, juraſſetque ſe rediturum, primum, ut venit, captivos reddendos in ſenatu non cenſuit: deinde, cum retineretur à propinquis, & ab amicis, [5] ad ſupplicium redire maluit, quam fidem hoſti datam fallere. [[6] *Secundo autem Punico bello poſt Cannenſem pugnam, quos decem Hannibal Romam adſtrictos miſit jure-*

1 *Nec cauponantes bellum*] Pyrrhus rex Epirotarum his Ennii verſibus oſtentat, ſe non quæſtus, lucrique gratia cum Romanis bellum gerere, ſed regni tantum, gloriæque cupiditate. Idcirco ſe nolle ab illis pretium pro captivis, quos gratis liberavit, accipere. Non enim ſe *cauponari bellum*, hoc eſt, lucrum in bello ſectari, ſed ſimpliciter bellum gerere. *Salmas.*

2 *Vitam cernamus*] Is *vitam cernit*, qui eam in diſcrimen adducit, & de ea diſceptare paratur. *Turneb.*

3 *Voſne velit*] Id eſt, Experiamur, num vos, an me ſuperiorem fore decernat domina Fortuna, quidve ferat illa, ſeu quem ſucceſſum res ſint habituræ.

4 *Temporibus adducti*] Id eſt, Aliqua difficultate coacti.

5 *Ad ſupplicium*] Quod graviſſimum ſubiit vigiliis peremptus.

6 *Secundo autem*] Quæ uncis includuntur, in unico Parcenſi exemplari reperiuntur. An Ciceronis ſint, non contendo. *Lang.*

jurando

juraudo ſe redituros eſſe, niſi de redimendis iis, qui capti erant, impetraſſent: eos omnes cenſores, quoad quiſque eorum vixit, qui pejeraſſent, in ærariis reliquerunt: nec minus illum, qui juris jurandi fraude culpam invenerat. Cum enim Hannibalis permiſſu exiſſet de caſtris, redit paulo poſt, quod ſe oblitum neſcio quid diceret. Deinde egreſſus è caſtris, jurejurando ſe ſolutum putabat: & erat verbis, re non erat. Semper autem in fide, quid ſenſeris, non quid dixeris, cogitandum. Maximum autem exemplum eſt juſtitiæ in hoſtem à majoribus noſtris conſtitutum. Cum à Pyrrho perfuga ſenatui eſt pollicitus, ſe venenum regi daturum, & eum necaturum: ſenatus, & C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit. Ita ne hoſtis quidem, & potentis, & bellum ultro inferentis, interitum cum ſcelere approbavit.] Ac de bellicis quidem officiis ſatis dictum eſt. Meminerimus autem etiam [1] adverſus infimos juſtitiam eſſe ſervandam. Eſt autem infima conditio, & fortuna ſervorum: quibus non male præcipiunt, qui ita jubent uti, ut mercenariis: operam exigendam, [2] juſta præbenda. Cum autem duobus modis, id eſt, aut vi, aut fraude fiat injuria; fraus, quaſi vulpeculæ, vis, leonis videtur: utrumque homine alieniſſimum: ſed fraus odio digna majore. Totius autem injuſtitiæ [3] nulla capitalior eſt, quam eorum, qui cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni eſſe videantur. De juſtitia ſatis dictum eſt.

14. Deinceps, ut erat propoſitum, de beneficentia, ac liberalitate dicatur, qua quidem nihil eſt naturæ hominis accommodatius; ſed [4] habet multas cautiones. Videndum eſt enim primum, [5] ne obſit benignitas & iis ipſis, quibus

1 *Adverſus infimos*] Hactenus de jure civili, & bellico dixit Cicero. Sed ne partem aliquam hominum relinquat intactam, nunc agit de jure œconomico, & de officiis juſtitiæ, quæ in ſervos obſervanda ſunt.

2 *Juſta*] Victum, veſtitum, & quæcunque more, merito, & quaſi jure quodam tribuuntur. *Fabrit.*

3 *Nulla capitalior eſt*] Perniciosiſſima eſt injuſtitiæ ſpecies bonum videri velle, & non eſſe. Hinc etiam Salvator noſter tantopere Phariſæos, & quos ſacri ſcriptores hypocritas vocant, deteſtatur, qui vultum, habitumque à cæteris diſſentientem peſſimis prætendebant moribus. *Grav.*

4 *Habet multas cautiones*] Opus eſt prudentia, ne in errores incidamus. Quapropter liberalitatis officium ex circumſtantiis, juſtitiaque metiri oportet.

5 *Ne obſit benignitas*] Sic Seneca: *Sunt quædam impetrantibus nocitura, quæ non dare, ſed negare, beneficium eſt.* Qui autem contrarium faciunt, nequaquam benefici dici poſſunt: ſicut ii,

qui

benigne videbitur fieri, & cæteris: deinde, ne major benignitas ſit, quam facultates: tum, ut pro dignitate cuique tribuatur. [1] Id enim eſt juſtitiæ fundamentum, ad quam hæc referenda ſunt omnia. Nam & qui gratificantur cupiam, quod obſit illi, [2] cui prodeſſe velle videantur, non benefici, neque liberales, ſed pernicioſi aſſentatores judicandi ſunt: & qui aliis nocent, ut in alios liberales ſint, in eadem ſunt injuſtitia, ut ſi in ſuam rem aliena convertant. Sunt autem multi, & quidem cupidi ſplendoris, & gloriæ, qui [3] eripiunt aliis, quod aliis largiantur. Hique arbitrantur ſe beneficos in ſuos amicos viſum iri, ſi locupletent eos quacunque ratione. Id autem tantum abeſt officio, ut nihil magis officio poſſit eſſe contrarium. Videndum eſt igitur, ut ea liberalitate utamur, quæ proſit amicis, noceat nemini. Quare L. Syllæ, & C. Cæſaris pecuniarum tranſlatio [4] à juſtis dominis ad alienos, non debet liberalis videri. Nihil eſt enim liberale, quod non idem juſtum. Alter erat locus cautionis, ne benignitas major eſſet, quam facultates: quod, qui benigniores volunt eſſe, quam res patitur, primum in eo peccant, quod [5] injurioſi ſunt in proximos. quas enim copias his & ſuppeditari æquius eſt, & relinqui, eas transferunt ad alienos. Ineſt autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi, & auferendi per injuriam, ut ad largiendum ſuppetant copiæ. [6] Videre etiam licet pleroſque non tam natura liberales, quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur facere multa, quæ proficiſci

qui pecuniam prodigis donant, quod illos in obliquo vitæ curſu pergere hortatur.

1 *Id enim eſt*] Hæc verba ad cautionem primam referri videntur: quaſi dixerat, Hoc eſt primum juſtitiæ fundamentum, ut beneficentia noſtra nemini noceat. Nihil ſiquidem eſt beneficum, aut liberale, niſi quod regulis juſtitiæ conſonat.

2 *Cui prodeſſe velle videantur*] Vel ob auram popularem, vel quod majorem remunerationem expectent. *Manut.*

3 *Eripiunt aliis, quod aliis largiantur*] Qualis Catilina, alieni rapax, ſui proſuſus. *Idem.* Talis perverſa fuit liberalitas Caligulæ, Neronis, & Domitiani. *Grav.*

4 *A juſtis dominis*] Ab iis, qui opes illas vel à majoribus acceperunt, vel propria induſtria ſibi peperere. *Manut.*

5 *Injurioſi ſunt in proximos*] Qui inconſulta prodigalitate res ſuas profundunt, proximis, hoc eſt, uxoribus, liberis, cæteriſque cognatis, injuriam faciunt, quia his neceſſaria vitæ præſidia maxime debentur. *Grav.* Exigit humanæ ſocietatis ratio, ut ſecundum gradus propinquitatis erogemus, & proximioribus primum beneficiamus. *Maturant.*

6 *Videre etiam licet*] Plerique, non natura liberales, ſed gloriæ cupiditate ducti largiuntur: quorum beneficentia ventoſa quædam eſt jactantia. *Idem.*

ab

ab oſtentatione magis, quam à voluntate videantur. Talis autem ſimulatio vanitati eſt conjunctior, quam aut liberalitati, aut honeſtati. Tertium eſt propoſitum, ut in beneficentia [1] delectus eſſet dignitatis: in quo & [2] mores ejus erunt ſpectandi, in quem beneficium conferetur, & animus erga nos, & communitas, ac ſocietas vitæ, & ad noſtras utilitates [3] officia ante collata: quæ ut concurrant omnia, optabile eſt: ſin minus, plures cauſæ, [4] majoreſque ponderis plus habebunt.

15. Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus, pleneque ſapientibus, ſed cum iis, [5] in quibus præclare agitur, ſi ſunt ſimulacra virtutis; etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino eſſe negligendum, in quo aliqua ſignificatio virtutis appareat: colendum autem eſſe ita quemque maxime, ut quiſque maxime his virtutibus lenioribus erit ornatus, modeſtia, temperantia, hac ipſa, de qua jam multa dicta ſunt, juſtitia. Nam fortis animus, & magnus in homine non perfecto, nec ſapiente [6] ferventior plerumque eſt: illæ virtutes virum bonum videntur potius attingere. Atque hæc in moribus. De benevolentia autem, quam quiſque habeat erga nos, primum illud eſt in officio, ut [7] ei plurimum tribuamus, à quo plurimum diligimur: ſed benevolentiam non [8] adoleſcentulorum more, ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate potius, & conſtantia judicemus. Sin erunt merita, ut non ineunda, ſed referenda ſit gratia, major quædam cura adhibenda eſt. Nullam enim officium referenda gratia magis neceſſarium eſt. Quod ſi ea, quæ utenda acceperis, majore menſura (ſi modo poſſis) jubet reddere Heſiodus: quidnam beneficio provocati facere de-

1 *Delectus eſſet dignitatis*] Id eſt, Ut dignior indigniori anteponatur. *Manut.*

2 *Mores erunt ſpectandi*] Dandum eſt ſcilicet bonis, honeſtis, ac virtutis ſtudioſis, non improbis, helluonibuſve.

3 *Officia ante collata*] Alterius beneficiorum nos decet eſſe memores. Ingratitudine enim nullum vitium deteſtabilius eſt. *Maturant.*

4 *Majores*] Major cauſa eſt, ut ſanguine conjunctis prius, quam alienis beneficiamus; civibus, quam exteris. *Idem.*

5 *In quibus præclare agitur*] Ordo, & ſententia verborum perſpicua eſt, nempe hæc: Vivitur cum iis hominibus, in quibus ſi inſunt ſimulacra virtutis, præclare agitur. *Fabric.*

6 *Ferventior*] Nimis incitata, & ad temeritatem accedens.

7 *Ei plurimum tribuamus*] Qui nos amat, à nobis viciſſim ametur. *Grav.*

8 *Adoleſcentulorum more*] Qui affectu potius, quam ratione, & judicio reguntur. *Maturant.*

bemus?

bemus? an imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt, quam acceperunt? Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre; quales in eos esse debemus, qui jam profuerunt? Nam cum duo genera liberalitatis sint, unum dandi beneficii, alterum reddendi: demus, necne, in nostra potestate est: non reddere viro bono non licet, modo id facere possit sine injuria. Acceptorum autem beneficiorum sunt delectus habendi. Nec dubium, quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen in primis, quo quisque animo, studio, benevolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim faciunt multa temeritate quadam, [1] sine judicio, vel [2] morbo, in omnes, vel repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati: quæ beneficia æque magna non sunt habenda, atque ea, quæ judicio, considerate, constanterque delata sunt. [3] Sed in collocando beneficio, & in referenda gratia (si [4] cætera paria sint) hoc maxime officii est, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari: quod contra fit à plerisque. A quo enim plurimum sperant, etiamsi ille his non eget, tamen [5] ei potissimum inserviunt.

16. Optime autem societas hominum, conjunctioque servabitur, si, ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed quæ natura principia sint communitatis, & societatis humanæ, repetendum altius videtur. est enim primum, quod cernitur in universi generis humani societate. ejus autem vinculum est, ratio, & oratio, quæ docendo, discendo, [6] communicando, disceptando, judicando, conciliat inter se homines, conjungitque naturali quadam societate. [7] Neque ulla re longius absumus à

1 *Sine judicio*] Quoniam tam hunc, quam illi erogant, nec ullum habent personarum delectum. *Maturant.*

2 *Morbo*] Morbus est animi vitium inveteratum, quod evelli difficile sit, quale in prodigis opum perditio. *Gruterus.*

3 *Sed in collocando*] Vult Cicero liberalitatem nostram non debere mercenariam esse, sed gratuitam. Ait enim, iis maxime dandum esse (cæteris paribus) qui indigent, & à quibus beneficium referendum non speramus.

4 *Si cætera paria sint*] Si par sit amicitia, virtus, necessitudo, officia ante collata, inter eos, quibus benefaciendum est. *Manut.*

5 *Ei potissimum inserviunt*] Quæ mercatura potius, quam liberalitas, appellanda est. *Idem.*

6 *Communicando*] Impartiendo necessaria, vel consilia conferendo. *Idem.*

7 *Neque ulla re*] Nihil est, quod magis homines à brutis disjungit, quam ratio, & discursus. Multa enim communia illis nobiscum sunt; ut sensus, appetitus, procreandi voluptas. In multis etiam nos superant; ut robore, celeri-

natura ferarum, in quibus ineſſe fortitudinem ſæpe dicimus, ut in equis, in leonibus: juſtitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus. Sunt enim rationis, & orationis expertes. Ac latiſſime quidem patens hominibus inter ipſos, omnibus inter omnes, ſocietas hæc eſt: in qua omnium rerum, quas ad communem hominum uſum natura genuit, eſt ſervanda communitas: ut quæ deſcripta ſunt legibus, & jure civili, hæc ita teneantur, ut ſit conſtitutum: [1] è quibus ipſis cætera ſic obſerventur, ut in Græcorum proverbio eſt: Amicorum eſſe [2] omnia communia. Omnia autem communia hominum videntur ea, quæ ſunt generis ejus, quod ab Ennio poſitum in una re transferri in permultas poteſt:

Homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit:
Nihilominus [3] *ipſi lucet, cum illi accenderit.*

Una ex re ſatis præcipit, ut, quidquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo ſunt illa communia: [4] non prohibere aqua profluente; pati ab igne ignem capere, ſi quis velit; [5] conſilium fidele deliberanti dare; quæ ſunt iis utilia, qui accipiunt, danti non moleſta. Quare & his utendum eſt, & ſemper aliquid ad communem utilitatem afferendum. [6] Sed quoniam copiæ parvæ ſingulorum ſunt, eorum autem, qui his egeant, infinita eſt multitudo, vulgaris liberalitas referenda eſt ad illum Ennii fi-

celeritate. Juſtitia vero, æquitate, bonitate carent, quæ hominibus propria ſunt ratione utentibus. *Maturat.*

1 *E quibus ipſis*] Quædam etiam ex iis, quæ legibus, & jure civili privata ſunt, in communem utilitatem debent afferri. *Idem.*

2 *Omnia communia*] Non quoad jus poſſeſſionis, ſed quoad communicationem uſus.

3 *Ipſi lucet*] Nihil ipſi decedit. Sicut nec tunc, cum erranti etiam ignoto comiter viam monſtrat. Hic eſt enim Ennii finis, ut ſine ejus, qui faciat, incommodo fiat officium. *Lang.*

4 *Non prohibere aqua profluente*] Non arcere à flumine per agrum tuum fluente eum, qui haurire velit. Quantumvis enim aquæ hauſerit alius, tibi ſatis remanebit.

5 *Conſilium fidele*] Hoc quoque conſultanti dandum eſt gratis: quod cum datur, illius, qui dat, prudentia non minuitur, imo magis augetur. *Matur.*

6 *Sed quoniam*] Cum impoſſibile ſit omnibus benefacere, ita aliis beneficiendum eſt, ut nobis nihil deſit. Qui enim nihil ipſi ad vitam ſuſtentandam relinquit, is à liberalitate diſcedens nuncupatur prodigus. *Idem.*

nem, Nihilominus ipſi lucet: ut facultas ſit, qua in noſtros ſimus liberales.

17. Gradus autem plures ſunt ſocietatis hominum. Ut enim [1] ab infinita illa diſcedatur, propior eſt ejuſdem gentis, nationis, linguæ, qua maxime homines conjunguntur: interius etiam eſt, ejuſdem eſſe civitatis. Multa enim ſunt civitatibus inter ſe communia, forum, fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia, ſuffragia, conſuetudines præterea, & familiaritates, multiſque cum multis res, rationeſque contractæ. Arctior vero colligatio eſt ſocietatis propinquorum. ab illa enim immenſa ſocietate humani generis in exiguum, anguſtumque concluditur. nam cum ſit hoc natura commune animantium, ut habeant lubidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo conjugio eſt: proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia. Id autem eſt principium urbis, & quaſi ſeminarium reipublicæ. Sequuntur fratrum conjunctiones: poſt conſobrinorum, ſobrinorumque, qui cum una domo jam capi non poſſint, in alias domos, tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio, & ſoboles, origo eſt rerumpublicarum. Sanguinis autem conjunctio, & benevolentia devincit homines caritate. Magnum eſt enim eadem habere [2] monumenta majorum, [3] iiſdem uti ſacris, ſepulchra habere communia. Sed omnium ſocietatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior, quam cum [4] viri boni, moribus ſimiles, ſunt familiaritate conjuncti. Illud enim honeſtum (quod ſæpe dicimus) etiam ſi in alio cernimus, tamen nos movet, atque illi, in quo id ineſſe videtur, amicos facit. Et quanquam omnis virtus nos ad ſe alliciat, faciatque, ut eos diligamus, in quibus ipſa ineſſe videatur; tamen [5] juſtitia, & liberalitas id maxime efficit.

1. *Ab infinita*] Ab immenſa ſcilicet illa ſocietate, qua omnes omnibus inter ſe ratione & oratione conjunguntur. *Manut.*

2. *Monumenta majorum*] Nempe ſtatuas, trophæa, & majorum imagines, quæ poſteros virtutis avitæ admoneant, in honorem familiæ per omne ævum conſervata.

3. *Iiſdem uti ſacris*] Erant apud Romanos non ſolum publica civitatis, ſed etiam privata cujuſque familiæ ſacrificia. Unde apud Livium: *Statum genti Fabiæ ſacrificium.*

4. *Viri boni*] Hinc Stoicorum dogma eſt, ſolos bonos, ſapientesque amicos eſſe, inter alios homines nullam eſſe amicitiam. *Græv.*

5. *Juſtitia, & liberalitas id maxime efficit*] Quia juſti, & liberales non ſuum, ſed

nihil autem eſt amabilius, nec copulatius, quam [1] morum ſimilitudo bonorum. In quibus enim eadem ſtudia ſunt, eædemque voluntates, in his fit, ut æque quiſque altero delectetur, ac ſe ipſo; efficiturque id, quod [2] Pythagoras ultimum in amicitia putavit, ut unus fiat ex pluribus. Magna etiam illa communitas eſt, quæ conficitur ex beneficiis ultro citro datis acceptis: quæ & mutua, & grata dum ſunt, inter quos ea ſunt, firma devinciuntur ſocietate. Sed cum omnia ratione, animoque luſtraris, omnium ſocietatum nulla eſt gravior, nulla carior, quam ea, quæ cum rep. eſt unicuique noſtrum: cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: ſed omnes omnium caritates patria una complexa eſt: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? [3] Quo eſt deteſtabilior iſtorum immanitas, qui laceraruntomni ſcelere patriam, & in ea funditus delenda occupati [4] & ſunt, & fuerunt. Sed ſi contentio quædam, & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii, [5] principes ſint patria, & parentes, quorum beneficiis maximis obligati ſumus: proximi liberi, totaque domus, quæ ſpectat in nos ſolos, neque aliud ullum poteſt habere perfugium: deinceps bene convenientes propinqui, quibuſcum etiam communis plerumque fortuna eſt. Quamobrem neceſſaria præſidia vitæ debentur ils maxime, quos ante dixi: vita autem, victuſque communis, conſilia, ſermones, cohortationes, conſolationes, interdum etiam [6] objurgationes in amicitiis vi-

ſed alienum agunt negotium; & nemini nocent, ſed omnibus, quoad poſſunt, utiles ſiunt. *Idem.*

1 *Morum ſimilitudo*] Unuſquiſque, utpote ſibi proximus, ſeipſum maxime amat, ſuamque indolem, vitæque curſum ſummopere comprobat. Quandocunque igitur aliquis alteri occurrit eodem ingenio, iiſdemque moribus prædito, exhibetur ſtatim alter idem, quem non minus, quam ſeipſum diligit. Adeo verum eſt Axioma, *ſimile gaudet ſimili.*

2 *Pythagoras ultimum in amicitia putavit*] Primum, ſummum, omnibuſque numeris abſolutum. Sic apud Virgilium:

Tu ſanguinis ultimus auctor,

id eſt, primus. Pythagoras dixit amicitiam eſſe unam animam in duobus corporibus habitantem.

3 *Quo eſt deteſtabilior*] Quo plus etenim patriæ debuerunt, eo immaniores lacerando evaſerunt.

4 *Sunt, & fuerunt*] Prior vox Triumviros, Octavium, Antonium, Lepidumque, poſterior J. Cæſarem jam mortuum carpit.

5 *Principes ſint patria, & parentes*] Patria parentibus ſemper anteferenda eſt. Parentum enim ſalus de patriæ incolumitate dependet.

6 *Objurgationes*] Quas ſapientiſſimus Eccleſiaſtes diſerte vocat *amici vulnera fidelia.*

gent maxime: eſtque ea jucundiſſima amicitia, quam ſimilitudo morum conjugavit.

18. Sed in his omnibus officiis tribuendis videndum erit, quid cuique maxime neceſſe ſit, & quid quiſque vel ſine nobis [1] aut poſſit conſequi, aut non poſſit. Ita non iidem erunt neceſſitudinum gradus, qui temporum; ſuntque officia, quæ aliis magis, quam aliis debeantur: ut [2] vicinum citius adjuveris in fructibus percipiendis, quam aut fratrem, aut familiarem. at, ſi lis in judicio ſit, propinquum potius, & amicum, quam vicinum defenderis. Hæc igitur, & talia circumſpicienda ſunt in omni officio: & conſuetudo, exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores officiorum eſſe poſſimus, & addendo, deducendoque videre, [3] quæ reliqui ſumma fiat: ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas. Sed ut nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine uſu, & exercitatione conſequi poſſunt: ſic officii conſervandi præcepta traduntur illa quidem, [4] ut facimus ipſi: ſed rei magnitudo uſum quoque, exercitationemque deſiderat. Atque ab iis rebus, quæ ſunt in jure ſocietatis humanæ, quemadmodum ducatur honeſtum, ex quo [5] aptum eſt officium, ſatis fere diximus.

Intelligendum eſt autem, cum propoſita ſint genera quatuor, è quibus [6] honeſtas, officiumque manaret, ſplendidiſſimum videri, quod animo [7] magno, elatoque, [8] humanaſque res deſpiciente factum ſit. Itaque in probris maximè in promptu eſt, ſi quid tale dici poteſt:

1 *Aut poſſit conſequi, aut non poſſit*] Levanda ſcilicet honeſta innocuorum paupertas. Sin prodigis, aut inertibus detur, augeſcet ſocordia. *Grav.*

2 *Vicinum citius adjuveris*] Vicinis operam in metendo commodare, priuſquam fratri, aut propinquo, convenit, quia hoc videtur officium vicinitati maxime proprium, quod ad amicitiam, aut propinquitatem parum pertinet.

3 *Quæ reliqui ſumma fiat*] Id eſt, Quantum relinquatur deductis, quæ oportuit, additiſque. *Eraſm.*

4 *Ut facimus ipſi*] In his libris ſcilicet, in quibus officiorum præcepta tradimus. *Guilielm.*

5 *Aptum*] Cicero *aptus* capit pro eo, quod vulgo dicimus, adeptus, compoſitus, exornatus. *Lang.*

6 *Honeſtas, officiumque*] Alia enim ſunt officia, non ab honeſtate, ſed utilitate ducta, quæ media dicuntur. *Grav.*

7 *Magno, elatoque*] Id eſt, Magnas res appetente: non humili, & abjecto, ſed erecto, & alte ſpectanti. *Elatum* enim in bonam partem accipiendum eſt. *Manut.*

8 *Humanas res deſpiciente*] Fortuitas ſcilicet, & externas, Fortunæque ludibria. *Idem.*

Vos

[1] *Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem; Illa virago viri.*

Et si quid ejusmodi:

[2] *Salmaci, da spolia sine sudore, & sanguine.*

Contraque in laudibus, quæ magno animo, & fortiter, excellenterque gesta sunt, ea (nescio quomodo) quasi plenio-re ore laudamus. Hinc rhetorum campus de [3] Marathone, Salamine, Platæis, Thermopylis, Leuctris. hinc noster Cocles, hinc Decii, hinc Cn. & Pub. Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabilesque alii: maximeque ipse populus Romanus animi magnitudine excellit. Declaratur autem studium bellicæ gloriæ, quod statuas quoque videmus ornatu fere militari.

19. [4] Sed ea animi elatio, quæ cernitur in periculis, & laboribus, si justitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est. non enim modo id virtutis non est, sed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Itaque probe definitur à Stoicis fortitudo, cum eam virtutem esse dicunt propugnantem pro æquitate. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est insidiis, & malitia laudem est adeptus. nihil enim honestum esse potest, quod justitia vacat. Præclarum igitur Platonis illud: non solum, inquit, scientia, quæ est remota à justitia, calliditas potius, quam sapientia est appellanda: verum etiam animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ

1 *Vos etenim juvenes*] Versus est Ennianus, in quo juvenes Romanos ignaviæ accusat poeta, quod à Cœlia virgine superarentur; quæ cum Porsennæ data esset obses, trajecto Tiberi, Romam est reversa.

2 *Salmaci, da spolia*] Versus est alter Ennianus, in vituperationem timiditatis, cum ab imbecillis, pardmque fortibus spolia petimus. Est autem Salmacis fons Thraciæ, qui potus dicitur à poetis effœminatos, & cinædos reddere: unde locus fabulæ de Hermaphrodito.

3 *Marathone, Salamine*] Loca recensentur celebertimis Athenienfium, Spartanorum, Thebanorumque victoriis nobilitata.

4 *Sed ea animi elatio*] Id est, Fortiter pugnando, & pericula subeundo, nemo fortitudinis gloriam sibi vendicet, nisi certam quandam normam observet, justitiam scilicet, & honestatem.

potius

potius nomen habeat, quam fortitudinis. Itaque vitos fortes, magnanimos, eosdem bonos, & simplices, veritatis amicos, [1] minimeque fallaces esse volumus: [2] quæ sunt ex media laude justitiæ. Sed [3] illud odiosum est, quod in hac elatione, & magnitudine animi, facillime pertinacia, & nimia cupiditas principatus innascitur. Ut enim apud Platonem est, [4] omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi, sic, ut quisque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime vult princeps omnium, vel potius solus esse. Difficile autem est, cum præstare omnibus concupieris, servare æquitatem, quæ est justitiæ maxime propria. Ex quo fit, ut neque disceptatione vinci se, nec ullo publico, ac legitimo jure patiantur. existuntque in rep. plerumque largitores, & factiosi, ut opes quam maximas consequantur, & sint vi potius superiores, quam justitia pares. Sed [5] quo difficilius, hoc præclarius. nullum est enim tempus, quod justitia vacare debeat. Fortes igitur, & magnanimi sunt habendi, non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam. Vera autem, & sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria judicat: principemque se esse mavult, quam videri. Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. Facillime autem ad res injustas impellitur, ut quisque est altissimo animo, & gloriæ cupiditate. qui locus est sane [6] lubricus, quod [7] vix invenitur, qui, laboribus susceptis, periculisque aditis, non, quasi mercedem rerum gestarum, desideret gloriam.

1 *Minimeque fallaces*] Hæc verba intelligenda sunt non absolute, quasi astutia, aut stratagemate uti nefas esset; sed sensu limitato, quatenus insidias, perfidiamque funditus evertunt.

2 *Quæ sunt ex media laude justitiæ*] Id est, Quæ sunt partes principales justitiam constituentes.

3 *Illud odiosum est*] Aliud est vitium, quod sequitur ex elatione animi, nisi moderata ratione temperata. Solet enim ab illa nasci principatus ambitio, qualis in J. Cæsare fuit.

4 *Omnem morem Lacedæmoniorum*] Id est, Lacedæmonios omni more, & instituto, & ratione sua vincendi cupiditate inflammatos esse. *Gronov.*

5 *Quo difficilius, hoc præclarius*] Quanto difficilius est, nequis animi sui magnitudine, & potentia ad injusticiam abutatur, tanto præclarius est, si quis fortitudinem, justitiamque semper copulatas habeat. *Rachel.*

6 *Lubricus*] Hoc est, in quo multi facile peccant, & labuntur. *Maturant.*

7 *Vix invenitur*] Difficile est quenquam invenire, qui sola conscientia virtutis, & recte factorum contentus sit. *Idem.*

20. Omni-

20. Omnino fortis animus, & magnus, duabus rebus maxime cernitur: quarum una [1] in rerum externarum despicientia ponitur, cum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum, decorumque sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere: nullique, neque homini, [2] neque perturbationi animi, nec fortunæ succumbere. Altera est res, ut, cum ita sis affectus animo, ut supra dixi, res geras, magnas illas quidem, & maxime utiles, sed & vehementer [3] arduas, plenasque laborum, & periculorum, cum vitæ, tum multarum aliarum rerum, quæ ad vitam pertinent. Harum rerum duarum [4] splendor omnis, & amplitudo, addo etiam utilitatem, in posteriore est: causa autem, & ratio efficiens magnos viros, est in priore. In eo enim est illud, quod excellentes animos, & humana contemnentes facit. Id autem ipsum [5] cernitur in duobus, si & solum id, quod honestum sit, bonum judices, & omni animi perturbatione liber sis. Nam & ea, quæ eximia plerisque, & præclara videntur, parva ducere; eaque ratione stabili, firmaque contemnere fortis animi, magnique ducendum est: & ea, quæ [6] videntur acerba, quæ multa, & varia in hominum vita, fortunaque versantur, ita ferre, ut [7] nihil à statu naturæ discedas, [8] nihil à dignitate sapientis, robusti animi est, magnæque constantiæ. Non est autem consentaneum, qui metu non frangatur,

1 *Rerum externarum*] Quales sunt divitiæ, honores, aut potentia, quibus magnanimi est neutiquam inservire.

2 *Neque homini, neque perturbationi*] Id est, Nullius hominis metu ab honestate deficere, vel gratia inflecti: non ad iram proclivem esse: non cujusquam opes pertimescere. *Manut.*

3 *Arduas, plenasque laborum*] Hoc autem omni fortitudini non est necessarium: quod si esset, homines obscuram, reclusamque vitam affectantes virtutem hancce nunquam adipisci possent; cujus contrarium est verum, sicut in sequentibus affirmat Cicero.

4 *Splendor omnis, & amplitudo, addo etiam utilitatem*] Tribuit splendorem, & amplitudinem, & utilitatem rebus gestis. Facta scilicet sunt oculis subjecta fidelibus: animus autem, etsi sua integritate, & altitudine beatus, non, nisi ex actionibus, ab aliis potest perspici, suo testimonio potius, quam aliorum judicio fretus. *Wolf.* Per *utilitatem* non tantum intelligit res ad utilitatem Reip. spectantes, sed sui, & suorum. *Grav.*

5 *Cernitur in duobus*] Priorem partem, despicientiam scilicet rerum externarum dividit in rectum judicium de bonis, & malis, & ἀνάλυσιν. *Grav.*

6 *Videntur acerba*] Opinione scilicet hominum imperitorum tantum, & non recte sentientium, malæ sunt calamitates. *Idem.*

7 *Nihil à statu naturæ discedas*] Status naturæ est, ut semper sine perturbatione ob res, quæ sunt extra nos, servetur æquabilitas, & tranquillitas animi, ut fato, Deique voluntati in omnibus obtemperemus. *Idem.*

8 *Nihil à dignitate sapientis*] Ne quid facias, quod non deceat sapientem, cujus non est adversis Fortunæ casibus moveri, aut secundis tolli. *Idem.*

eum

eum frangi cupiditate: nec, qui invictum ſe à labore præſtiterit, [1] vinci à voluptate. Quamobrem & hæc videnda; & pecuniæ fugienda cupiditas: nihil enim eſt tam anguſti animi, tamque parvi, quam amare divitias: nihil honeſtius, magnificentiuſque, quam pecuniam contemnere, ſi non habeas: ſi habeas, ad beneficentiam, liberalitatemque conferre. [2] Cavenda eſt etiam gloriæ cupiditas, ut ſupra dixi. [3] Eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio. Nec vero imperia expetenda, ac potius aut [4] non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam. Vacandum autem eſt omni animi perturbatione, tum cupiditate, & metu, tum etiam ægritudine, voluptate animi, & iracundia; ut tranquillitas, & ſecuritas adſit, quæ affert cum [5] conſtantiam, tum etiam dignitatem. Multi autem & ſunt, & fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes, à negotiis publicis ſe removerint, [6] ad otiumque perfugerint. In his & nobiliſſimi [7] philoſophi, longeque principes, & quidam homines ſeveri, & graves, nec populi, nec principum mores ferre potuerunt: vixeruntque nonnulli in agris, delectati re ſua fami-

1 *Vinci à voluptate*] Multi tamen viri fortiſſimi, qui quoſvis labores pertulerunt, nulla non pericula ſubierunt, nullo mortis metu à rebus præclare gerendis ſunt deterriti, voluptatibus devicti ſunt. Nonne Hercules ille invictus Omphalæ inſerviit? Nonne Hannibalem enervaverunt Campaniæ delicíæ? *Grav.*

2 *Cavenda eſt etiam gloria cupiditas*] Vir bonus, ac ſapiens publicos honores ne cupiat quidem, niſi forte mali gravioris evitandi cauſa, utpote ſi alioqui videret in malorum hominum poteſtatem Remp. venturam. *Grot.*

3 *Eripit enim libertatem*] Si qui uni domino paret, ſervus eſt, quanto plus, qui multitudini ſervire cogitur? Cui omnium vultus, nutus, geſtuſque obſervare neceſſe eſt, iiſque ſæpe ſervilem in modum blandiri, & adulari, quos, ſi ambitione careret, ne congreſſu quidem ſuo dignos exiſtimaret? *Muret.*

4 *Non accipienda*] Sicut Timoleon Corinthi regnum, Fabius conſulatum, Scipio Africanus Hiſpaniæ dominium recuſavit. *Gronov.*

5 *Conſtantiam*] Vox hic denotat harmoniam quandam, ſeu convenientiam vitæ partium inter ſe.

6 *Ad otium perfugerint*] Inſtar Syllæ, qui à dictatura ſe abdicavit, privatus ut altum dormiret. Sollicito enim, anxioque vivit animo, qui, cum multitudinis ingenia tam varia ſint, laborat tamen, ut omnibus evadat gratioſus, & in leviſſimam etiam leviſſimorum hominum offenſionem incurrere formidat. Hunc ſordibus, illum cultu, hunc ſeveris, illum nimis ſolutis moribus offendere veretur, hunc muneribus, illum fictis laudibus ineſcare ſtudet, omnium ineptias pati cogitur, nunquam apertus, nunquam ſimplex; ut aliquando omnibus imperare poſſit, omnibus interea ſervit. Qualis tandem ſtultitia eſt, potentiam incertam ſervitute certa mercari? *Muret.*

7 *Philoſophi*] Ut Socrates, Plato, Ariſtoteles, Epicurus cum ſuis ſectatoribus, qui ſapientem ad Remp. accedere negarunt. *Grav.*

liari.

liari. His idem propoſitum fuit, quod [1] regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur: cujus proprium eſt, ſic [2] vivere, ut velis.

21. Quare, cum hoc commune ſit potentiæ cupidorum cum iis, quos dixi, otioſis: alteri ſe adipiſci id poſſe arbitrantur, [3] ſi opes magnas habeant: alteri, ſi contenti ſint & ſuo, & parvo. in quo neutrorum omnino contemnenda eſt ſententia: ſed & facilior, & tutior, & minus aliis gravis, aut moleſta vita eſt otioſorum: [4] fructuoſior autem hominum generi, & ad claritatem, amplitudinemque aptior eorum, qui ſe ad remp. & ad res magnas gerendas accommodaverunt. Quapropter & iis forſitan concedendum ſit, remp. non capeſſentibus, qui excellenti ingenio doctrinæ ſeſe dediderunt; & iis, qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliqua [5] graviore cauſa impediti, à repub. receſſerunt, cum ejus adminiſtrandæ poteſtatem aliis, laudemque concederent. Quibus autem talis nulla ſit cauſa, ſi deſpicere ſe dicant ea, quæ plerique mirentur, imperia, & magiſtratus, iis non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puto. Quorum judicium in eo, quod [6] gloriam contemnant, & pro nihilo putent, difficile factu eſt non probare: ſed videntur labores, & moleſtias tum [7] offenſionum, tum repulſarum, quaſi quandam ignominiam timere, & infamiam. Sunt enim, qui in rebus contrariis parum ſibi conſtent: voluptatem ſeveriſſime contemnant, [8] in dolore ſint molliores: gloriam negligant, [9] frangantur infamia: atque ea quidem non ſatis conſtanter. Sed iis, qui habent à natura [10] adjumenta rerum gerendarum,

1 *Quod regibus*] Regibus enim, & fatuis, ut ille dicit, omnia licent. *Grav.*

2 *Vivere, ut velis*] Non tamen ſecundum phantaſiæ, aut affectuum impulſum, ſed naturæ, rationiſque noſtræ dictamina.

3 *Si opes magnas habeant*] Qui enim opes poſſidet, ſe ipſarum præſidio omnia poſſe credit. *Manut.*

4 *Fructuoſior hominum generi*] Ergo præſtantior: non nobis enim ſolis nati ſumus. *Idem.*

5 *Graviore cauſa*] Ut cum Tyranni metu libere ſententiam dicere non licet. *Idem.*

6 *Gloriam contemnant*] Non enim amanda ipſa gloria, ſed id, unde oritur, honeſtum ſcilicet, & virtus. *Idem.*

7 *Offenſionum*] Cum res ex animi ſententia non ſuccedit. Vel, quod magiſtratum bona fide gerenti multorum ſimultates, & odia ſuſcipienda ſunt. *Idem.*

8 *In dolore ſint molliores*] Utrumque fortitudinis eſt, nec dolore, nec voluptate vinci. *Idem.*

9 *Frangantur infamia*] Facilius enim rebus commodis caremus, quam incommodas ſuſtinemus. *Idem.*

10 *Adjumenta*] Ut proſperam valetudinem, prudentiam, eloquentiam, dexteritatem, conſtantiam, animum excelſum, patientemque laborum, & moleſtiarum. *Idem.*

darum, abjecta omni cunctatione, adipiſcendi magiſtratus, & gerenda reſp. eſt. nec enim aliter aut regi civitas, aut declarari [1] animi magnitudo poteſt. Capeſſentibus autem remp. nihilo minus, quam philoſophis, haud ſcio, an magis etiam, & magnificentia, & deſpicientia adhibenda ſit rerum humanarum, quam ſæpe dico, & tranquillitas animi, atque ſecuritas: ſi quidem nec anxii futuri ſunt, & cum gravitate, conſtantiaque victuri. Quæ eo faciliora ſunt philoſophis, quo minus multa patent in eorum vita, quæ fortuna feriat, & quo minus multis rebus egent: & quia, ſi quid adverſi eveniat, [2] tam graviter cadere non poſſunt. Quocirca non ſine cauſa majores motus animorum concitantur, majoraque efficienda remp. gerentibus, quam quietis. quo magis his & magnitudo animi eſt adhibenda, & vacuitas ab angoribus. Ad rem gerendam autem qui accedit, caveat, ne id modo conſideret, quam illa res honeſta ſit: ſed etiam, ut habeat efficiendi facultatem. in quo ipſo conſiderandum eſt, ne aut temere deſperet propter ignaviam: aut nimis confidat propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis, prius quam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens.

22. Sed cum plerique arbitrentur res bellicas majores eſſe, quam urbanas, minuenda eſt hæc opinio. [3] multi enim bella ſæpe quæſierunt propter gloriæ cupiditatem atque id in magnis animis, ingeniiſque plerumque contingit: eoque magis, ſi ſunt ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum. Vere autem ſi volumus judicare, multæ res extiterunt urbanæ majores, clarioreſque, quam bellicæ. Quamvis enim Themiſtocles jure laudetur, & ſit ejus nomen, quam Solonis, illuſtrius, citeturque Salamis clariſſimæ teſtis victoriæ, quæ anteponatur conſilio Solonis ei, [4] quo primum

1 *Animi magnitudo*] Quæ non in otioſa vita, ſed in rebus gerendis perſpicitur. *Idem.*

2 *Tam graviter cadere non poſſunt*] Multi enim

--- tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant. Idem.

3 *Multi bella quæſierunt*] Ut Mummius Achaicus, M. Craſſus, J. Cæſar, multique alii. *Grav.*

4 *Quo primum conſtituit Areopagitas*] Non vult Cicero, quod Areopagi concilium primus inſtituit Solon; ſed quod Areopagitarum auctoritatem longo tempore imminutam reſtituit, confirmavit, ſtabilivit. Sic in Bruto *leges, & judicia conſtituta* dicit, non quæ tum primum inſtituta fuerunt, ſed quæ bello civili, ac tumultu labefactata, & intermiſſa, eo tempore repetita, & revocata ſunt. *Fabrit.*

conſti-

conſtituit Areopagitas: non minus præclarum hoc, quam illud, judicandum eſt. [1] illud enim ſemel profuit, hoc ſemper proderit civitati: hoc conſilio leges Athenienſium, hoc majorum inſtituta ſervantur. Et Themiſtocles quidem nihil dixerit, in quo ipſe Areopagum adjuverit: at ille vere, ab ſe adjutum Themiſtoclem. Eſt enim bellum geſtum conſilio ſenatus ejus, qui à Solone erat conſtitutus. Licet eadem de Pauſania, Lyſandroque dicere: quorum rebus geſtis quanquam imperium Lacedæmoniis dilatatum putatur, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus, & diſciplinæ conferendi ſunt. Quinetiam ob has ipſas cauſas & parentiores habuerunt exercitus, & fortiores. Mihi quidem neque pueris nobis, M. Scaurus C. Mario, neque, cum verſaremur in rep. Qu. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur. Parvi enim ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi. Nec plus Africanus, ſingularis & vir, & imperator, in excidenda Numantia reip. profuit, quam eodem tempore P. Naſica privatus, cum [2] Ti. Gracchum interemit: quanquam hæc quidem res non ſolum ex domeſtica eſt ratione, attingit etiam bellicam, quoniam vi, manuque confecta eſt: ſed tamen id ipſum geſtum eſt conſilio urbano, ſine exercitu. Illud autem optimum eſt, in quod invadi ſolere ab improbis, & invidis audio:

Cedant arma togæ, [3] *concedat laurea laudi.*

Ut enim alios omittam, nobis remp. gubernantibus, nonne togæ arma ceſſere? neque enim in repub. periculum fuit gravius unquam, [4] nec majus otium. Ita conſiliis, diligentiaque noſtra celeriter de manibus audaciſſimorum civium delapſa arma ipſa ceciderunt. Quæ res igitur geſta unquam in bello tanta? qui triumphus conferendus? Licet enim,

1 *Illud ſemel profuit*] Cæſo ſcilicet Perſarum exercitu, Græciaque ab hoſtibus liberata.

2 *Ti. Gracchum*] Tribunum plebis, pernicioſas Reip. leges ferentem. *Manut.*

3 *Concedat laurea laudi*] Sententia eſt: Honorificum Senatus judicium plus gloriæ cuilibet comparare, quam triumphum.

4 *Nec majus otium*] Significat hic Cicero, oppreſſa Catilinæ conjuratione, ſe Remp. maximis periculis liberaſſe, & conjuratorum manibus eripuiſſe conſilio, ac vigilantia, ſine ulla dimicatione, ſine exercitu, ſumma cum pace, & tranquillitate. *Fabric.*

Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hæreditas hujus gloriæ, & factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompejus, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi meo in reimp. beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus. Sunt ergo domesticæ fortitudines non inferiores militaribus; in quibus plus etiam, quam in his, operæ, studiique ponendum est.

23. Omnino illud honestum, quod ex animo excelso, magnificoque quærimus, animi efficitur, non corporis viribus. [1] Exercendum tamen corpus, & ita afficiendum est, ut obedire consilio, rationique possit in exequendis negotiis, & in labore tolerando. Honestum autem id, quod exquirimus, totum est positum in animi cura, & cogitatione: in quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati reip. præsunt, quam qui bellum gerunt. Itaque eorum consilio sæpe aut non suscepta, aut confecta bella sunt, nonnunquam etiam illata: ut M. Catonis bellum tertium Punicum: in quo etiam [2] mortui valuit auctoritas. Quare expetenda quidem magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo: sed cavendum, ne id bellandi magis fuga, quam utilitatis ratione faciamus. Bellum autem ita suscipiatur, ut [3] nihil aliud, nisi pax quæsita videatur. Fortis vero, & constantis est, non perturbari in rebus asperis, [4] nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur; sed præsenti animo uti, & consilio, nec à ratione discedere: quanquam hoc animi, illud etiam ingenii magni est, præcipere cogitatione futura, & aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utramque partem: &, quid agendum sit, cum quid evenerit: nec committere, ut aliquando dicendum sit, non putaram. Hæc sunt opera magni animi, & excelsi, & prudentia, consilio-

1 *Exercendum corpus*] Idoneo scilicet victu, & medicina gymnastica. *Manut.*

2 *Mortui valuit auctoritas*] Cum actum est, Censore jam mortuo, de Carthagine everrenda. *Idem.*

3 *Nihil aliud, nisi pax quæsita*] Sapientes pacis securæ, honestæque causa bellum gerunt, non ad satiandam Rapacium Imperatorum avaritiam.

4 *Nec tumultuantem de gradu dejici*] Id est, Neque tumultu perterritum, ac perturbatum, animo consternari, ac veluti à statu mentis dimoveri. *Manut.*

que

que fidentis. [1] Temere autem in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam, & [2] belluarum simile est, sed cum tempus, necessitasque postulat, decertandum manu est, & [3] mors servituti, turpitudinique anteponenda.

24. De evertendis autem, diripiendisque urbibus, valde considerandum est, ne quid temere, [4] ne quid crudeliter. idque est viri magnanimi, [5] rebus agitatis, punire sontes, multitudinem conservare, in omni fortuna recta, atque honesta retinere. Ut enim sunt, quemadmodum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponant: sic reperies multos, quibus periculosa, & [6] calida consilia quietis cogitationibus & splendidiora, & majora videantur. Nunquam omnino periculi fuga committendum est, ut imbelles, timidique videamur. sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis [7] sine causa; [8] quo nihil potest esse stultius. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leviter ægrotantes leniter curant: gravioribus autem morbis periculosas curationes, & [9] ancipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempestatem adversam optare, dementis est: subvenire autem tempestati [10] quavis ratione, sapientis: eoque magis, si plus adipiscare, [11] re explicata, boni, [12] quam addubitata, mali. Periculosæ autem

1 *Temere in acie versari*] Quod fit, si vel nulla justa causa bellum suscipitur, vel non satis gravi, & necessaria. *Rachel.*

2 *Belluarum simile*] Viribus, non ratione utentium. *Manut.*

3 *Mors servituti, turpitudinique anteponenda*] Hanc normam secutus est Cato Uticensis, qui mori potius, quam Cæsari parere voluit. Sed aliud dictare rationem, quæ docet, vitam esse fundamentum omnium bonorum temporalium, & æternorum occasionem, ideoque pluris esse, quam libertatem, docet pulchre Grotius Lib. II. de Jure Belli, & Pacis cap. 5. *Grev.*

4 *Ne quid crudeliter*] Galli illud dictum in Romanos victos superbum est, *victis nil, nisi dolor.* Cæterum nil magis victorem decet, quam clementia. *Manut.*

5 *Rebus agitatis*] Vult Cicero, virum magnum non temere ad puniendum ruere, sed expensa demum, animoque diligenter volutata causa. Hoc enim est *agitare*: à quo cogitare, quasi toagitare, ut à coago, cogo. *Lang.*

6 *Calida consilia*] Hoc est, Temeraria, & extemporanea, qualia mulierum & appellantur, & sunt. *Lang.*

7 *Sine causa*] Quo distinguitur à fortitudine temeritas. *Manut.*

8 *Quo nihil potest esse stultius*] Omni animantium generi id à Natura tribuitur, ut se, vitam, corpusque meatur. Quod igitur vitare possumus, stultum est admittere. *Manut.*

9 *Ancipites*] Quæ vel salutem, vel interitum afferant. *Idem.*

10 *Quavis ratione*] Etiam periculo, & jactura. *Manut.*

11 *Re explicata*] Confecta, ad felicem exitum perducta. *Idem.*

12 *Quam addubitata*] Quasi dicat, Sapientis est, ortam jam tempestatem quavis ratione sedare; vel consilio repentino, si res exigit; vel maturo, si secus: eoque magis, si plus boni sequatur, ea

rerum actiones partim iis ſunt, qui eas ſuſcipiunt, partim reipublicæ. Itemque alii de vita, alii de gloria, & benevolentia civium in diſcrimen vocantur. Promptiores igitur debemus eſſe ad noſtra pericula, quam ad communia, dimicareque paratius de honore, & gloria, quam de cæteris commodis. Inventi autem multi ſunt, qui non modo pecuniam, ſed vitam etiam profundere pro patria parati eſſent: iidem gloriæ jacturam ne minimam quidem facere vellent, ne rep. quidem poſtulante: ut Callicratidas, qui cum Lacedæmoniorum dux fuiſſet Peloponneſiaco bello, multaque feciſſet egregie, [1] vertit ad extremum omnia, cum conſilio non paruit eorum, qui claſſem ab Arginuſſis removendam, nec cum Athenienſibus dimicandum putabant. Quibus ille reſpondit, Lacedæmonios, claſſe illa amiſſa, aliam parare poſſe: ſe fugere ſine ſuo dedecore non poſſe. Atque hæc quidem Lacedæmoniis plaga mediocris: illa peſtifera, qua, cum Cleombrotus [2] invidiam timens, temere cum Epaminonda conflixiſſet, Lacedæmoniorum opes [3] corruerunt. Quanto Qu. Maximus melius? de quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
[4] *Ergo poſtque, magiſque viri nunc gloria claret.*

Quod genus peccandi vitandum eſt etiam in rebus urbanis. Sunt enim, qui, quod ſentiunt, etſi optimum ſit, tamen invidiæ metu non audent dicere.

25. Omnino qui reipub. præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant: Unum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum, ut totum corpus reip. curent; ne,

ſedata, quam manente ſequeretur mali. *Lang.* *Addubitata* eſt, propter ſpem incerti exitus omiſſa. *Grav.*

1 *Vertit ad extremum omnia*] Et publicam felicitatem perdidit, & ſuam gloriam amiſit. *Manut.*

2 *Invidiam timens*] Malevolorum obtreſtationes, qui eum dicebant cum hoſtibus Thebanis colludere. *Idem.*

3 *Opes corruerunt*] In præclara illa Leuctrica victoria. *Idem.*

4 *Ergo poſtque, magiſque*] Hæc eſt ſententia: Ergo claret Fabii gloria, non modo poſt obitum, ſed magis etiam, quam cum viveret.

dum

dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. [1] Ut enim tutela, ſic procuratio reip. ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. Qui autem parti civium conſulunt, partem negligunt, rem pernicioſiſſimam in civitatem inducunt, ſeditionem, atque diſcordiam: ex quo evenit, ut alii populares, alii ſtudioſi optimi cujuſque videantur, pauci univerſorum. Hinc apud Athenienſes magnæ diſcordiæ: in noſtra rep. non ſolum [2] ſeditiones, ſed peſtifera etiam [3] bella civilia: quæ gravis, & fortis civis, & in repub. dignus principatu fugiet, atque oderit: [4] tradetque ſe totum reipub. neque opes, aut potentiam conſectabitur, totamque eam ſic tuebitur, ut omnibus conſulat. Nec vero criminibus falſis in odium, aut invidiam quemquam vocabit: omninoque ita juſtitiæ, honeſtatique adhæreſcet, ut, dum ea conſervet, [5] quamvis graviter offendat, mortemque oppetat potius, quam deſerat illa, quæ dixi. [6] Miſerrima eſt omnino ambitio, [7] honorumque contentio: de qua præclare apud eundem eſt Platonem: Similiter facere eos, qui inter ſe contenderent, uter potius remp. adminiſtraret, ut ſi nautæ certarent, quis eorum potiſſimum gubernaret. Idemque præcepit, ut eos adverſarios exiſtimemus, qui arma contra ferant: non eos, qui [8] ſuo judicio tueri rempub. velint: qualis fuit inter P. Africanum, & Qu.

1 *Ut enim tutela*] Tutor in rem pupilli conſtituitur, & ut illius ſerviat rationibus. Hinc in ſuam rem auctor fieri prohibetur; neque lucrum facere ex tutela quiſquam debet. *Rachel.*

2 *Seditiones*] Ut ſeceſſiones in montem Sacrum, & Gracchorum, & ſexcentæ aliæ. *Manut.*

3 *Bella civilia*] Quæ excitavit Sylla, Catilina, Triumviri. *Idem.*

4 *Tradet ſe totum Reip.*] Patriam unam ſpectabit: ad eam omnia referet: unicus ei ſcopus erit ſalus, patriæque felicitas: quod è Rep. erit, ſequetur, quod non erit, vitabit. *Idem.*

5 *Quamvis graviter offendat*] Quicunque ſit ille, quem offendit, non vereatur ejus inimicitias ſubire. *Maturant.* In rebus ſuis. Id eſt, Damnum patiatur, & jacturam faciat rei familiaris, & dignitatis. *Manut.* Id eſt, Etiamſi in gravem offenſionem incurrat, magnamque jacturam faciat. *Fabrit.*

6 *Miſerrima eſt omnino ambitio*] Miſerrimam eſſe ambitionem ex eo intelligi poteſt, quòd, quæ duæ res in vita plurimum ſuavitatis continent, iis utriſque ſuos ſpoliat ambitio, libertate ſcilicet, & tranquillitate animi. *Muret.*

7 *Honorum contentio*] Id eſt, Contentio honorum gratia ſuſcepta. *Eraſm.*

8 *Suo judicio tueri remp.*] Longe aliud eſt judicio, & ſententia, aliud voluntate, atque animo diſſidere. Nam in ſententiarum diſcrepantia animorum ſervari poteſt conjunctio: neque ſapiens quemquam, quod à ſe diſſentiret, propterea in inimici loco habendum exiſtimabit. Sic evertendam Carthaginem Cato, conſervandam Scipio judicavit. Num igitur eos inimico inter ſe fuiſſe animo credimus? Stultorum, & imperitorum iſta conſuetudo eſt. *Fabrit.*

Metellum

Metellum sine acerbitate dissensio. Nec vero audiendi, qui [1] graviter irascendum inimicis putabunt, idque magnanimi, & fortis viri esse censebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno, & præclaro viro dignius placabilitate, atque clementia. In liberis vero populis, & in juris æquabilitate [2] exercenda etiam est facilitas, & [3] altitudo animi, quæ dicitur: ne, si irascamur aut intempestive accedentibus, aut [4] impudenter rogantibus, in morositatem inutilem, & odiosam incidamus. Et tamen ita probanda est mansuetudo, atque clementia, ut adhibeatur [5] reip. causa [6] severitas, [7] sine qua administrari civitas non potest. Omnis autem & animadversio, & [8] castigatio contumelia vacare debet: neque ad ejus, qui [9] punitur aliquem, aut verbis castigat, sed [10] ad reipub. utilitatem referri. Cavendum est etiam, [11] ne ma-

leni-

1 *Graviter irascendum inimici*] Negat Cicero viri fortis, & magnanimi esse, graviter inimico irasci: afferitque nihil esse hujusmodi virorum tam proprium, quam placabilitatem, & clementiam. *Idem.*

2 *Exercenda etiam est facilitas*] Qui liberos populos regunt, jurique dicendo præsunt, perpetuo cogitare debent, se in illo honoris, ac dignitatis gradu constitutos esse, ut omnium querelas patienter audiant, ut omnium jura cognoscant, ut lites dijudicent, ac componant, ut suum cuique tribuant. Itaque faciles omnibus aditus ad eos esse debent; neque ulla esse occupatio tanta, quæ eos impediat ab iis audiendis, qui querelas suas ad eos perferre volunt. Etsi autem, qui ad eos adeunt, tempus ad eam rem opportunum captare debent, si quis tamen aut rusticitate, aut cognata necessitate, aut casu aliquo, parum in tempore ad eos venerit, non est iracunde, ac superbe rejiciendus, ac repellendus: sed aut audiendus sic quoque, si fieri potest; aut certe placide, ac leniter commonefaciendus, ut tempus aliud commodius capiat. *Muret.*

3 *Altitudo animi*] Non est hoc loco excelsitas, vel elatio; sed talis indoles, quæ non statim omnes animi motus detegit, sed, cum opus est, tacite abscondit. *Idem.*

4 *Impudenter rogantibus*] Ea scilicet, quæ, salva ratione officii, & sine summa fraude, præstare non possumus. *Manut.*

5 *Reip. causa*] Ut tranquillitas, & honesta disciplina conservetur. *Idem.*

6 *Severitas*] Ut morositas odium, ita nimia facilitas contemptum parit. Utraque igitur vitanda: & adhibenda moderata severitas; quæ si absit, omnis magistratus obsoleverit auctoritas. *Muret.*

7 *Sine qua administrari civitas non potest*] Nam licentia omnes deteriores sunt. Improbi vero magnitudine pœnæ, & supplicii gravitate à sceleribus deterrentur. *Manut.*

8 *Castigatio contumelia vacare debet*] Qui in castigando contumeliosus est, ostendit se libidine potius, & iracundia, quam justitiæ studio duci. *Muret.*

9 *Punitur aliquem*] Vox *punitur* sensu activo sumitur, pro *punit*. Sic *Tust.* I. *Multi inimicos, etiam mortuos, punierunt.* Sic Philippica octava: *Ut clarissimorum hominum crudelissimam punierint necem. Fabric.*

10 *Ad Reip. utilitatem referri*] Ut cæteri à similibus peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur. *Muret.*

11 *Ne major pœna, quam culpa sit*] Contra enim, legum interpretatione, ut aiunt Jurisconsulti, mollienda sunt pœnæ potius, quam exasperandæ. *Muret.*

jor

jor pœna, quam culpa ſit: & ne iiſdem de cauſis [1] alii plectantur, alii ne appellentur quidem. [2] Prohibenda autem maxime eſt ira in puniendo. nunquam enim, iratus qui accedit ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium, & parum: quæ placet Peripateticis; & [3] recte placet, modo ne laudarent iracundiam, & dicerent utiliter à natura datam. Illa vero omnibus in rebus repudianda eſt: optandumque, ut ii, qui præſunt reip. legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur.

26. Atque etiam [4] in rebus proſperis, & ad voluntatem noſtram [5] fluentibus, ſuperbiam, [6] faſtidium, [7] arrogantiamque magno opere fugiamus. nam ut adverſas res, ſic ſecundas immoderate ferre, levitatis eſt: præclaraque eſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eademque frons, ut de Socrate, item de C. Laelio accepimus. Philippum quidem Macedonum regem, rebus geſtis, & gloria ſuperatum à filio: facilitate, & humanitate video ſuperiorem fuiſſe. Itaque alter ſemper magnus, [8] alter ſæpe turpiſſimus fuit: ut recte præcipere videantur, qui monent, ut quanto ſuperiores ſumus, tanto nos geramus ſummiſſius. Panætius quidem Africanum auditorem, & familiarem ſuum ſolitum ait dice-

1 *Alii plectantur, alii ne appellentur*] Leges enim omnibus æquæ eſſe debent, neque quidquam indignius, quam eadem flagitia in aliis diſſimulari, in aliis vindicari. *Muret. Plectantur*, id eſt, graviter puniantur. *Appellentur*, ne verbis quidem caſtigentur. *Manut.* Hoc eſt, quod reprehendit Juvenalis:

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

2 *Prohibenda eſt ira in puniendo*] Cupiditas modum non novit; & quæcunque cupide facimus, immodici in eis, atque immoderati ſumus. Eſt autem *ira*, cupiditas ulcionis. Quicunque igitur ad repoſcendam pœnam accedit iratus, modum tenere non poteſt. Eſt itaque magni, & ſapientis viri, aut omnino non irafci, aut (quod fortaſſe majus eſt) iram vincere, ac cohibere; neque quicquam ulciſcendi cauſa facere, donec ille iræ tumor reſederit, impetus conſtiterit, ardor refrixerit. *Muret.*

3 *Recte placet*] Mediocria enim, & moderata omnia, ut corpori, ſic etiam animo proſunt: immoderata utrumque corrumpunt. *Idem.*

4 *In rebus proſperis*] Difficilius ſcilicet feruntur ſecundæ, quam adverſæ res. *Manut.*

5 *Fluentibus*] Sumpta Metaphora ab æſtu maris, aut fluminis. *Eraſm.*

6 *Faſtidium*] Eſt, cum omnia, quæ videntur eſſe infra fortunam noſtram, contemptu quodam rejicimus. *Manut.*

7 *Arrogantiam*] Quæ plus ſibi honoris tribui poſtulat, quam meretur. *Idem.*

8 *Alter ſæpe turpiſſimus*] Alexander multa temeraria, multa atrociſſima facinora commiſit. Amiciſſimum Clytum occidit, quod Philippum patrem ipſi anteferre auſus eſt. Calliſthenem, quod eum adorare noluit, truncatis omnibus membris, cavea incluſum circumtulit. In convivio Parmenionem, Philotam, alioſque permultos interfici juſſit.

re, ut equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes domitoribus tradere ſoleant, ut his facilioribus poſſint uti: ſic homines ſecundis rebus effrænatos, ſibique præſidentes, [1] tanquam in gyrum rationis, & doctrinæ duci oportere, ut perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque fortunæ. Atque etiam in [2] in ſecundiſſimis rebus maxime eſt utendum conſilio amicorum, hiſque major etiam, quam ante, tribuenda auctoritas. iiſdemque temporibus cavendum eſt, ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec [3] adulari nos ſinamus: in quo falli facile eſt. Tales enim nos eſſe putamus, ut jure laudemur. ex quo naſcuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus turpiter irridentur, & in maximis verſantur erroribus. Sed hæc quidem hactenus. Illud autem ſic eſt judicandum, maximas geri res, & maximi animi ab iis, qui reſp. regant, quod earum adminiſtratio latiſſime pateat, ad plurimoſque pertineat. Eſſe autem magni animi, & fuiſſe multos etiam in vita otioſa, qui aut inveſtigarent, [4] aut conarentur magna quædam, ſeſeque [5] ſuarum rerum finibus continerent: aut [6] interjecti inter philoſophos, & eos, qui remp. adminiſtrarent, delectarentur [7] re ſua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes, neque excludentes ab ejus uſu ſuos: potiuſque & amicis impertientes, & reip. ſi quando uſus eſſet. quæ primum bene parata ſit, nullo neque [8] turpi quæſtu, neque [9] odioſo: tum quam plurimis, [10] modo dignis, ſe utilem præbeat: deinde

1 *Tanquam in gyrum rationis, & doctrinæ*] Velut equi in gyrum acti ſuo impetu ferri non ſinuntur; ſic homines fortunati ultra eos limites nunquam evagentur, quos præſcribunt ratio, & doctrina. *Manut.*

2 *In ſecundiſſimis rebus maxime eſt utendum conſilio*] Minus enim in rebus ſecundis nobis cavemus, quæ animos vaniſſimis opinionibus inflare ſolent. Tunc igitur præcipue fido amicorum conſilio indigemus, ne arridente Fortuna nimium confidamus, & ſuæ mutabilitatis immemores penitus inſolentes ſimus.

3 *Adulari*] Paſſive dicitur, pro, adulatione deliniri, aut circumveniri. *Erasm.*

4 *Aut conarentur magna*] Etſi illa non aſſequerentur. In magnis enim voluiſſe ſat eſt. *Grev.*

5 *Suarum rerum finibus continerent*] Qui ſorte ſua contenti dignitates, honoreſque non captarent. *Idem.* Id eſt, Suum negotium agerent. Metaphora à limitibus agrorum. *Manut.*

6 *Interjecti*] Id eſt, Mediam ſervantes vitæ conditionem.

7 *Re ſua familiari*] Quam Philoſophi non curant. *Manut.*

8 *Turpi quæſtu*] Sordido, inhoneſto. *Idem.*

9 *Odioſo*] Qualis eſt publicanorum, portitorum, fœneratorum. *Idem.*

10 *Modo dignis*] Indignis enim non decet opitulari. *Idem.*

augeatur

augeatur ratione, diligentia, parſimonia: nec libidini potius, luxuriæque, quam liberalitati, & beneficentiæ pareat. Hæc præſcripta ſervantem licet [1] magnifice, [2] graviter, [3] animoſeque vivere, atque etiam [4] ſimpliciter, [5] fideliter, [6] vitæque hominum amice.

27. Sequitur, ut de una reliqua parte honeſtatis dicendum ſit: in qua verecundia, &, quaſi quidam [7] ornatus vitæ, temperantia, & modeſtia, omniſque ſedatio perturbationum animi, & rerum modus cernitur. Hoc loco continetur id, quod dici Latine decorum poteſt: Græce enim εὐπρεπὲς dicitur. Hujus vis ea eſt, ut ab honeſto non queat ſeparari. Nam & [8] quod decet, honeſtum eſt, & quod honeſtum eſt, decet. Qualis autem differentia ſit honeſti, & decori, facilius intelligi, quam explanari poteſt. quidquid eſt enim, quod deceat, id tum apparet, cum antegreſſa eſt honeſtas. Itaque non ſolum in parte hac honeſtatis, de qua hoc loco diſſerendum eſt, ſed etiam in [9] tribus ſuperioribus, quid deceat, apparet. nam & ratione uti, atque [10] oratione prudenter, & agere, quod agas, conſiderate; omnique in re quid ſit veri, videre, & tueri, decet: contraque falli, errare, labi, decipi, tam dedecet, quam delirare, & mente eſſe captum. & juſta omnia decora ſunt: injuſta contra,

1 *Magnifice*] Cum ſplendore, & gloria. *Idem.*

2 *Graviter*] Conſtanter, non leviter. *Idem.*

3 *Animoſe*] Abſque inſidiarum metu. *Grav.*

4 *Simpliciter*] Non Sophiſtice, ſine fuco, & ſimulatione. *Idem.*

5 *Fideliter*] Abſque perfidia, aut negligentia. *Manut.*

6 *Vitæ hominum amice*] Ut nullius hominis ſuſcipiatur inimicitia, ſed omnium concilietur benevolentia. *Grav.* Nemini nocendo, ſed omnia humanitatis officia præſtando.

7 *Ornatus vitæ, temperantia*] *Temperans* ſecundum Ciceronem eſt, non modo qui ſobrie, caſteque vivit, ſed etiam qui nihil non compoſite, decenterque aut dicit, aut facit, nihil, quod cum bonorum, ſapientumque omnium approbatione non excipiatur. *Grav. Temperantia* hic eſt id, quod decorum eſt in omni virtute; quæ cæteras animi dotes rutilas reddit, perpolitque; ſine qua nimia quorundam ſeveritas virtutem ipſam tetricam reddit, & ingratam.

8 *Quod decet, honeſtum eſt, & quod honeſtum eſt, decet*] Honeſtum, & decorum videntur inter ſe reciprocari: differunt tamen. Honeſtum enim ſemper idem eſt. Decorum vero mutatur tempore, loco, & ætate: eſtque multiplex. *Manut.*

9 *Tribus ſuperioribus*] Juſtitia ſcilicet, fortitudine, prudentia. *Idem.*

10 *Oratione prudenter*] Contra hanc virtutem peccant garruli, & linguaces. Sed tamen longe latius patet prudentia. Quamvis enim aliquis nec garrulus ſit, nec loquax, poteſt tamen oratione imprudenter uti. Is igitur prudenter oratione utitur, qui in omni tempore, & loco ea loquitur, quæ temporum, & locorum ratio poſtulat. *Grav.*

ut turpia, ſic indecora. Similis eſt ratio fortitudinis. quod enim viriliter, animoque magno fit, id dignum viro, & decorum videtur: quod contra, id, ut turpe, ſic indecorum. Quare [1] pertinet quidem ad omnem honeſtatem hoc, quod dico, decorum: & ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, ſed ſit in promptu. eſt enim quiddam, idque intelligitur in omni virtute, quod deceat: quod cogitatione magis à virtute poteſt, quam re ſeparari. Ut venuſtas, & pulchritudo corporis ſecerni non poteſt à valetudine: ſic hoc, de quo loquimur, decorum, totum illud quidem eſt cum virtute confuſum, ſed mente, & cogitatione diſtinguitur. Eſt autem ejus deſcriptio duplex. nam & generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honeſtate verſatur: & aliud huic ſubjectum, quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis. Atque illud ſuperius ſic fere definiri ſolet: Decorum id eſſe, quod conſentaneum ſit [2] hominis excellentiæ, in eo, in quo natura ejus à reliquis animantibus differat: Quæ autem pars ſubjecta generi eſt, eam ſic definiunt, ut id decorum eſſe velint, quod ita naturæ conſentaneum ſit, ut in eo [3] moderatio, & temperantia appareat cum [4] ſpecie quadam liberali.

28. Hæc ita intelligi exiſtimare poſſumus ex eo decoro, quod poetæ ſequuntur, de quo alio loco plura dici ſolent. Sed tum ſervare illud poetas dicimus, quod deceat, cum id, quod quaque perſona dignum eſt, & ſit, & dicitur. ut, ſi Æacus, aut Minos diceret,

[5] *Oderint, dum metuant*: --- aut,

Natis ſepulcro ipſe eſt [6] *parens*:

1 *Pertinet ad honeſtatem*] Id eſt, Decorum cum omni virtute confuſum eſt. *Manut.*

2 *Hominis excellentia*] Id eſt, Rationi. Impoſſibile enim eſt quidquam eſſe decorum, niſi quod rectæ rationis normæ conſonat.

3 *Moderatio*] Ne quid vel nimium, vel parum fiat: ne quis ſibi nimium tribuat: ne in ulla re modum excedat. *Manut.*

4 *Specie quadam liberali*] Cum quadam elegantia, qualis eſt hominum liberaliter educatorum, & artibus ingenuis imbutorum, qui in omni oratione, geſtuve nihil inſulſi, nihil abſurdi, aut inconditi præ ſe ferunt. *Grav.*

5 *Oderint, dum metuant*] Vox tyrannica hominis, qui populi de ſe exiſtimationem contemnit. *Manut.* Sunt autem verba ex Accii poetæ veteris Tragœdia. *Maturant.*

6 *Parens*] Id eſt, Thyeſtes, cui filios epulandos appoſuit frater Atreus. *Manut.*

indecorum

indecorum videretur: quod eos [1] fuiſſe juſtos accepimus. at, Atreo dicente, plauſus excitantur. eſt enim digna perſona oratio. Sed poetæ, quid quemque deceat, ex perſona judicabunt. [2] nobis autem perſonam impoſuit ipſa natura, magna cum excellentia, præſtantiaque animantium reliquarum. Quocirca poetæ in magna varietate perſonarum, etiam vitioſis quid conveniat, & quid deceat, videbunt: nobis autem cum à natura conſtantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ ſint: cumque eadem natura doceat non negligere, quemadmodum nos adverſus homines geramus: efficitur, ut & illud, quod ad omnem honeſtatem pertinet, decorum, quam late fuſum ſit, appareat: & hoc, quod ſpectatur in unoquoque genere virtutis. Ut enim pulchritudo corporis apta compoſitione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt: ſic hoc decorum, quod elucet in vitâ, movet approbationem eorum, quibuſcum vivitur, [3] ordine, & [4] conſtantia, & [5] moderatione dictorum omnium, atque factorum. Adhibenda eſt igitur quædam reverentia adverſus homines, [6] & optimi cujuſque, & reliquorum. nam negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino [7] diſſoluti. Eſt autem, quod differat, [8] in hominum ratione habenda, inter juſtitiam, & verecundiam. Juſtitiæ partes ſunt, non violare homines: Verecundiæ, non offendere: in quo maxime perſpicitur vis decori. His igitur expoſitis, quale ſit id, quod decere dicimus, intellectum puto. Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc primum habet viam, quæ deducit ad

1 *Fuiſſe juſtos*] Propter ſummam juſtitiam apud inferos judicare dicti ſunt. *Idem.*

2 *Nobis autem perſonam*] Vita noſtra nihil aliud eſt, quam fabula, quæ in ampliſſimo hujuſce mundi theatro agitur. *Idem.* Illa perſona, & partes tanto majori ſtudio, & decore in hoc mundi theatro nobis ſunt agendæ, quanto excellentiores dotes præ cæteris animantibus accepimus. *Rachel.*

3 *Ordine*] Ut ſuo loco, & tempore fiant omnia. *Manut.*

4 *Conſtantia*] Ut rationi ſemper obediat appetitus. *Idem.*

5 *Moderatione*] Ut ne vehementiores naturæ impetus ſequamur in dicendo, aut agendo. *Idem.*

6 *Et optimi cujuſque, & reliquorum*] Omnes ſcilicet revereri debemus, ſed primum optimos, deinde reliquos. *Idem.*

7 *Diſſoluti*] Hæc vox denotat virum turpiter negligentem cum in rebus, tum ſermone. *Grav.*

8 *In hominum ratione habenda*] Sumit Cicero differentiam ex ratione ſocietatis humanæ, in qua tuenda aliud juſtitiæ, aliud verecundiæ munus eſſe oſtendit. *Fabric.*

convenien-

[1] convenientiam, conſervationemque naturæ: quam ſi ſequemur ducem, nunquam aberrabimus: ſequemurque & [2] id, quod acutum, & perſpicax natura eſt; & id, quod [3] ad hominum conſociationem accommodatum: & [4] id, quod vehemens, atque forte. Sed maxima vis decori in hac ineſt parte, de qua diſputamus. neque enim ſolum corporis, qui ad naturam apti ſunt, ſed multo etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati ſunt. Duplex eſt enim vis animorum, atque naturæ: una pars in appetitu poſita eſt, quæ eſt ὁρμὴ Græce, quæ hominem huc, & illuc rapit: altera in ratione, quæ docet, & explanat, quid faciendum, fugiendumve ſit. ita fit, ut ratio præſit, appetitus obtemperet.

29. Omnis autem actio vacare debet temeritate, & negligentia: [5] nec vero agere quidquam, cujus non poſſit cauſam probabilem reddere. Hæc eſt enim fere deſcriptio officii. Efficiendum autem eſt, ut [6] appetitus rationi obediant, eamque neque [7] præcurrant, nec propter pigritiam, aut ignaviam deſerant: ſintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant. Ex quo elucebit omnis conſtantia, omniſque moderatio. nam qui appetitus longius evagantur, & tanquam exultantes, ſive cupiendo, ſive fugiendo, non ſatis à ratione retinentur, hi ſine dubio finem, & modum tranſeunt. relinquunt enim, & abjiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui ſunt ſubjecti lege naturæ: à quibus non modo ani-

1 *Convenientiam*] Ut conveniat naturæ humanæ, hoc eſt, rationi. *Grav.*

2 *Id, quod acutum*] Quod nobis oſtendit prudentia. *Idem.*

3 *Ad hominum conſociationem accommodatum*] In quo verſatur juſtitia. *Idem.*

4 *Id, quod vehemens, atque forte*] Quod eſt fortitudinis, in adeundis periculis, ſuſcipiendis laboribus, & offenſionibus ſubeundis. *Idem.*

5 *Nec vero agere quidquam*] Hoc durius quibuſdam videtur, *Actio non debet agere quidquam*: mihi non item. In ipſa enim actione includitur is, qui agit. Quaſi dicat, Cum aliquid agis, temeritatem vita: nec vero quidquam agas, cujus non poſſis cauſam probabilem reddere. *Manut.*

6 *Appetitus rationi obediant*] Quandoquidem ad monſtrandam vitæ ſemitam facultatem rationalem nobis inſeruit Natura, quid magis indecorum eſſet, quam ejuldem propter negligentiam, pigritiamve favillas extinguere? Aut quid minus naturale, quam affectibus immoderatis illam inſervire, quæ dux, & auſpex nobis inſtituitur? Fruſtra et enim Divinam illam ductricem dedit Alma Parens, cujus auſpicia, ductumque faſtidimus. Primum igitur, ſummumque officium eſt, nihil, niſi ſecundum rationis normam, agere, illius imperium vindicare, nunquam denique prava libidine captivos duci.

7 *Præcurrant*] Metaphora ab equis ferocioribus ducta.

mi

mi perturbantur, ſed etiam corpora. Licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatuſque mutantur. Ex quibus illud intelligitur (ut ad officii formam revertamur) appetitus omnes [1] contrahendos, [2] ſedandoſque, excitandamque animadverſionem, & diligentiam, ut ne quid temere, ac fortuito, inconſiderate, negligenterque agamus. neque enim ita generati à natura ſumus, ut ad ludum, & jocum facti eſſe videamur: ſed ad ſeveritatem potius, & ad quædam ſtudia graviora, atque majora. Ludo autem, & joco uti illo quidem licet: ſed ſicut ſomno, & quietibus cæteris, tum, cum gravibus, ſeriiſque rebus ſatisfecerimus. [3] Ipſumque genus jocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum, & facetum eſſe debet. Ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, ſed eam, quæ ab honeſtis actionibus non ſit aliena: ſit in ipſo joco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Duplex omnino eſt jocandi genus: unum, illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum: alterum, elegans, urbanum, ingenioſum, facetum. quo genere non modo [4] Plautus noſter, & Atticorum [5] antiqua comœdia, ſed etiam philoſophorum Socraticorum libri referti ſunt: multaque multorum facete dicta: ut ea, quæ à ſene Catone collecta ſunt, quæ vocant ἀποφθέγματα. Facilis igitur eſt diſtinctio ingenui, & [6] illiberalis joci. alter eſt, ſi tempore fit, ac [7] remiſſo animo, homine dignus: alter ne libero quidem, ſi rerum turpitudini adhibetur verborum obſcœnitas. Ludendi etiam eſt quidam modus retinendus, ut [8] ne nimis omnia profunda-

1 *Contrahendos*] Id eſt, Ratione, quaſi fræno quodam, coercendos.

2 *Sedandos*] Ut populum ad ſeditiones ſpirantem. *Manut.*

3 *Ipſumque genus jocandi*] In jocis comitas retinenda eſt, ut à ſcurrarum vitio abſimus, qui temere, & petulanter ſolent dicteria profundere.

4 *Plautus*] Hujus poetæ ſales, & facetias omnis laudavit, & admirata eſt antiquitas. *Vavaſſ.* Poſt mortem ejus, Comœdiæ, quæ incerti auctoris ferebantur, Plautinæ tamen eſſe de jocorum copia noſcerentur. *Manut.*

5 *Antiqua comœdia*] Dicitur *antiqua* ad differentiam *novæ*, quam, ſublata mordacitate, Menander, Epicharmus, aliique multi ſcripſerunt. *Maturant.*

6 *Illiberalis*] Illiberales dicuntur joci, quod talibus ſervi, & ſervili ingenio homines utuntur; ſed tamen nec ipſos ſervos decet obſcœnitas ab ingenio humano prorſus aliena. *Grav.*

7 *Remiſſo animo*] Quieto, & perturbationibus vacuo. Cum jucunditati noſmet dedimus, neque tractantur res graves, ſeriæque. *Manut.*

8 *Ne nimis omnia profundamus*] Ea

ſcilicet,

mus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem & [1] campus noſter, & ſtudia venandi, honeſta exempla ludendi.

30. [2] Sed pertinet ad omnem officii quæſtionem ſemper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus, reliquiſque belluis antecedat. [3] Illæ nihil ſentiunt, niſi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu. hominis autem mens diſcendo alitur, & cogitando, ſemper aliquid aut anquirit, aut agit, videndique, & audiendi delectatione ducitur. Quinetiam, ſi quis eſt paulo ad voluptates propenſior, modo ne ſit ex pecudum genere, (ſunt enim quidam homines [4] non re, ſed nomine) ſed ſi quis eſt [5] paulo erectior, quamvis voluptate capiatur, occultat, & diſſimulat appetitum voluptatis propter verecundiam. ex quo intelligitur, corporis voluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia, eamque contemni, & rejici oportere. ſin ſit quiſpiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum eſſe ejus fruendæ modum. Itaque victus, cultuſque corporis ad valetudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatem. atque etiam, ſi conſiderare volumus, quæ ſit in natura excellentia, & dignitas, intelligemus, quam ſit turpe, [6] diffluere luxuria, & [7] delicate, ac molliter vivere: quamque honeſtum, [8] parce, [9] continenter, [10] ſevere, [11] ſobrie. Intelligendum eſt etiam, duabus quaſi nos à natura indutos eſſe perſonis: quarum una eſt

ſcilicet, quæ in luſu profundi ſolent; ut riſus, clamor, ſermonis libertas, motus etiam carnis; quæ omnia moderanda ſunt. *Idem.*

1 *Campus noſter*] Juvenes in campo Martio ſeſe palæſtra, cæteriſque ludis exercere ſoliti ſunt.

2 *Sed pertinet*] Quoniam decorum generale poſitum eſt in ea excellentia, qua homo differt à belluis, in diſputatione de decoro videndum eſt, quanto pecudibus præſtantiores ſumus. Excellentiam enim rationalis naturæ noſtræ excolere, belluinos autem appetitus, & voluptates ſpernere debemus.

3 *Illæ nihil ſentiunt, niſi voluptatem*] Beſtiæ ſcilicet uni voluptati ſunt addictæ, nihil præterea curant. *Manut.*

4 *Non re, ſed nomine*] Ab humanitate revera longiſſime diſtantes. *Idem.*

5 *Paulo erectior*] Non humi abjectus animo, & cogitatione. *Idem.*

6 *Diffluere luxuria*] Omnibus libidinibus frænos laxare. *Idem.*

7 *Delicate, ac molliter vivere*] Genio indulgere. *Idem.*

8 *Parce*] Ne quid ſumptus fiat in res ſupervacaneas; quo conſervatur res familiaris, injuriæ, ac malæ artes vitantur. *Idem.*

9 *Continenter*] Coercere libidinem, imperare voluptatibus. *Idem.*

10 *Severe*] Cogitationi rerum gravium, & utilium eſſe intentum: aut rei familiari, aut Philoſophiæ operam dare. *Idem.*

11 *Sobrie*] Cibo, & potu ad conſervandam tantum valetudinem uti, non autem luxuriæ, & crapulæ ſe dedere. *Idem.*

communis, ex eo, quod omnes participes ſumus rationis, præſtantiæque ejus, qua antecellimus beſtiis, à qua omne honeſtum, decorumque trahitur, & ex qua ratio inveniendi officii exquiritur: altera autem, quæ proprie ſingulis eſt tributa. Ut enim in corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt (alios enim videmus velocitate ad curſum, alios viribus ad luctandum valere: itemque in formis [1]aliis dignitatem ineſſe, aliis venuſtatem) ſic in animis exiſtunt etiam majores varietates. Erat in L. Craſſo, & in L. Philippo multus lepos: major etiam, magiſque de induſtria in C. Cæſare, L. filio. At iiſdem temporibus in M. Scauro, & in M. Druſo adoleſcente, ſingularis ſeveritas: in C. Lælio multa hilaritas: in ejus familiari Scipione [2]ambitio major, vita [3]triſtior. De Græcis autem, dulcem, & facetum, feſtivique ſermonis, atque in omni oratione [4]ſimulatorem, quem εἴρωνα Græci nominaverunt, Socratem accepimus: contra Pythagoram, & Periclem, ſummam auctoritatem conſecutos, ſine ulla hilaritate. Callidum Hannibalem ex Pœnorum; ex noſtris ducibus Q. Maximum accepimus: facile celare, tacere, diſſimulare, inſidiari, præcipere hoſtium conſilia. In quo genere Græci Themiſtoclem, & Pheræum Jaſonem cæteris anteponunt. in primiſque verſutum, & callidum factum Solonis, qui, quo & tutior vita ejus eſſet, & plus aliquanto reip. prodeſſet, [5]furere ſe ſimulavit. Sunt his alii multum diſpares, ſimplices, & aperti: qui nihil ex occulto, nihil ex inſidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici: itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis deſerviant, dum, quod velint, conſequantur: ut Syllae M. Craſſum videbamus. quo in genere verſutiſſimum, & patientiſſimum Lacedæmonium Lyſandrum accepimus. Contraque Callicratidam, qui præfectus claſſi proximus poſt Lyſandrum fuit. Itemque in ſermonibus [6]alium quemque, quamvis præpotens ſit, efficere, ut unus de

1 *Aliis dignitatem ineſſe, aliis venuſtatem*] Virile quiddam *dignitas*, muliebre continet *venuſtas*. *Idem*.

2 *Ambitio*] Eſt hic σεμνότης in habitu, & cultu. *Grav*. Honoris cupiditas, & appetitio. *Maturant*.

3 *Triſtior*] Severior, & gravior. Ad laudem hic ſumitur, non ad amaritudinem. *Idem*.

4 *Simulatorem*] Vox hic in bonam accipitur partem, non pro doloſo hypocrita, ut ſæpius.

5 *Furere ſe ſimulavit*] Hujuſce fictæ inſaniæ exemplo ſit præter Solonem apud Judæos David, apud Romanos Brutus.

6 *Alium quemque, quamvis prapotens ſit*] Hoc vult ſententia: Eſſe in quibuſdam talem ſermonis comitatem, ut

multis esse videatur. quod in Catulo, & in patre, & in filio, idemque in Q. Mutio Mancia vidimus. Audivi ex majoribus natu hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica: contraque patrem ejus, illum, qui T. Gracchi conatus perditos vindicavit, nullam comitatem habuisse sermonis: ne Xenocratem quidem, severissimum philosophorum, ob eamque rem ipsam magnum, clarumque fuisse. Innumerabiles aliæ dissimilitudines sunt naturæ, monumque, [1] minime tamen vituperandorum.

31. Admodum autem [2] tenenda sunt sua cuique, non vitiosa, sed tamen propria, quo facilius decorum illud, quod quærimus, retineatur. Sic enim est faciendum, ut contra [3] universam naturam nihil contendamus: ea tamen conservata, propriam naturam sequamur: ut, etiam si sint alia graviora, atque meliora, tamen nos [4] studia nostra naturæ regula metiamur. Neque enim attinet repugnare naturæ, nec quidquam sequi, quod assequi non queas. Ex quo magis emergit, quale sit decorum illud, ideo, quia nihil decet invita (ut aiunt) Minerva, id est, adversante, & repugnante natura. [5] Omnino si quidquam est decorum, nihil est profecto magis, quam æquabilitas universæ vitæ, tum singularum actionum; quam conservare non possis, si [6] aliorum naturam imitans omittas tuam. Ut enim sermone eo debemus uti, qui notus est nobis, ne (ut quidam) Græca

quamvis sint in magna dignitate constituti, quoties tamen cum infimæ quoque sortis hominibus sermones serere dignantur, videntur & ipsi ejusdem esse loci, ordinisque, nullum in colloquiis fastum, arrogantiamve præ se ferentes. *Grav.* Inventi sunt multi, qui, quamvis in dicendo plurimum possent, ad humilem tamen, & vulgarem loquendi consuetudinem descenderent. *Maturant.*

1 *Minime tamen vituperandorum.*] Si nempe illæ naturales inclinationes recte regantur, neque per pravam adsuefactionem aliquid labis contraxerint. *Rachel.*

2 *Tenenda sunt sua cuique.*] De ejusmodi naturalibus inclinationibus loquitur Cicero, quæ usum potissimum in familiari habent consuetudine. Monet igitur, ut quisque suæ naturæ ductum sequatur, nec inepte aliorum mores, gestus, aut orationem adfectet, nec quidquam invita (ut aiunt) Minerva moliatur. *Idem.*

3 *Universam naturam.*] Hoc est, Rationem, humanæque naturæ præstantiam.

4. *Studia nostra naturæ regula metiamur.*] ex. gr. Quisquis est natura hilaris, & poeticis studiis deditus, non debet Philosophiæ, aut Juris Civilis studiis incumbere, quæ tetrica sunt, & aspera. *Maturant.* Unusquisque se suo modulo (ut loquitur Horatius) suoque pede metiatur.

5 *Omnino si quidquam est decorum.*] Ad conservandum decorum tenenda est constantia, & per totius vitæ cursum uniformitas. ex. gr. Qui natura gravis est, à gravitate non discedat. Quod si idem cupiditate victus res sequatur amatorias, sibi inæqualis erit, ac dissentiens. *Maturant.*

6 *Aliorum naturam imitans.*] Ut si severo sis ingenio, urbani tamen mores imiteris. *Maturant.*

verba

verba inculcantes jure optimo irrideamur: ſic in actiones, omnemque vitam nullam diſcrepantiam conferre debemus. Atque hæc differentia naturarum tantam habet vim, ut nonnunquam mortem ſibi ipſe conſciſcere alius debeat, alius in eadem cauſa non debeat. Num enim [1] alia in cauſa M. Cato fuit, alia cæteri, qui ſe in Africa Cæſari tradiderunt? Atqui cæteris forſitan vitio datum eſſet, ſi ſe interemiſſent, propterea quod eorum vita lenior, & mores fuerant faciliores: Catoni autem cum incredibilem tribuiſſet natura gravitatem, eamque ipſe perpetua conſtantia roboraviſſet, ſemperque in propoſito, ſuſceptoque conſilio permanſiſſet, [2] moriundum potius, quam tyranni vultus adſpiciendus fuit. Quam multa paſſus eſt Ulyſſes in illo errore diuturno, cum & mulieribus [3] (ſi Circe, & Calypſo, mulieres appellandæ ſunt) inſerviret, & in omni ſermone omnibus affabilem, & jucundum ſe eſſe vellet? domi vero etiam contumelias ſervorum, ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, [4] quod cupiebat, perveniret. At Ajax, quo animo traditur, millies oppetere mortem, quam illa perpeti maluiſſet. quæ contemplantes expendere oportebit, [5] quid quiſque habeat ſui: eaque moderari, nec velle experiri, quam ſe aliena deceant. id enim maxime quemque decet, quod eſt cujuſque maxime ſuum. Suum igitur quiſque noſcat ingenium, [6] acremque ſe & bonorum, & vitiorum ſuorum judicem præbeat: [7] ne ſcenici plus, quam nos, videantur habere prudentiæ. illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt. [8] qui voce freti ſunt, [9] Epigonos,

1 *Alia in cauſa*] Id eſt, Alio loco, alia conditione. *Grav.*

2 *Moriundum potius*] Hoc ex Stoicorum placitis, quæ merito Peripatetici, aliique fere omnes repudiarunt Philoſophi. Suicidium enim hoc loco ſupponitur eſſe licitum, licet revera Naturæ, id eſt, rectæ rationis legibus adverſatur.

3 *Si Circe, & Calypſo, mulieres appellanda ſunt*] Non autem proprie mulieres, ut quidam volunt, quoniam Deæ fuerunt, altera nimirum Solis, altera unius ex Nereidibus filia. Sed potius, quoniam monſtra erant, utpote veneficæ, & incantatrices. *Maturant.*

4 *Quod cupiebat*] Hoc eſt, Procos occidere, & Penelope uxore quiete frui. *Manut.*

5 *Quid quiſque habeat ſui*] Id eſt, Quid cuique naturale ſit. *Maturant.*

6 *Acrem judicem*] Severum, non ſui nimis amantem. *Manut.*

7 *Ne ſcenici plus, quam nos*] Si Mimi, & Hiſtriones eas ſuſcipiunt partes, quibus ipſi maxime ſunt idonei; quanto magis nos in vitæ ratione iis debemus ſtudiis adhærere, quibus aptiſſimos nos reddidit Natura?

8 *Qui voce freti ſunt*] Qui altam habent vocem, & robuſta latera. *Maturant.*

9 *Epigonos*] Ita appellantur liberi, ducum

[1] Medumque: qui geſtu, [2] Menalippam, [3] Clytæmneſtram: ſemper Rupilius, quem ego memini, Antiopam: [4] non ſæpe Æſopus Ajacem. Ergo hiſtrio hoc videbit in ſcena, non videbit vir ſapiens in vita? Ad quas igitur res aptiſſimi erimus, [5] in iis potiſſimum elaborabimus. ſin aliquando neceſſitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenii non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, [6] ut ea, ſi non decore, at quam minimum indecore facere poſſimus. Nec tam eſt enitendum, ut bona, quæ nobis data non ſint, ſequamur, quam, ut vitia fugiamus.

32. [7] Ac duabus iis perſonis, quas ſupra dixi, tertia adjungitur, quam caſus aliquis, vel tempus imponit: quarta etiam, quam nobiſmetipſis judicio noſtro accommodamus. nam regna, imperia, nobilitates, honores, divitiæ, opes, eaque, quæ ſunt his contraria, in caſu ſita, temporibus gubernantur. Ipſi autem [8] gerere quam perſonam velimus, à noſtra voluntate proficiſcitur. itaque ſe alii ad philoſophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquentiam applicant: ipſarumque virtutum in alia alius mavult excellere. Quorum vero patres, aut majores aliqua gloria præſtiterunt, ii ſtudent plerumque eodem in genere laudis excellere. ut Q. Mucius, P. filius, in jure civili; [9] Pauli filius, Africanus in re militari. Quidam autem

cum primo bello Thebano interfectorum, qui ſecundum excitaverunt bellum, Thebaſque everterunt; unde Tragœdiam Græce ſcripſit Euripides, Accius Latine.

1 *Medum*] Medeæ incantatricis filium, à cujus nomine Pacuvius inſcripſit Tragœdiam.

2 *Menalippam*] Antiopes, Amazonum reginæ, ſororem.

3 *Clytæmneſtram*] Truculentam Agamemnonis uxorem.

4 *Non Æſopus Ajacem*] Hunc Cicero pronuntiando imitatus eſt. Sedata autem, graviorque (haud abſimilis forſan Bettertoni Noſtratis, ſenio ſaltem confecti) fertur elocutio; ideoque ad concitatos Ajacis Telamonii furores exprimendos minus apta. Hanc Æſopi gravem, compoſitam, & vere Regiam eloquendi facultatem, non ſine concitatiore Roſcii vehementia, feliciter aſſecutus eſt familiaritate nobis conjunctiſſimus THEOPHILUS KEEN, Theatri novi ſuſtentaculum.

5 *In iis potiſſimum*] Quid enim, Natura adverſante, fieri poteſt? Perinde eſt, ac ſi adverſo natemus alveo. *Grav.*

6 *Ut ea, ſi non decore*] Curandum eſt, ut ſi minus elegantiæ, nihil tamen ruſticitatis appareat.

7 *Ac duabus*] Cicero duas in homine perſonas dixerat eſſe naturales: generalem, qua homines à beſtiis differunt: ſpecialem, qua homines inter ipſos. Nunc duas quoque adjicit, hanc de Fortuna, illam de animi propoſito, arbitrioque noſtro pendentem.

8 *Gerere quam perſonam velimus*] Inſudare ſtudiis, quibuſcunque volumus, ex. gr. Juris Civilis, Philoſophiæ, Artis Medicæ, aut, ſi placet, Mechanicæ, in noſtra poteſtate ſitum eſt.

9 *Pauli*] Æmilii ſcilicet, qui de Perſeo, Macedonum rege, triumphavit. *Manut.*

ad

ad eas laudes, quas à patribus acceperunt, addunt aliquam ſuam: ut hic idem Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam. quod idem fecit Timotheus, Cononis filius, qui cum belli laude non inferior fuiſſet, quam pater, ad eam laudem doctrinæ, & ingenii gloriam adjecit. Fit autem interdum, ut nonnulli, omiſſa imitatione majorum, ſuum quoddam inſtitutum conſequantur: maximeque in eo plerumque elaborant ii, qui magna ſibi proponunt, obſcuris orti majoribus. Hæc igitur omnia, cum quærimus, quid deceat, complecti animo, & cogitatione debemus. In primis autem conſtituendum eſt, quos nos, & quales eſſe velimus, & in quo genere vitæ: quæ deliberatio eſt omnium difficillima. Ineunte enim adoleſcentia, cum eſt maxima imbecillitas conſilii, tum id ſibi quiſque genus ætatis degendæ conſtituit, quod maxime adamavit. itaque ante implicatur aliquo certo genere, curſuque vivendi, quam potuit, quod optimum eſſet, judicare. Nam quod [1] Herculem Prodicium dicunt (ut eſt [2] apud Xenophontem) cum primum pubeſceret (quod tempus à natura ad deligendum, quam quiſque viam vivendi ſit ingreſſurus, datum eſt) exiſſe in ſolitudinem, atque ibi ſedentem, diu ſecum, multumque dubitaſſe, cum duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, utram ingredi melius eſſet. hoc Herculi Jovis ſatu edito potuit fortaſſe contingere: nobis non item, qui imitamur, quos cuique viſum eſt, atque ad eorum ſtudia, inſtitutaque impellimur. Plerique autem, [3] parentum præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem, moremque deducimur. [4] alii multitudinis judicio feruntur, quæque majori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptant. nonnulli tamen, ſive felicitate quadam, ſive bonitate naturæ, ſive parentum diſciplina, rectam vitæ ſecuti ſunt viam.

33. [5] Illud autem maxime rarum genus eſt eorum, qui aut

1 *Herculem Prodicium*] Id eſt, A Prodico Sophiſta in fabula repræſentatum.

2 *Apud Xenophontem*] In libro ſecundo Memorabilium.

3 *Parentum præceptis imbuti*] Sicut nunc ſe habet cum religione, & ſacris. Plerique ſectam ſequuntur eam, ad quam *præceptis parentum imbuti*, & informati ſunt à primis annis. *Grav.*

4 *Alii multitudinis judicio feruntur*] Quod fallax, varium, & mutabile ſemper: ideoque vulgo placere, ſapientibus eſt diſplicere.

5 *Illud maxime rarum*] Pauciſſimi ſunt, qui, ineunte adoleſcentia, tam excellenti ingenio, & doctrina præditi ſunt, ut jam mature poſſint deligere, quale vitæ genus ſequi velint. *Maturant.*

excellentis

excellentis ingenii magnitudine, aut præclara eruditione, atque doctrina, aut utraque re ornati, ſpatium etiam deliberandi habuerunt, quem potiſſimum vitæ curſum ſequi vellent: in qua deliberatione [1] ad ſuam cujuſque naturam conſilium eſt omne revocandum. Nam cum in omnibus, quæ aguntur, [2] ex eo modo, quo quiſque natus eſt (ut ſupra dictum eſt) quid deceat, exquirimus; tum in tota vita conſtituenda multo eſt ei rei cura major adhibenda, ut conſtare in vitæ perpetuitate poſſimus nobiſmetipſis, nec in ullo officio [3] claudicare. Ad hanc autem rationem quoniam maximam vim natura habet, fortuna proximam, utriuſque omnino ratio habenda eſt in deligendo genere vitæ: ſed naturæ magis. multo enim & firmior eſt, & conſtantior; ut fortuna nonnunquam, tanquam ipſa [4] mortalis, cum immortali natura pugnare videatur. Qui igitur ad naturæ ſuæ non vitioſæ genus conſilium vivendi omne contulerit, is conſtantiam teneat. id enim maxime decet; niſi forte ſe intellexerit erraſſe in deligendo genere vitæ. Quod ſi acciderit ([5] poteſt autem accidere) facienda morum, inſtitutorumque mutatio eſt. [6] eam mutationem ſi tempora adjuvabunt, facilius, commodiuſque faciemus. ſin minus, [7] ſenſim erit, pedetentimque facienda: ut amicitias, quæ minus delectent, & minus probentur, magis decere cenſent ſapientes ſenſim [8] diſſuere, quam repente præcidere. Commutato autem genere vitæ,

1 *Ad ſuam cujuſque naturam*] In vivendi ratione deligenda ſemper reſpiciendum eſt, quid potiſſimum ingenio, indolique noſtræ conveniat.

2 *Ex eo modo, quo quiſque natus eſt*] Id eſt, Ex ingenio naturali; ad quod qui dicta, factaque accommodat, idem ſemper decorum conſervabit.

3 *Claudicare*] Errare: quod nunquam poteſt, qui naturam ſequitur ducem. *Maturant.*

4 *Mortalis, cum immortali natura pugnare videatur*]

Naturam expellas furca licet, uſque recurret.

Itaque cum Fortuna luctatur cum Natura, pugna eſt Gigantis cum Deo. *Grav.*

5 *Poteſt autem accidere*] Adoleſcentia enim deliberationi non eſt idonea, cum ea ætas in voluptates maxime prona ſit, & perſpicere, quæ optima ſunt, nequeat. *Maturant.* Homines enim ſumus, quorum Errare proprium eſt. *Manut.*

6 *Eam mutationem ſi tempora adjuvabunt*] Si quædam opportunitas, ratioque temporum nos ad aliud vitæ genus vocaverit, ut ipſum Ciceronem, qui, oppreſſa Rep. à Cæſare, relicto foro, & curia, totum ſe dabat Philoſophiæ, & his, quas tum edidit, diſputationibus elucubrandis, ut ſere in proœmiis ſingulis teſtatur. *Grav.*

7 *Senſim erit, pedetentimque facienda*] Paulatim, gradatimque; ne levitate moti videamur, ſi id repente, & quaſi uno impetu faciamus. *Maturant.*

8 *Diſſuere*] Tralatio à rebus vinctis, & colligatis. *Lambin.*

omni

omni ratione curandum eſt, ut id bono conſilio feciſſe videamur. Sed quoniam paulo ante dictum eſt, imitandos eſſe majores, primum illud exceptum ſit, [1] ne vitia ſint imitanda: deinde, ſi natura non feret, ut quædam imitari poſſint, ut ſuperioris Africani filius, qui hunc Paulo natum adoptavit, propter infirmitatem valetudinis non tam potuit patris ſimilis eſſe, [2] quam ille fuerat ſui. Si igitur non poterit ſive cauſas defenſitare, ſive populum [3] concionibus tenere, ſive bella gerere, illa tamen præſtare debebit, [4] quæ erunt in ipſius poteſtate, [5] juſtitiam, [6] fidem, [7] liberalitatem, [8] modeſtiam, [9] temperantiam, quo minus ab eo [10] id, quod deſit, requiratur. Optima autem hæreditas à patribus traditur liberis, omnique patrimonio præſtantior, gloria virtutis, rerumque geſtarum: cui dedecori eſſe, nefas, & impium judicandum eſt.

34. Et quoniam officia non eadem diſparibus ætatibus tribuuntur, aliaque ſunt juvenum, alia ſeniorum, aliquid etiam de hac diſtinctione dicendum eſt. Eſt igitur adoleſcentis, [11] majores natu vereri, exque his [12] deligere optimos, & probatiſſimos, quorum conſilio, atque auctoritate nitatur. Ineuntis enim ætatis [13] inſcientia ſenum [14] conſtituenda, & regenda prudentia eſt. Maxime autem hæc ætas à libidinibus arcenda eſt, exer-

1 *Ne vitia ſint imitanda*] Ita Platonis gibbum, Ariſtocelis balbutiem, Alexandri M. aquilinum naſum ſtolide diſcipuli, aulicique ſunt imitati. *Rachel.*

2 *Quam ille fuerat ſui*] Sui ſcilicet patris ſimilis, qui imperator poſt multas in Hiſpania victorias occubuit. *Manut.*

3 *Concionibus tenere*] Orationibus elegantibus docere, movere, delectare.

4 *Quæ erunt in ipſius poteſtate*] Quæ nulla vis Fortunæ adimere poſſit. *Manut.*

5 *Juſtitiam*] Quæ ſuum cuique tribuit. *Manut.*

6 *Fidem*] Dictorum, conventorumque conſtantiam, & veritatem. *Idem.*

7 *Liberalitatem*] Quæ re, opera, conſilio alios juvat. *Idem.*

8 *Modeſtiam*] Quæ modum ſervat cum in aliis rebus, tum in opinione de ſe ſit. *Idem.*

9 *Temperantiam*] Quæ pravis affectibus dominatur. *Idem.*

10 *Id, quod deſit*] Virtus bellica, eloquendi facultas, & ſimilia.

11 *Majores natu vereri*] Hinc etiam *ſenes*, & *ſeniores* dicuntur Latinis viri tanto honore digni propter virtutem, aut doctrinam, aut ingenium. *Grav.*

12 *Deligere optimos, & probatiſſimos*] Hoc præceptum imprimis eſt neceſſarium, ut adoleſcens & in ſtudiis, & in vita inſtituenda proponat ſibi aliquem propter virtutem probatiſſimum, quem affingat, quemque ſummo ſtudio exprimat. Et ſane ſolebant Romani adoleſcentes ſtatim à die tyrocinii commendari viro inſigni, quem imitarentur. *Idem.*

13 *Inſcientia*] *Inſcitia* denotat ruditatem quandam, & inelegantiam: *inſcientia* vero ignorantiam, imperitiamque. *Lamb.*

14 *Conſtituenda*] Quaſi firmanda, & ſtabilienda. *Manut.*

cendaque

cendaque in labore, [1] patientiaque & animi, & corporis, ut eorum & [2] in bellicis, & civilibus officiis vigeat induſtria. atque etiam cum [3] relaxare animos, & dare ſe jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ: quod erit facilius, ſi in ejuſmodi quidem rebus majores natu intereſſe velint. [4] Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendæ videntur. danda vero opera, ut & amicos, & juventutem, & maxime rempub. [5] conſilio, & prudentia quam plurimum adjuvent. Nihil autem magis cavendum eſt ſenectuti, quam ne languori ſe, deſidiæque dedat. Luxuria vero cum omni ætati turpis, tum ſenectuti fœdiſſima eſt. ſin autem libidinum etiam intemperantia acceſſerit, duplex malum eſt, quod & ipſa ſenectus concipit dedecus, & facit adoleſcentium impudentiorem intemperantiam. Ac ne illud quidem alienum eſt, de magiſtratuum, de privatorum, de civium, de peregrinorum officiis dicere. Eſt igitur proprium munus magiſtratus, intelligere, ſe [6] gerere perſonam civitatis, debereque ejus dignitatem, & decus ſuſtinere, [7] ſervare leges, [8] jura deſcribere, ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe. Privatum autem oportet [9] æquo, & pari cum civibus jure vivere, [10] neque ſubmiſſum, & abjectum, neque ſe efferentem: tum in rep. ea velle, quæ tranquilla, & honeſta ſint. talem enim & ſen-

1 *Patientiaque & animi*] Ut diſcant iram coercere, vindictæ libidinem comprimere, vitiis, non hominibus, ſuccenſere, mores aliorum facile ferre. *Grav.*

2 *In bellicis, & civilibus officiis*] Belli, domique: & in patria armis tuenda, & in pacata adminiſtratione. *Manut.*

3 *Relaxare animos*] Quos, tanquam arcus, intentos habuerunt. *Idem.*

4 *Senibus labores corporis minuendi*] Qui enim in ſtadio ad metam currit, cum oportet curſum remittere, non intendere. Hinc omnium civilium munerum honeſtam excuſationem habet ſenectus. *Grav.*

5 *Conſilio, & prudentia adjuvent*] Hinc ſemper ſenibus commiſſa eſt cura Reip. in bene conſtitutis civitatibus. Unde *Senatus* nomen habuit. Ratio in promptu eſt: *ſeris* enim *venit uſus ab annis.* Contra Remp. ſæpe juniorum imprudentia perdidit, aut in maximum diſcrimen adduxit. Hinc & *nannos* Græcis eſt, calidus, temerarius, qualia ſunt juvenum conſilia. *Grav.*

6 *Gerere perſonam civitatis*] Quidquid agat, geratve, id videri totum populum egiſſe, proque eo aut laudem, aut dedecus ferre. *Idem.*

7 *Servare leges*] Quarum præſidio civitates reguntur. *Manut.*

8 *Jura deſcribere*] Non eſt, leges ferre, ſeu condere, ſed jus ſuum cuique tribuere, jus dicere. *Grav. Deſcribere* enim eſt, ordinare, diſtribuere.

9 *Æquo, & pari jure*] Nam potentiores, & tenuiores conjuncti eſſe debent in Rep. gerenda. *Manut.*

10 *Neque ſubmiſſum*] Quales erant omnes Romani, oppreſſa à Cæſare libertate. *Grav.*

tire

tire bonum civem, & dicere ſolemus. Peregrini autem, & incolæ officium eſt, nihil præter ſuum negotium agere, nihil de alieno anquirere, [1] minimeque in aliena eſſe rep. curioſum. Ita fere officia reperientur, cum quæretur, quid deceat, & quid aptum ſit perſonis, temporibus, ætatibus. Nihil eſt autem, quod tam deceat, quam in omni re gerenda, conſilioque capiendo ſervare conſtantiam.

35. Sed quoniam decorum illud in omnibus factis, & dictis, in corporis denique motu, & ſtatu cernitur, idque poſitum eſt in tribus rebus, [2] formoſitate, ordine, ornatu ad actionem apto; [3] difficilius ad eloquendum, ſed ſatis erit intelligi. In his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur iis, quibuſcum, & apud quos vivamus. his quoque de rebus pauca dicantur. Principio, corporis noſtri magnam natura ipſa videtur habuiſſe rationem, quæ formam noſtram, reliquamque figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, poſuit in promptu. quæ partes autem corporis, ad naturæ neceſſitatem datæ, adſpectum eſſent deformem habituræ, ac turpem, eas contexit, atque abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata eſt hominum verecundia. Quæ enim natura occultavit, eadem omnes, qui ſana mente ſunt, [4] removent ab oculis, ipſique neceſſitati dant operam, ut quam occultiſſime pareant: quarumque

1 *Minimeque in aliena eſſe Rep. curioſum*] Nimirum non eſt peregrini, ut alienis ſe negotiis ingerat, quæ nihil ad ſe pertinent; nec ita perſcrutetur leges, & mores alienæ Reip. ut illius arcana rimetur. *Idem.*

2 *Formoſitate, ordine, ornatu*] *Formoſitas* ſignificat naturalem, *ornatus* artificioſam corporis elegantiam, *ordo* ideneam, & opportunam verborum, actionumque diſpoſitionem. Alium nempe ordinem exigit convivium, alium curia, forumve.

3 *Difficilius ad eloquendum*] Propter Latini ſermonis inopiam. *Manut.*

4 *Removent ab oculis*] Partes autem noſtræ genitales non ſunt natura ſua pudendæ, ſed tantum politarum gentium inſtituto. Adamus, & Eva in Paradiſo ſine pudore, aut peccato nudi fuerunt. Qui corpora humana diſſecant, palam omnium oculis ſine probro membra exponunt genitalia. Sic cum medicatrici manui committenda ſunt, ſine dedecore nudantur. Aut etiam, cum temporis poſtulat neceſſitas; ut cum, exorta turba apud Eccleſiam Conſtantinopolitanam in pervigilio Paſchali, mulieres, quæ veſtes exuerant, ut aquis ſalutaribus pro ſæculi illius more tingerentur, nudæ diſcurrentes ſaluti ſuæ conſuluerunt. Porro totæ gentes Americanæ, necnon in aliis mundi partibus, nudæ incedunt, nulla parte corporis velata. Sic in Abyſſinorum regno plebeiæ fœminæ totæ nudæ ſunt. Apud has gentes nota turpitudinis communi tollitur conſenſu, & impudentiæ crimen non ſubit nuditas, neque peccati labe adſpergitur, quia membra ſine procervitate, aut petulantia patent. Sed tamen apud populos, ubi nuditas proſcripta eſt, non ſine peccato, & impudentiæ crimine, niſi neceſ-

partium corporis uſus ſunt neceſſarii, eas neque partes, neque earum uſus ſuis nominibus appellant: quodque [1] facere turpe non eſt, modo occulte, id dicere obſcœnum eſt. itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat, nec orationis obſcœnitas. Nec vero audiendi ſunt [2] Cynici, aut ſi qui fuerunt Stoici pæne Cynici, qui reprehendunt, & irrident, quod ea, quæ re turpia non ſint, nominibus, ac verbis flagitioſa ducamus: illa autem, quæ turpia ſint, nominibus appellemus ſuis, Latrocinari, fraudare, adulterare re turpe eſt: ſed dicitur non obſcœne: liberis dare operam re honeſtum eſt, nomine obſcœnum: pluraque in eam ſententiam ab eiſdem contra verecundiam diſputantur. Nos autem [3] naturam ſequamur, & omne, quod abhorret oculorum, auriumque approbatione, fugiamus. Status, inceſſus, ſeſſio, [4] accubitio, vultus, oculi, manuum motus, [5] teneant illud decorum. Quibus in rebus duo maxime ſunt fugienda: nequid effæminatum, aut molle; & nequid durum, aut ruſticum ſit. Nec vero hiſtrionibus, oratoribuſque concedendum eſt, ut iis hæc apta ſint, nobis diſſoluta. Scenicorum quidem mos tantam habet veteri diſciplina verecundiam, ut in ſcenam [6] ſine ſubligaculo prodeat nemo. Verentur enim, ne ſi quo caſu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, adſpiciantur non decore. Noſtro quidem more cum parentibus puberes filii, cum ſoceris generi non lavantur. Retinenda eſt igitur hu-

ſitatis, aut utilitatis cauſa, detegantur genitalia, ſive quia libidinem provocant, aut quia humanæ naturæ extinguunt dignitatem. *Grav.*

1 *Facere turpe non eſt, modo occulte*] Quia naturale, & neceſſarium. *Manut.* Multa ſunt turpia, quæ, mutatis circumſtantiis, turpitudinis infamiam exuunt. Sic ſoluta veſte domi verſari non erubeſcimus, eadem tamen veſtitos ad nuptias, aut in forum prodire indecorum ducimus. *Grav.*

2 *Cynici*] Ignominiæ nomen, ὁτὶ τοῦ κυνὸς, quia obvios quoſque admonendo allatrare potius, quam alloqui ſolebant: vel quod illis in propatulo cum conjugibus, canum more, coire mos fuit. *Manut.*

3 *Naturam ſequamur*] Quæ nobis inſevit pudorem, & corpus ita finxit, & formavit, ut honeſtatis ſummam videatur habuiſſe rationem. *Grav.*

4 *Accubitio*] Significat epulandi ſitum, modumque Romanis ſolitum.

5 *Teneant illud decorum*] Ne ita incedamus, aut ſedeamus, reliquiſque ſimilibus in rebus, quæ hic commemorantur, ita nos geramus, ut aliis tædio ſimus, illorumque oculos offendamus. *Grav.*

6 *Sine ſubligaculo*] Scenici actores tantam habent rationem honeſtatis, & decori, ut ſine ſubligaculo in ſcenam non prodeant; ne dum ſe jactant huc, atque illuc, pudenda forte videantur. *Subligaculum* eſt, quo pudendæ partes corporis teguntur. *Maturant.*

jus

jus generis verecundia, præſertim natura ipſa magiſtra, & duce.

36. Cum autem pulchritudinis duo genera ſint, quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas: venuſtatem muliebrem ducere debemus; dignitatem virilem. Ergo & à forma removeatur omnis [1] viro non dignus ornatus: & huic ſimile vitium in geſtu, motuque caveatur. Nam & [2] palæſtrici motus ſæpe ſunt odioſiores; & hiſtrionum nonnulli geſtus inepti non vacant offenſione: & in utroque genere, quæ ſunt recta, & [3] ſimplicia laudantur. Formæ autem dignitas [4] coloris bonitate tuenda eſt: color exercitationibus corporis. Adhibenda eſt præterea munditia non odioſa, neque [5] exquiſita nimis; tantum quæ fugiat agreſtem, & inhumanam negligentiam. eadem ratio eſt habenda veſtitus: in quo, ſicut in pleriſque rebus, mediocritas optima eſt. Cavendum eſt autem, ne aut tarditatibus utamur in greſſu mollioribus, ut [6] pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur: aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates: quæ cum fiunt, anhelitus movetur, vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna ſignificatio fit, non adeſſe conſtantiam. Sed multo etiam magis elaborandum eſt, [7] ne animi motus à natura recedant: quod aſſequemur, ſi cavebimus, [8] ne in perturbationes, atque exanimationes incidamus, & ſi attentos animos ad decoris conſervationem tenebimus. Motus autem animorum duplices ſunt, alteri cogitationis, alteri appetitus. Cogitatio in vero exquirendo

1 *Viro non dignus ornatus*] Hinc Diogenes adoleſcenti muliebriter compto, quippiam roganti, non prius ſe reſponſurum affirmavit, quam exploratum haberet, virne eſſet, an mulier. *Manut.*

2 *Palæſtrici motus*] In palæſtris docebantur juvenes brachia, totumque corpus ad leges, numeroſque movere. *Grav.* Interdum tamen (velut apud hodiernas Francigenarum Orcheſtras) ibi leves motus, inſolſoſque didicerunt.

3 *Simplicia*] Non affectata, ſed Naturam docem lequentia. *Manutius.*

4 *Coloris bonitate*] Hinc *colorati* dicebantur, qui proſpera utebantur valetudine. Improbatur autem in viris color albus, laudi vero ducitur fuſcus, & quaſi Sole aduſtus. Sic Ovidius:

Fuſcentur corpora campo. Grav.

5 *Exquiſita nimis*] Qualis eſt feminarum, quæ *dum ſe comunt, annos præterit*, ut ait Terentius. *Manutius.*

6 *Pomparum ferculis*] In quibus ſacra, & ſimulachra lentiſſimo inceſſu circumferebantur. *Erafm.*

7 *Ne animi motus à natura recedant*] Aliter enim corporis geſtus, quantilibet elegantes, ſtultitiam noſtrum magis conſpicuam expandunt.

8 *Ne in perturbationes, atque exanimationes*] Ne quid nimis nos perturbaſciat, & mentem nobis excutiat. *Grav.*

maxime verſatur: appetitus impellit ad agendum. curandum eſt igitur, [1] ut cogitatione ad res quam optimas utamur: appetitum rationi obedientem præbeamus.

37. Et quoniam magna vis orationis eſt, eaque duplex; altera contentionis, altera ſermonis: contentio diſceptationibus tribuatur judiciorum, concionum, ſenatus: ſermo [2] in circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiarium verſetur: perſequatur etiam convivia. contentionis præcepta rhetorum ſunt; nulla ſermonis: quanquam haud ſcio, an poſſint hæc quoque eſſe. ſed diſcentium ſtudiis inveniuntur magiſtri, huic autem qui ſtudeant, ſunt nulli: rhetorum turba referta omnia: quanquam quæ verborum, ſententiarumque præcepta ſunt, eadem ad ſermonem pertinebunt. Sed cum orationis indicem vocem habeamus, in voce autem duo ſequamur, ut clara ſit, ut ſuavis; utrumque omnino à natura petendum eſt: verum alterum [3] exercitatio augebit, alterum imitatio [4] preſſe loquentium, & leniter. [5] Nihil aliud fuit in Catulis, ut eos exquiſito judicio putares uti literarum; quanquam erant literati: ſed & alii. hi autem optime uti lingua Latina putabantur. Sonus erat dulcis, literæ neque [6] expreſſæ, neque [7] oppreſſæ, ne aut obſcurum eſſet, aut [8] putidum. Sine contentione vox [9] nec languens,

1 *Ut cogitatione ad res quam optimas utamur*] Vir bonus non tantum à perpetrando, ſed etiam à cogitando malo abſtinet. Cogitationes enim ſunt actionum fontes. Hinc Jure Romano in majoribus criminibus non tantum actus, ſed etiam nuda ſceleris voluntas, quamvis citra exitum ſubſederit, puniebatur. *Grav.*

2 *In circulis*] In corona, & cœtu amicorum. *Maturant.*

3 *Exercitatio augebit*] Magnam ſane curam adhibuerunt veteres circa vocem tuendam, corrigendam, augendam cibis, remediis, corporis exercitiis. Propter quam cauſam dabant operam Phonaſcis, ſeu magiſtris vocis. *Grav.*

4 *Preſſe loquentium*] Ita clare, ut ſingulæ exaudiantur ſyllabæ, tanta tamen cum lenitate, ut nullius aures offendant. *Idem.* Hac arte inclaruit hodie Amiciſſimus Noſter, quem honoris gratia memoramus, Redivivus Ille Roſcius, BARTONUS BOOTH.

5 *Nihil aliud fuit in Catulis*] In Catulis, patre, & filio, mirabantur omnes ſuavitatem, preſſumque vocis ſonum. Nam cum verba facerent, licet eſſent literati, nihil tamen ex interioribus literis prompſerunt, nec illorum diſputationibus adſpergebantur multa erudita, ſed orationes eorum commendabat imprimis ſuavitas vocis. *Grav.*

6 *Expreſſa*] Nimio labore, & affectatione pronuntiatæ.

7 *Oppreſſa*] Ut non plene intelligantur; ſecundum elocutionem puerorum, balborumque. *Maturant.*

8 *Putidum*] Hæc vox denotat non ſolum, quod ab ore fœtido provenit, ſed etiam quicquid auribus auſterum, & inſuave ſonat. *Nonius Marcellus.*

9 *Nec languens, nec canora*] Nec nimis remiſſa, nec intenſa: nec torpens, nec tinnula.

nec

nec canora. Uberior oratio L. Craſſi, nec minus facета: ſed bene loquendi de Catulis opinio non minor. Sale vero, & facetiis Cæſar, Catuli patris frater, vicit omnes: ut in ipſo illo forenſi genere dicendi contentiones aliorum ſermone vinceret. in omnibus igitur his elaborandum eſt, ſi in omni, quid deceat, exquirimus. Sit igitur hic ſermo, in quo Socratici maxime excellunt, lenis, minimeque pertinax: inſit in eo lepos, nec vero, tanquam in poſſeſſionem ſuam venerit, excludat alios: ſed cum reliquis in rebus, tum in ſermone communi, viciſſitudinem non iniquam putet. ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: ſi ſeriis, ſeveritatem adhibeat, ſi jocoſis, leporem. in primiſque provideat, ne ſermo vitium aliquod indicet ineſſe moribus: quod maxime tum ſolet evenire, cum ſtudioſe de abſentibus [1] detrahendi cauſa, aut per ridiculum, aut ſevere, maledice, contumelioſeque dicitur. Habentur autem plerumque ſermones, aut de domeſticis negotiis, aut de rep. aut de artium ſtudiis, atque doctrina. Danda igitur opera eſt, ut, etiam ſi aberrare ad alia cœperit, ad hæc revocetur oratio: ſed, [2] utcunque aderunt res. neque enim omnes iiſdem de rebus, nec omni tempore, nec ſimiliter delectamur. Animadvertendum eſt etiam, quatenus ſermo delectationem habeat, & ut incipiendi ratio fuerit, ita [3] ſit deſinendi modus.

38. Sed quomodo in omni vita rectiſſime præcipitur, ut perturbationes fugiamus, id eſt, motus animi nimios, rationi non obtemperantes: ſic ejuſmodi motibus ſermo debet vacare, [4] ne aut ira exiſtat, aut

1 *Detrahendi cauſa*] Ad imminuendam alterius exiſtimationem, aut gratiam. *Manut.*

2 *Utcunque aderunt res*] Sententia hæc eſt: Qualeſcunque res erunt, de quibus loquimur (non enim ſemper de iiſdem rebus loqui placet) danda eſt opera, ne modum excedamus, iiſque, quibuſcum loquimur, faſtidium, moleſtiamque moveamus. Videndum, quouſque oratio noſtra placeat audientibus. Quemadmodum conſiderandum eſt, priuſquam loqui incipiamus, ne aliorum aures ingrato ſermone offendamus, ſic etiam in finiendo, ne nimia prolixitate odioſi ſimus. Imprimis videndum, quibuſcum ſermones ſerimus. Nam velle apud nautas de re ruſtica loqui, aut apud milites de navibus, & inſtrumento naurico, ineptum eſſet. Itaque ad eorum ingenium eſt accommodandus ſermo, cum quibus ſeritur. *Grav.*

3 *Sit deſinendi modus*] O quam moleſtæ ſunt loquaces fœminæ, Gallique loquaciores, qui indeſinenti garrulitate aſſidentes enecant! Vide Juv. Sat. 6. v. 437. &c.

4 *Ne ira exiſtat*] Excandeſcere in ſermone probroſum eſt, & virum ſapientem maxime dedecet. *Grav.*

cupiditas

[1] cupiditas aliqua, aut [2] pigritia, aut [3] ignavia, aut tale aliquid appareat. maximeque curandum eſt, ut eos, quibuſcum ſermonem conferemus, & [4] vereri, & diligere videamur. Objurgationes etiam nonnunquam incidunt [5] neceſſariæ, in quibus utendum eſt fortaſſe & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore. id agendum etiam, ut ne ea facere videamur irati: ſed, ut ad urendum, & ſecandum, ſic & ad hoc genus caſtigandi raro, invitique veniemus. nec unquam, niſi neceſſario, ſi nulla reperietur alia medicina. ſed tamen ira procul abſit, cum qua nihil recte fieri, nihil conſiderate poteſt. Magna autem parte clementi caſtigatione licet uti, gravitate tamen adjuncta, ut & [6] ſeveritas adhibeatur, & [7] contumelia repellatur. atque etiam illud ipſum, quod acerbitatis habet objurgatio, ſignificandum eſt, ipſius cauſa, qui objurgetur, ſuſceptum eſſe. Rectum eſt autem etiam in illis contentionibus, quæ cum inimiciſſimis fiunt, etiam ſi nobis indigna audiamus, tamen [8] gravitatem retinere, iracundiam repellere. quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, nec conſtanter fieri poſſunt, nec iis, qui adſunt, probari. [9] Deforme etiam eſt, de ſe ipſo prædicare, falſa præſertim, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum.

39. Et quoniam [10] omnia perſequimur (volumus quidem certe) dicendum eſt etiam, qualem hominis honorati, & principis domum placeat eſſe, cujus finis eſt uſus; ad quem accommodanda eſt ædificandi deſcriptio: & tamen adhibenda dignitatis, commoditatiſque diligentia. Cn. Octavio, qui primus ex illa familia conſul factus eſt, honori fuiſſe

1 *Cupiditas aliqua*] Prava ſcilicet, & injuſta. *Manut.*

2 *Pigritia*] Fuga honeſti, & neceſſarii laboris. *Idem.*

3 *Ignavia*] Timidus, & degener animus, honeſta pericula reformidans. *Idem.*

4 *Vereri, & diligere*] Ne aut ſuperbi, aut inhumani exiſtimemur. *Idem.*

5 *Neceſſaria*] Ob hominum injurias, & petulantiam. *Idem.*

6 *Severitas adhibeatur*] Quantum ad veritatem ſpectat, quæ reticenda objurganti non eſt. *Maturant.*

7 *Contumelia*] Aſpera nimis, & odioſa reprehenſio, homine ingenuo indigna.

8 *Gravitatem retinere*] Tranquillitatem, & ſedatum animum; ne irati reſpondere, & temere commoveri videamur.

9 *Deforme etiam*] Debet abeſſe à conſuetudine noſtra omnis mendax oſtentatio, qualis eſt Thraſonis Terentiani, Pyrgopolinicis Plautini, aut puſilli cujuſpiam Marchionis Gallicani.

10 *Omnia*] Quæ ad officiorum rationem pertinent. *Manut.*

accepimus

accepimus, quod præclaram ædificaſſet in Palatio, & plenam dignitatis domum: quæ cum vulgo viſeretur, ſuffragata domino, [1] novo homini, ad conſulatum putabatur. hanc Scaurus demolitus [2] acceſſionem adjunxit ædibus. Itaque ille in ſuam domum conſulatum primus attulit: hic ſummi, & [3] clariſſimi viri filius, in domum [4] multiplicatam, non [5] repulſam ſolum retulit, ſed [6] ignominiam, etiam [7] calamitatem. Ornanda eſt enim dignitas domo, non ex domo tota quærenda: nec domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt. & ut in cæteris habenda ratio, non ſua ſolum, ſed etiam aliorum: ſic in domo clari hominis, in quam & hoſpites multi recipiendi, & admittenda hominum cujuſque modi multitudo, adhibenda eſt cura laxitatis. aliter ampla domus dedecori domino ſæpe fit, ſi eſt in ea ſolitudo. & maxime, ſi aliquando alio domino ſolita eſt frequentari. odioſum eſt enim, cum à prætereuntibus dicitur:

[8] *O domus antiqua, heu quam diſpari dominare domino!*

quod quidem [9] his temporibus [10] in multis licet dicere. Cavendum autem eſt, præſertim ſi ipſe ædifices, ne extra modum ſumptu, & magnificentia prodeas: quo in

1 *Novo homini*] Non novus dicitur Octavius, quatenus reſpicitur familiæ origo, quam jamdudum Numa civitate donaverat: ſed quod ante id tempus majores nullum magiſtratum populi ſuffragio datum geſſerant.

2 *Acceſſionem adjunxit ædibus*] Ædes ſuas, Octavii domum demoliendo, majores effecit. *Manut.*

3 *Clariſſimi viri filius*] M. Æmilii Scauri, principis ſenatus, & triumphalis viri. *Grav.*

4 *Multiplicatam*] Adauctam, majorique magnificentia ornatam.

5 *Repulſam*] In petitione Conſulatus. *Manut.*

6 *Ignominiam*] Utpote (velut Dux Recentior, ob avaritiam neſcio, an uxorem notior) pecuniæ injuſtis modis extorquendæ turpiſſime reus.

7 *Calamitatem*] Quia à Senatu damnatus, & pecunia mulctatus ſua ſponte exulavit.

8 *O domus antiqua, heu quam diſpari dominare domino!*] Verſus eſſe videtur è Tragœdia ſumptus, quo ſignificatur melioris in deterius mutatio. Poteſt enim ſic explicari: O domus antiqua, quæ olim honoratum dominum, clarumque virum habuiſti, longe alium hodie ſortiris, à diſpari dominaris, diſſimili pares. *Turnet.*

9 *His temporibus*] Ætate noſtra de priſcorum Romanorum hoſpitalitate probroſe degeneri.

10 *In multis*] Cæſarianis ſcilicet Pompejanas ædes nullo alio, quam victoriæ, jure habitantibus. Marcus Antonius autem ipſius Pompeii domum occupaverat. *Manut.*

genere

genere multum mali etiam in exemplo eſt. ſtudioſe enim plerique, præſertim in hanc partem, facta principum imitantur: ut L. Luculli, ſummi viri, virtutem quis? at quam multi villarum magnificentiam imitati ſunt? quarum quidem certè eſt adhibendus modus, ad mediocritatemque revocandus: eademque mediocritas ad uſum, cultumque vitæ referenda eſt. Sed hæc hactenus. In omni autem actione ſuſcipienda tria ſunt tenenda: primum, ut appetitus rationi pareat, quo nihil eſt ad officia conſervanda accommodatius: deinde, ut animadvertatur, quanta illa res ſit, quam efficere velimus: ut neve major, neve minor cura, & opera ſuſcipiatur, quam cauſa poſtulet. tertium eſt, ut caveamus, ut ea, quæ pertinent [1] ad liberalem ſpeciem, & dignitatem, moderata ſint. Modus autem eſt optimus, decus ipſum tenere, de quo ante diximus, nec progredi longius. Horum tamen trium [2] præſtantiſſimum eſt, appetitum obtemperare rationi.

40. Deinceps de ordine rerum, & temporum opportunitate dicendum eſt. Hac autem ſcientia continetur ea, quam Græci εὐταξίαν nominant, non hæc, quam interpretamur modeſtiam: quo in verbo modus ineſt: ſed illa eſt [3] εὐταξία, in qua intelligitur ordinis conſervatio. Itaque, ut eandem nos modeſtiam appellemus, ſic definitur à Stoicis, ut [4] modeſtia ſit ſcientia earum rerum, quæ agentur, aut dicentur, loco ſuo collocandarum. itaque videtur eadem vis ordinis, & collocationis fore. Nam & ordinem ſic definiunt, compoſitionem rerum aptis, & accommodatis locis. [5] locum

1 *Ad liberalem ſpeciem, & dignitatem*] Ad ea, quæ laudanda ſunt, & quandam apparentiam libero homine dignam præ ſe ferunt. *Maturant. Species*, & *dignitas* ſunt externa pompa, ſplendor, ornatus, qui in cultu, alioque paratu in oculos hominum incurrit. Hinc *ſpecioſus* dicitur, qui per externam pompam, & ſplendorem ſeſe oſtentat. *Grav.*

2 *Præſtantiſſimum*] Nam eſt veluti cauſa efficiens eorum, quæ ſequuntur. *Manut.*

3 Εὐταξία] Hæc vox aut ſignificat diſciplinam quandam, & verecundiam manendi in ſuo ordine, & loco, ſic ut nec aſpiremus altius, quam decet, nec latius evagemur; quæ prodigalitati, & luxuriæ opponitur: ſeu potius (ut hoc loco ſumi videtur) elegantiam, prudentiamque omnia ordine, & tempeſtive dicendi, & faciendi; quæ importunæ loquacitati, aut intempeſtivæ actioni adverſatur. *Grav.*

4 *Modeſtia*] Duplicem Cicero conſtituit modeſtiam, hanc, in qua modus ſpectatur, illam, in qua ordinis eſt conſervatio. Neque dubium eſt Ciceronem duabus dictionibus fuiſſe uſurum, ſi Latini ſermonis paupertas vim Græcorum verborum expreſſiſſe poterat. *Grav.*

5 *Locum actionis opportunitatem temporis*]

autem actionis, opportunitatem temporis esse dicunt. tempus autem actionis opportunum, Græce [1] εὐκαιρία, Latine appellatur occasio. sic fit, ut modestia hæc, quam ita interpretamur, ut dixi, scientia sit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum. Sed potest [2] eadem esse prudentiæ definitio, de qua principio diximus. hoc autem loco de [3] moderatione, & temperantia, & earum similibus virtutibus quærimus. Itaque, quæ erant prudentiæ propria, suo loco dicta sunt. quæ autem harum virtutum, de quibus jamdiu loquimur, quæ pertinent ad verecundiam, & ad eorum approbationem, quibuscum vivimus, nunc dicenda sunt. Talis est igitur ordo actionum adhibendus, ut, quemadmodum in oratione constanti, sic in vita omnia sint [4] apta inter se, & convenientia. Turpe est enim, valdeque vitiosum, in re severa convivii dicta, aut delicatum aliquem inferre sermonem. Bene Pericles, cum haberet collegam in prætura Sophoclem poetam, hique de communi officio convenissent, & casu formosus puer præteriret, dixissetque Sophocles, O puerum pulchrum, Pericle! At enim prætorem, Sophocle, decet, [5] non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere. Atque hoc idem Sophocles si [6] in athletarum probatione dixisset, justa reprehensione caruisset. [7] tanta vis est & loci, & temporis. Ut si quis, cum causam sit acturus, in itinere, aut in ambulatione secum ipse meditetur, aut si quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur: at hoc idem si in convivio faciat, inhumanus videatur insciti

poris] Hinc *in loco* sæpissime apud scriptores Romanos idem sonat, quod *opportune, tempestive*. *Idem*.

1 *Εὐκαιρία*] Huic virtuti opponitur ἀκαιρία, quam Cicero *insciti temporis* elegantissime vertit. *Idem*.

2 *Eadem prudentiæ definitio*] Quia rationem ostendit, qua quidque faciendum sit. Itaque prudentiæ nomine virtutes omnes Socrates intelligit. *Idem*.

3 *Moderatione*] Moderatio est hoc loco, quam paulo ante *modestiam* dixit. *Idem*.

4 *Apta*] Id est, Connexa, cohærentia, colligata. *Manut*.

5 *Non solum manus, sed etiam oculos abstinentes*] *Manus* scilicet incorruptas, repetundarum expertes: *oculos* pudicos, à libidine, & protervitate alienos. Hoc apophthegmate significavit Pericles, non solummodo à malis actionibus, sed etiam à minimis incontinentiæ, aut injuriæ indiciis esse abstinendum.

6 *In athletarum probatione*] Nudis enim corporibus cernebant athletas, ut, si viderentur robusti, à prætoribus probarentur. *Manut*.

7 *Tanta vis est loci, & temporis*] Inde Stoici aiunt sapientem ne digitum quidem exerere, nisi suo loco, & tempore, cum ratio jubeat: hoc est, in omnibus etiam minutissimis rebus servare decorum, rationem sequi, habita temporis, & loci ratione. *Grav*.

temporis. Sed ea, quæ multum ab humanitate diſcrepant, ut, ſi quis in foro cantet, aut ſi qua eſt alia magna perverſitas, facile apparent, nec magnopere admonitionem, & præcepta deſiderant. quæ autem parva videntur eſſe delicta, neque à multis intelligi poſſunt, ab iis eſt diligentius declinandum: [1] ut in fidibus, aut in tibiis, quamvis paulum diſcrepent, tamen id à ſciente animadverti ſolet: ſic videndum eſt in vita, ne forte quid diſcrepet; vel multo etiam magis, quo major, & melior actionum, quam ſonorum concentus eſt.

41. Itaque, ut in fidibus muſicorum aures vel minima ſentiunt: ſic nos, ſi acres, ac diligentes eſſe volumus, animadverſoreſque vitiorum, [2] magna ſæpe intelligemus ex parvis. [3] Ex oculorum obtutu, [4] ex ſuperciliorum aut remiſſione, aut contractione, ex mœſtitia, ex hilaritate, [5] ex riſu, ex locutione, ex reticentia, [6] ex contentione vocis, ex ſubmiſſione, ex cæteris ſimilibus, facile judicabimus, quid eorum apte fiat, quid ab officio, naturaque diſcrepet. Quo in genere non eſt incommodum, quale quodque eorum ſit, [7] ex aliis judicare: ut, [8] ſi quid deceat alios, vitemus & ipſi. fit enim (neſcio quo modo) ut

1 *Ut in fidibus*] Ut cum citharoedus canere cœperit, ſi nonnihil manus aberraverit, facile à peritis auribus percipitur diſſonantia; ſic vitia, errorelque vitæ noſtræ ſevere animadvertantur, ut ſit æqualitas, ac tenor vitæ per omnia ſibi conſonans.

2 *Magna ſæpe intelligemus ex parvis*] Ex rebus minimis indecorum quiddam præ ſe ferentibus ſæpe licet de maximis vitiis conjicere. Ciceronis illa confirmat D. Ambroſii, & Nazianzeni teſtimonium, dicentium ſe ex motu, inceſſu, & ineptis corporis geſtibus mature deprehendiſſe perverſum Juliani Apoſtatæ ingenium. *Rachel.*

3 *Ex oculorum obtutu*] Oculus eſt præcipuus animi index. Sic Harpalus ex oculorum conjectu ſtatim Demoſthenis cupiditatem deprehendit. Oculos laſcivos effœminatis, aut cinœdis tribuit Ariſtoteles. Contra modeſtus oculus hominis probi, vegetus heroici, & alti animi eſt, qualis J. Cæſaris perhibetur. *Grav.*

4 *Ex ſuperciliorum aut remiſſione, aut contractione*] Sic Quintil. *Ira contracti is, triſtitia deductis, hilaritas remiſſis oſtenditur*, ſc. ſuperciliis. Arrogantibus hominibus tribuitur altum ſupercilium. *Idem.*

5 *Ex riſu*] Riſum immodicum ſemper improbarunt ſapientes. *Idem.* Sic Catullus: *Riſu ſoluto nihil ineptius.*

6 *Ex contentione vocis, ex ſubmiſſione*] Ex priori iracundia, ex poſteriori lenitas, manſuetudo, aut humilitas colligitur. *Maturant.*

7 *Ex aliis judicare*] Ad hoc alienorum morum ſpeculum tanto diligentius mores noſtros explorare, ac emendare debemus, quanto cæciores in re noſtra judices ſumus propter φιλαυτίαν, adfectuumque nebulam. *Rachel.*

8 *Si quid deceat alios*] Notum eſt Lacedæmonios in convivia ſua ſervos ebrios induxiſſe, ut liberos ſuos deterrerent ab ebrietate, cum viderent, quam deformis ea, & turpis eſſet. *Grav.*

1 magis

[1] magis in aliis cernamus, quam in nobiſmetipſis, ſi quid delinquitur. Itaque facillime corriguntur in diſcendo, quorum vitia imitantur emendandi cauſa magiſtri. Nec vero alienum eſt, ad ea eligenda, quæ dubitationem afferunt, [2] adhibere doctos homines, vel etiam uſu peritos, &, quid his de quoque officii genere placeat, exquirere. [3] Major enim pars eo fere deferri ſolet, quo à natura ipſa deducitur. in quibus videndum, non modo quid quiſque loquatur, ſed etiam quid quiſque ſentiat, atque etiam [4] qua de cauſa quid quiſque ſentiat. Ut enim pictores, & ii, qui ſigna fabricantur, & vero etiam poetæ, ſuum quiſque opus à vulgo conſiderari vult: ut, ſi quid reprehenſum ſit à pluribus, id corrigatur; hique & ſecum, & cum aliis, quid in eo peccatum ſit, exquirunt; ſic [5] aliorum judicio permulta nobis & facienda,& non facienda,& mutanda, & corrigenda ſunt. Quæ vero more aguntur, inſtitutiſque civilibus,de iis nihil eſt præcipiendum. Illa enim ipſa præcepta ſunt: nec quemquam hoc errore duci oportet, ut, ſi quid Socrates, aut Ariſtippus contra morem, conſuetudinemque civilem fecerint, locutive ſint, idem ſibi arbitretur licere. [6] Magnis illi,& divinis bonis hanc licentiam aſſequebantur.Cynicorum vero ratio tota eſt ejicienda. eſt enim inimica verecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum. Eos autem, quorum vita perſpecta in rebus honeſtis, atque magnis eſt,bene de repub. ſentientes, ac [7] bene meritos,aut merentes,ſicut aliquo honore, aut imperio affectos obſervare, & colere debemus: [8] tribuere etiam mul-

1 *Magis in aliis cernamus, quam in nobiſmetipſis, ſi quid delinquitur*] Cauſa eſt, partim nimius noſtri amor; partim etiam impia libido aliena perſcrutandi, propalandi,& exaggerandi. Nam plerique mortales non tam aliorum laudibus, quam probris,& vitiis delectantur. Hinc vides Satyras cupide diripi, & legi, encomia faſtidioſe. *Idem.*

2 *Adhibere doctos homines*] Multiplex poteſt occurrere in rebus agendis, aut fugiendis dubitatio. Ne igitur temere, ceu bonum,aliquid perſequaris,aut,tanquam malum, fugias, conſule peritiores. *Rachel.*

3 *Major enim pars*] Plerique homines naturali agunt propenſione. Periclitamur ergo, ne in errores incidamus, ſi appetitui noſtro indulſerimus.

4 *Qua de cauſa quid quiſque ſentiat*] Saluberrimum eſt hoc præceptum Ciceronis. Prout enim quiſque affectus eſt, ita varie de rebus judicat. *Grav.*

5 *Aliorum judicio*] Modo iis probari velimus, & quid alii de nobis ſentiant, non contemnamus. *Manut.*

6 *Magnis, & divinis bonis*] Virtutibus excellentibus,eruditione eximia. *Manut.*

7 *Bene meritos,ſicut aliquo honore*] Non ſecus honorandi ſunt Philoſophi, aliique privati de Rep. bene meriti, ac ii, qui in honore, vel imperio conſtituti ſunt. *Gruter.*

8 *Tribuere multum ſenectuti*] Propter uſum rerum ætate partum: & quod junioribus parentum loco ſint. *Manut.*

tum ſenectuti:[1] cedere iis, qui magiſtratum habebunt:[2] habere delectum civis, & peregrini: in ipſoque peregrino,[3] privatimne, an publice venerit: ad ſummam, ne agam de ſingulis, communem totius generis hominum[4] conciliationem, & conſociationem colere, tueri, ſervare debemus.

42. Jam de artificiis, & quæſtibus, qui liberales habendi, qui ſordidi ſint, hæc fere accepimus. Primum improbantur ii quæſtus, qui in odia hominum incurrunt: ut[5] portitorum, ut[6] fœneratorum. Illiberales autem, & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur. eſt enim illis ipſa[7] merces auctoramentum ſervitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim vendant: nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur. nec vero quidquam eſt turpius[8] vanitate; opificeſque omnes in ſordida arte verſantur. nec enim quidquam ingenuum poteſt habere officina. minimeque artes hæ probandæ, quæ[9] miniſtræ ſunt voluptatum,[10] cetarii,[11] lanii, coqui,[12] fartores,[13] piſcatores, ut ait Terentius. adde huc, ſi placet, unguentarios,[14] ſaltatores,[15] totumque lu-

1 *Cedere iis, qui magiſtratum habebunt*] Ob poteſtatem, & publicam auctoritatem, qua eſt inferior privata cujuſque dignitas. *Idem.*

2 *Habere delectum civis, & peregrini*] Peregrini ſcilicet non æquo officio, parique amore, quo cives, afficiendi ſunt.

3 *Privatimne, an publice venerit*] Nam, ſi legati munere fungitur, major ei tribuendus honor eſt.

4 *Conciliationem*] Societatem, & concordiam. *Maturant.*

5 *Portitorum*] *Portitores* ſunt, qui vectigalibus, & portoriis exigendis præficiebantur. Illi, ut rem ſuam facerent, plus ſæpe, quam lege licitum erat, extorquebant. *Salmaſ.*

6 *Fœneratorum*] *Fœneratores* ſunt, qui pecuniam ſub uſuris aliis elocant. Res autem fœnebris non, tanquam ſordida, damnatur, ſed ars. Res ipſa, ſi modeſto modo exerceatur, & legibus ſe obtemperantem præbeat, cum tali temperamento maximæ eſt utilitatis. Si vero ars fiat, quæ nihil aliud, niſi quæſtum ſuum, reſpiciat, eumque immodicum, nec ſe legibus coercendam permittat, tum exitialis, & perniciofa evadet. *Idem.*

7 *Merces auctoramentum ſervitutis*] Quia mercede conducti tanquam ad ſerviendum obligantur. *Fabric.*

8 *Vanitate*] Id eſt, Mendacio. *Manut.*

9 *Miniſtræ ſunt voluptatum*] Hæ artes non ſumpta natura *miniſtræ ſunt voluptatum*, ſed cum ex pravo hominum uſu luxuriæ ſerviunt indulgendæ. Per ſe autem, quæ priores numerantur, vitæ neceſſaria maxime ſuppeditant.

10 *Cetarii*] Qui cete, id eſt, magnos piſces venditant, & bolonas exercent. *Donat.*

11 *Lanii*] Qui laniant pecora: unde & Laniſtæ dicti, qui laniandis præſunt gladiatoribus. *Idem.*

12 *Fartores*] Qui farta faciunt ex inteſtinis tenuiſſimis animalium. *Maturant.*

13 *Piſcatores*] Qui recentes vendunt piſces, ſicut cetarii ſalſos. *Donat.*

14 *Saltatores*] Molles ſcilicet, laſcivos, & hiſtrionicos. Tantum enim abeſt, ut Romæ ſaltatio habita fuerit indecora, ut omnibus ſacris, pompiſque fuerit adhibita, in iiſque ſaltarint principes civitatis. *Grav.*

15 *Totumque ludum talarium*] Omnes ludos

dum talarium. Quibus autem artibus aut prudentia major ineſt, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura, ut [1] doctrina rerum honeſtarum, hæ ſunt iis, quorum ordini conveniunt, honeſtæ. Mercatura autem, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt: ſin magna, & copioſa, multa undique apportans, multiſque ſine vanitate impertiens, non eſt admodum vituperanda. atque etiam, ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius, ut ſæpe ex alto in portum, ex ipſo portu ſe in agros, poſſeſſioneſque contulerit, videtur jure optimo poſſe laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, [2] nihil homine, nihil libero dignius. de qua, quoniam in Catone majore ſatis multa diximus, illinc aſſumes, quæ ad hunc locum pertinebunt.

43. Sed ab iis partibus, quæ ſunt honeſtatis, quemadmodum officia ducerentur, ſatis expoſitum videtur. Eorum autem ipſorum, quæ honeſta ſunt, poteſt incidere ſæpe contentio, & comparatio; de duobus honeſtis [3] utrum honeſtius: qui locus à [4] Panætio eſt prætermiſſus. Nam, cum omnis honeſtas [5] manet à partibus quatuor, quarum una ſit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis: hæ in deligendo officio ſæpe inter ſe comparentur neceſſe eſt. Placet igitur aptiora eſſe naturæ ea officia, quæ ex communitate, [6] quam ea, quæ ex cognitione ducantur: idque hoc argumento confirmari poteſt; quod, ſi contigerit ea vita ſapienti, ut in omnium rerum affluentibus copiis, quamvis omnia, quæ

ludos, in quibus talis, aleiſve utimur. Non quod ſimpliciter alea ludere apud Romanos fuerit probroſum, ſed quod infames eſſent, quotquot lucri ſolius, non oblectandi animi cauſa alea luſerunt.

1 *Doctrina rerum honeſtarum*] Id eſt, Munus docendi artes ingenuas. *Manut.*

2 *Nihil homine, nihil libero dignius*] *Hominem* fere appellat Cicero eum, qui ſapientiæ præceptis imbutus: *liberum*, modo qui ſervus non ſit. *Lamb.*

3 *Utrum honeſtius*] Si duo officia incidant eodem tempore præſtanda, cum utroque defungi non liceat, tum deliberatur, utrum alteri ſit præferendum. *Grav.*

4 *A Panætio eſt prætermiſſus*] Nil mirum. Stoicis enim, ex quorum numero fuit Panætius, ut peccata paria, ſic etiam æquales habentur virtutes. Quod omnem tollit comparationem, delectumve.

5 *Manet à partibus quatuor*] Proficiſcatur à quatuor Cardinalibus, ſeu præcipuis virtutibus.

6 *Quam ea, quæ ex cognitione ducantur*] Hoc eſt, Officia Juſtitiæ, quæ tendunt ad ſocietatem humanam conſervandam, eligenda potius ſunt, quam Prudentiæ, quæ verſantur in veritate inveſtiganda.

cognitione

cognitione digna ſunt, ſummo otio ſecum ipſe conſideret,& contempletur, tamen, ſi ſolitudo tanta ſit, ut hominem videre non poſſit, [1] excedat è vita. Princepſque omnium virtutum illa ſapientia, quam σοφίαν Græci vocant: prudentiam enim,quam Græci φρόνησιν,aliam quandam intelligimus,quæ eſt rerum expetendarum, fugiendarumque ſcientia; illa autem ſapientia, quam principem dixi, rerum eſt [2] divinarum, atque humanarum ſcientia: in qua continetur Deorum, & hominum communitas, & ſocietas inter ipſos. ea ſi maxima eſt (ut eſt certe) neceſſe eſt,[3]quod à communitate ducatur officium, id eſſe maximum. Etenim cognitio, contemplatioque naturæ manca quodammodo, atque inchoata ſit, ſi nulla actio rerum conſequatur. ea autem actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur. pertinet igitur ad ſocietatem generis humani. ergo hæc cognitioni anteponenda eſt, atque id optimus quiſque re ipſa oſtendit, & judicat. Quis enim eſt tam cupidus in perſpicienda, cognoſcendaque rerum natura, ut, ſi ei tractanti, contemplantique res cognitione digniſſimas ſubito ſit oblatum periculum, diſcrimenque patriæ, cui ſubvenire, opitularique poſſit, non illa omnia relinquat, atque abjiciat, etiam ſi dinumerare ſe ſtellas, aut [4] metiri mundi magnitudinem poſſe arbitretur? atque hoc idem in parentis, in amici re, aut periculo fecerit. Quibus rebus intelligitur, ſtudiis, officiiſque ſcientiæ præponenda eſſe officia juſtitiæ, quæ pertinent ad hominum caritatem, qua nihil homini eſſe debet [5] antiquius.

1 *Excedat è vita*] Quia ſumus animalia ad ſocietatem nata, cujus cupiditate tenemur omnes, licet ad editiſſimum templi ſapientiæ culmen eniſi ſimus. Idcirco ſapiens, etſi, quæ humana mente perveſtigari poſſint,omnia perſcrutatus ſit, ſi tamen omnem ætatem in ſolitudine ſit exacturus, præciſa ſocietatis ſpe,etſi affluat rerum omnium copia, tædio tamen ſolitudinis conficietur, aut ſaltem vitam ducet acerbam. *Grav.*

2 *Divinarum, atque humanarum ſcientia*] *Rerum humanarum ſcientia* eſt ea, quæ doctrinam ſocietatis humanæ conſervandæ complectitur: per *res divinas* intelligit Cicero naturales, & illarum cauſas. *Idem.*

3 *Quod à communitate ducatur officium, id eſſe maximum*] Maximum officium eſt,quod ducitur à ſapientia,quæ maxima eſt, & princeps omnium. Sola contemplatio rerum naturalium non eſt perfecta ſine rerum actione. Homo enim ad duas res natus eſt, ad contemplandum, & agendum. Officium maximum implet, ſi utrumque agit. Contemplationi tamen præſtat actio, cum illa pro communi hominum utilitate ſuſcipitur, quæ vitæ humanæ plus prodeſt, quam rerum abſconditarum ſcientia. *Idem.*

4 *Metiri mundi magnitudinem*] Archimedis inſtar, qui in communi Syracuſanorum periculo pulveribus ſuis perſtitit intentus. *Manut.*

5 *Antiquius*] Id eſt, Carius. *Antiquum*

44. Atque illi, quorum ſtudia, vitaque omnis in rerum cognitione verſata eſt, tamen ab augendis hominum utilitatibus, & commodis non receſſerunt. nam & erudiverunt multos, quo meliores cives, utilioreſque rebus ſuis publicis eſſent: ut Thebanum Epaminondam Lyſis Pythagoreus, Syracuſium Dionem Plato, [1] multique multos: noſque ipſi, quidquid ad remp. attulimus (ſi modo aliquid attulimus) à doctoribus, atque doctrina inſtructi ad eam, & ornati acceſſimus. Neque ſolum vivi, atque præſentes ſtudioſos diſcendi erudiunt, atque docent; ſed hoc idem etiam poſt mortem monumentis literarum aſſequuntur: nec enim locus ullus prætermiſſus eſt ab iis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad diſciplinam reip. pertineret, [2] ut otium ſuum ad noſtrum negotium contuliſſe videantur. ita illi ipſi doctrinæ ſtudiis, & ſapientiæ dediti ad hominum utilitatem ſuam intelligentiam, prudentiamque potiſſimum conferunt. Ob eamque cauſam eloqui copioſe, [3] modo prudenter, melius eſt, quam vel acutiſſime ſine eloquentia cogitare: quod [4] cogitatio in ſe ipſa vertitur, eloquentia complectitur eos, quibuſcum communitate juncti ſumus. Atque, [5] ut apum examina, non fingendorum favorum cauſa, congregantur, ſed, cum congregabilia natura ſint, fingunt favos: ſic homines, ac multo etiam magis, natura congregati adhibent agendi, cogitandique ſolertiam. Itaque, niſi ea virtus, quæ conſtat ex hominibus tuendis, id eſt, ex ſocietate generis humani,

quum veteres pro nobili, & caro poſuerunt. *Maturant.*

1 *Multique multos*] Sic Periclem Anaxagoras, Alcibiadem Socrates, Panætius Scipionem erudivit Africanum. *Manut.*

2 *Otium ſuum ad noſtrum negotium contuliſſe*] Ea enim per otium excogitarunt, ſcripſeruntque, quæ docent, quo facto negotia noſtra agere debeamus. *Maturant.*

3 *Modo prudenter*] Optabile eſt eloquentiam cum prudentia eſſe conjunctam. Prudentia ſine eloquentia civitatibus parum prodeſt: eloquentia ſine prudentia nimium obeſt plerumque, nunquam prodeſt. *Idem.*

4 *Cogitatio in ſe ipſa vertitur*] Quia cogitanti ſoli prodeſt inquiſitio veritatis, niſi literis mandetur. *Idem.*

5 *Ut apum examina*] Apes, inquit Cicero, non ideo congregantur, ut favos fingant, ſed, cum illis natura dederit, ut ſponte congregarentur, jam congregæ favos fingunt. Eadem natura tribuit hominibus, ut, nulla adhibita ſolertia, congregarentur; qui deinde, jam congregati, eam ſolertiam, qua uſi antea non ſunt, adhibent ad agendum, & cogitandum. Quæ duæ res ad vitam recte inſtituendam neceſſariæ ſunt. Ut enim cogitatio ſine actione inanis eſt, ſic actio, cogitationis expers, ad temeritatem plerumque delabitur. *Manut.*

[1] attin-

[1] attingat cognitionem rerum, ſolivaga cognitio, & jejuna videatur. itemque magnitudo animi, remota communitate, conjunctioneque humana, feritas ſit quædam, & immanitas. Ita fit, ut vincat cognitionis ſtudium conſociatio hominum, atque communitas. [2] Nec verum eſt, quod dicitur à quibuſdam, propter neceſſitatem vitæ, quod ea, quæ natura deſideraret, conſequi ſine aliis, atque efficere non poſſemus, idcirco initam eſſe cum hominibus communitatem, & ſocietatem: quod ſi omnia nobis, quæ ad victum, cultumque pertinent, quaſi [3] virgula divina, ut aiunt, ſuppeditarentur, tum optimo quiſque ingenio, negotiis omnibus omiſſis, totum ſe in cognitione, & ſcientia collocaret. Non eſt ita. nam & ſolitudinem fugeret, & ſocium ſtudii quæreret: tum docere, tum diſcere vellet, tum audire, tum dicere. Ergo omne officium, quod ad conjunctionem hominum, & ad ſocietatem tuendam valet, anteponendum eſt illi officio, quod cognitione, & ſcientia continetur.

45. Illud fortaſſe quærendum ſit, num hæc communitas, quæ maxime eſt apta naturæ, ſit etiam moderationi, modeſtiæque ſemper anteponenda. Non placet. ſunt enim quædam ita fœda, partim ita flagitioſa, ut ea ne conſervandæ quidem patriæ cauſa ſapiens facturus ſit. ea Poſidonius collegit permulta, ſed ita tetra quædam, ita obſcœna, ut dictu quoque videantur turpia. Hæc igitur non ſuſcipiet reip. cauſa, ne reſp. quidem pro ſe ſuſcipi volet. [4] Sed

1 *Attingat cognitionem rerum*] Id eſt, Niſi ſtudium ſocietatis tuendæ cum rerum cognitione conjungatur. *Idem.*

2 *Nec verum eſt*] Neceſſitas vitæ non ſola cauſa eſt conſociationis humanæ, quamvis illa quoque multum ad ſocietatem aut incundam, aut tuendam conferat; ſed etiam natura humana à ſolitudine abhorrens. Nemo inficiatur, homines ſua commoda, ſuaſque neceſſitates in communitate jungenda ſequi: ſed tamen, licet nulla utilitatum ſpes ad ſocietatem ineundam lactaret homines, eam naturaliter appetituros affirmare licet, propter perpetuæ ſolitudinis non ferendæ moleſtias. Ex ſacris literis, & ipſius Dei ore ſatis liquet, Adamo in Paradiſo deliciarum copiis abundanti ad vitam commode, ſuaviterque degendam, & in optimarum rerum contemplatione perpetuo verſanti, ſolitudinem gravem, ingratamque futuram eſſe; ideoque Creatorem ſociam formaſſe. Hanc enim naturam ſocietatis cupidam ei inſeverat Deus. *Gnev.*

3 *Virgula divina*] Id eſt, Aut ſceptro, & imperio divino: aut virga quadam à Numine aliquo conceſſa, quicquid attigerit, in id, quod deſideratur, convertente, quam aliqui habuiſſe in fabulis leguntur. Vel quia ea videntur *virgula divina* dari, quæ non expetuntur, ſed venire è cœlo quaſi ſua ſponte videntur. *Maturant.*

4 *Sed hoc commodius*] Tanto melius, inquit Cicero, ſe res habet, ut non egeat diſputatione, num officia juſtitiæ ſint temperantiæ officiis præferenda, quia

hoc commodius ſe res habet, quod non poteſt accidere tempus, ut interſit reip. quidquam illorum facere ſapientem. Quare hoc quidem effectum ſit, in officiis deligendis id genus officiorum excellere, [1] quod teneatur hominum ſocietate. etenim cognitionem, prudentiamque ſequitur conſiderata actio. ita fit, ut [2] agere conſiderate pluris ſit, quam cogitare prudenter. Atque hæc quidem hactenus. patefactus eſt enim locus ipſe, ut non ſit difficile in exquirendo officio, quod cuique ſit præponendum, videre. In ipſa autem communitate ſunt gradus officiorum, ex quibus, quid cuique præſtet, intelligi poſſit: ut prima Diis immortalibus; ſecunda patriæ; tertia parentibus; deinceps gradatim reliquis debeantur. Quibus ex rebus breviter diſputatis intelligi poteſt, non ſolum id homines ſolere dubitare, honeſtumne, an turpe ſit: ſed etiam, duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius. Hic locus à Panætio eſt, ut ſupra dixi, prætermiſſus. Sed jam ad reliqua pergamus.

quia nunquam poterit accidere, ut Reip. cauſa quicquam flagitioſum ſuſcipiat ſapiens. *Grav.*

1 *Quod teneatur hominum ſocietate*] Quod tendit ad ſocietatem humanam conſervandam.

2 *Agere conſiderate pluris ſit, quam cogitare prudenter*] Secundum Axioma Philoſophorum, *Finis ſemper medio anteferendus eſt.*

M. T. CICERONIS DE OFFICIIS AD MARCUM FILIUM

LIBER SECUNDUS.

1. QUemadmodum [1] officia ducerentur ab honeſtate, Marce fili, atque [2] ab omni genere virtutis, ſatis explicatum arbitror libro ſuperiore. Sequitur, ut hæc officiorum genera [3] perſequar, quæ pertinent ad vitæ cultum, & ad earum rerum, quibus utuntur homines, [4] facultatem, ad opes, ad copias in quo tum quæri dixi, quid utile, quid inutile: tum ex utilibus quid utilius, aut quid maxime utile. de quibus dicere aggrediar, ſi pauca prius de [5] inſtituto, ac de judicio meo dixero. Quanquam enim libri noſtri complures non modo ad legendi, ſed etiam ad ſcribendi ſtudium excitaverunt, tamen interdum vereor, ne

1 *Quemadmodum officia*] Proponit primum Cicero, quæ ſecundi hujuſce libri futura diſputatio ſit. Deinde reſpondet iis, qui conſilium ſuum de colenda, Latiniſque literis illuſtranda Philoſophia ideo forſaſſe non probarent, quod Reip. deditus, & in ea adminiſtranda diu cum laude verſatus, omiſſa rerum actione, ad privata ſtudia ſeſe contulerat. In qua parte, poſtquam cauſas expoſuit, propter quas à negotiis merito excuſari poſſet, Philoſophiam divinis ornat laudibus. *Manut.*

2 *Ab omni genere virtutis*] A prudentia, juſtitia, cui conjuncta eſt beneficentia, fortitudine, temperantia. *Idem.*

3 *Perſequar*] Diligenter explicare ſtudeam. Metaphora ſumpta ab iis, qui fugientia animalia aſſequi, & capere ſtudent. *Wolf.*

4 *Facultatem*] Acquiſitionem, poſſeſſionem.

5 *Inſtituto*] Tractandæ Philoſophiæ, ſcribendique libros, omiſſa Reip. cura.

quibuſdam

quibuſdam bonis viris [1] philoſophiæ nomen ſit inviſum, mirenturque in ea tantum me operæ, & temporis ponere. Ego autem, quamdiu reſp. [2] per eos gerebatur, quibus ſe ipſa commiſerat, omnes meas curas, cogitationeſque in eam conferebam: cum autem [3] dominatu unius omnia tenerentur, [4] neque eſſet uſquam conſilio, [5] aut auctoritati locus, [6] ſocios denique tuendæ reip. ſummos viros, amiſiſſem, nec me angoribus dedidi, quibus eſſem confectus, niſi iis reſtitiſſem, nec rurſum [7] indignis homine docto voluptatibus. Atque utinam reſp. ſtetiſſet, [8] quo coeperat, ſtatu, nec in homines, non tam commutandarum, quam [9] evertendarum rerum cupidos, incidiſſet! primum enim, ut ſtante rep. facere ſolebamus, [10] in agendo plus, quam in ſcribendo, operæ poneremus; deinde ipſis ſcriptis non ea, quæ nunc, ſed [11] actiones noſtras mandaremus, ut ſæpe fecimus. Cum autem reſp. in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni ſolebat, [12] nulla eſſet omnino, illæ ſcilicet literæ [13] conticuerunt, forenſes, & ſenatoriæ. [14] nihil agere autem cum ani-

1 *Philoſophia nomen ſit inviſum*] Romani enim Philoſophiæ ſtudia, tanquam otioſorum Græculorum oblectamenta, aut contemnebant, aut leviter modo tangebant, ex illa tantum haurientes, quantum ad eloquentiam, quam præcipue colebant, facere iis videbatur. Hinc Ciceronem invidi, & malevoli propter Philoſophiæ ſtudium Græculum vocabant. *Grav.*

2 *Per eos regebatur, quibus*] Per legitimos magiſtratus, conſenſu Senatus, populique Romani creatos; non violento, & Tyrannico Dictatoris perpetui imperio.

3 *Dominatu unius*] J. Cæſaris Tyrannidem perſtringit Cicero.

4 *Neque eſſet uſquam conſilio locus*] Liberæ enim ſententiæ ſub imperio unius effrænato pronuntiari non poterant.

5 *Aut auctoritati*] Umbratica enim ſub Cæſare fuit Senatus auctoritas.

6 *Socios*] Ut Catonem, Lentulum, Marcellum, & ſimiles. *Wolf.*

7 *Indignis homine docto voluptatibus*] Perſtringit hic tacite Lucullum, & Hortenſium, qui, abjectis liberalium artium ſtudiis, ſe ſuis piſcinis oblectabant, quos propterea *piſcinarios* ſæpe vocat Cicero. *Grav.*

8 *Quo coeperat ſtatu*] Aut quam dictaturam depoſuit Sylla, *privatus ut altum dormiret*; aut ſtatim poſt J. Cæſaris necem, cum jam Reſp. videbatur reſpiratura.

9 *Evertendarum rerum*] Deſtruendæ prorſus Reip. Romanæ. Notantur hic Triumviri, J. Cæſare longe inſolentiores.

10 *In agendo*] In rebus gerendis, Rep. adminiſtranda, dicendis in ſenatu ſententiis, habendis ad populum concionibus, cauſis in foro agendis, amicis, & clientibus operam dando.

11 *Actiones noſtras*] Non tantum orationes in foro, & ſenatu habitas, ſed etiam de ſuo conſulatu commentarios. *Grav.*

12 *Nulla*] Extincta, oppreſſa impio dominatu. *Wolf.*

13 *Conticuerunt*] Sublatis legibus, non amplius aut habui, aut ſcripſi orationes forenſes, & ſenatorias.

14 *Nihil agere cum animus non poſſet*] Eo Cicero natus erat ingenio, ut inani otio tempus conſumere non poſſet. Loquitur igitur non communiter de quocunque animo, ſed de ſuo. *Manut.*

mus non poſſet, in [1] his ſtudiis ab initio verſatus ætatis, exiſtimavi honeſtiſſime [2] moleſtias poſſe deponi, ſi me ad philoſophiam retuliſſem. cui cum multum adoleſcens [3] diſcendi cauſa temporis tribuiſſem, poſtea quam honoribus inſervire cœpi, meque totum reip. tradidi, tantum erat philoſophiæ loci, [4] quantum ſuperfuerat amicorum, & reipub. temporibus. Id autem omne conſumebatur in legendo: ſcribendi otium non erat.

2. Maximis igitur in malis hoc tamen boni aſſecuti videmur, ut ea literis mandaremus, quæ [5] nec ſatis erant nota noſtris, & erant cognitione digniſſima. Quid eſt enim, per Deos, optabilius ſapientia? quid præſtantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt, philoſophi nominantur: nec quidquam aliud eſt philoſophia, ſi interpretari velis, quam ſtudium ſapientiæ. Sapientia autem eſt (ut à veteribus philoſophis definitum eſt) rerum [6] divinarum, & humanarum, cauſarumque, quibus hæ res continentur, ſcientia: cujus ſtudium qui vituperat, haud ſane intelligo, quidnam ſit, quod laudandum putet. [7] Nam, ſive oblectatio quæritur animi, requieſque curarum, quæ conferri cum eorum ſtudiis poteſt, qui ſemper aliquid anquirunt, quod ſpectet, & valeat ad bene, beateque vivendum? ſive ratio conſtantiæ, virtutiſque ducitur, aut hæc ars eſt, aut nulla omnino, per quam eas aſſequamur. nullam dicere maximarum rerum artem eſſe, cum minimarum ſine arte nulla ſit, [8] hominum eſt parum conſiderate loquentium,

1 *His ſtudiis*] Gerendæ ſcilicet Reip. & actionum publicarum literis tradendarum. Nonnulli tamen Philoſophiæ ſtudia intelligunt.

2 *Moleſtias poſſe deponi*] Abducit enim ab angoribus animum Philoſophia, languentemque ſalutaris doctrinæ reficit remediis. *Manut.*

3 *Diſcendi cauſa*] Ob animi, rationiſque culturam.

4 *Quantum ſuperfuerat*] Tantum temporis Philoſophiæ ſtudiis conceſſum eſt, quantum ſpatio ſuperfuit, quòd amicorum, & Reip. negotiis impendebatur.

5 *Nec ſatis erant nota noſtris*] Philoſophiam Romani Græco de fonte derivarunt, quam uſque ad extrema Reip. tempora pauci excoluerant.

6 *Divinarum, & humanarum*] Prior vox denotat ſcientiam Dei, & ipſius proprietatum; necnon mundi, corporumque naturalium, quæ ſunt opera Divina: poſterior naturæ humanæ, tum quoad corpus, tum animam; necnon officiorum, quotquot ad Deum, hominesque referuntur.

7 *Nam, ſive*] Duobus nominibus Philoſophiam commendat: primum, quod vitam tranquillam, jucundamque reddit: deinde, quod per hanc unam nobis tota in vita conſtamus. *Eraſm.*

8 *Hominum eſt*] Ita loqui, prava conſuetudo eſt hominum temere judicantium.

atque

atque in maximis rebus errantium. Si autem eſt aliqua diſciplina virtutis, ubi ea quæretur, cum [1] ab hoc diſcendi genere diſceſſeris? Sed hæc, cum ad philoſophiam cohortamur, accuratius diſputari ſolent: quod [2] alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur orbati reip. muneribus ad hoc nos ſtudium potiſſimum contuliſſemus. [3] Occurritur autem nobis, & quidem à doctis, & eruditis, quærentibus, ſatiſne conſtanter facere videamur, qui, cum percipi nihil poſſe dicamus, tamen & aliis de rebus differere ſoleamus, & hoc ipſo tempore [4] præcepta officii perſequamur. Quibus vellem ſatis cognita eſſet noſtra ſententia. [5] non enim ſumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam, [6] quid ſequatur. quæ enim eſſet iſta mens, vel quæ vita potius, non modo diſputandi, ſed vivendi [7] ratione ſublata? Nos autem, ut cæteri alia certa, alia incerta eſſe dicunt, ſic ab his diſſentientes, alia probabilia, contra alia non probabilia eſſe dicimus. [8] Quid eſt igitur, quod me impediat ea, [9] quæ mihi probabilia videantur, ſequi; quæ contra, improbare: atque affirmandi arrogantiam vitantem, fugere temeritatem, quæ à ſapientia diſſidet plurimum? Contra autem omnia diſputatur [10] à noſtris, quod hoc ipſum probabile elucere non poſſet, niſi ex utraque parte cauſarum eſſet facta contentio. Sed hæc explanata ſunt in Academicis noſtris ſa-

1 *Ab hoc diſcendi genere*] Id eſt, A Philoſophiæ ſtudio.

2 *Alio quodam libro*] Cui titulus eſt, Hortenſius: cujus nihil, niſi pauca quædam fragmenta, extat. Quo libro Philoſophia, Hortenſio vituperante, ſummis effertur laudibus.

3 *Occurritur autem*] Quaſi dicat, Objicitur mihi inconſtantia, quod, licet ex Academicorum ſententia nihil certo ſciri poſſe affirmem, præcepta tamen de officiis tradere non dubitem.

4 *Præcepta officii*] Quæ tradi ab iis vix poſſe videntur, qui omnia in dubium vocant.

5 *Non enim ſumus ii*] Scilicet Sceptici, qui nihil comprobant, nulli adhærent ſententiæ, ſed omnia placita, tanquam pariter incerta, rejiciunt.

6 *Quid ſequatur*] Quo nitatur, quod verum, aut rectum eſſe exiſtimet. *Wolf.*

7 *Ratione ſublata*] Non modo Philoſophia, ſed etiam vita civilis evertitur, ſi inter verum, & falſum, bonum, & malum nihil intereſſe ſtatuatur. *Idem.*

8 *Quid eſt igitur*] Nulla me ratio deterreret: non video, cur mihi non liceat. *Manut.*

9 *Quæ mihi probabilia videantur ſequi*] Hoc cum alibi, tum in doctrina morali locum imprimis habet, quæ demonſtrationes non patitur Mathematicas. *Grav.*

10 *A noſtris, quod hoc ipſum*] Id eſt, Nos Academici omnes aliorum ſententias in dubium vocamus, probabilitatis, quam ſequimur, inveſtigandæ ſtudio; quæ vix appareret, niſi rationes utriuſque partis inter ſe conferrentur.

tis,

tis, ut arbitror, diligenter. Tibi autem, mi Cicero, quanquam in [1] antiquiſſima, nobiliſſimaque philoſophia, Cratippo auctore, verſaris, iis ſimillimo, qui [2] iſta præclara pepererunt, tamen hæc [3] noſtra, finitima veſtris, ignota eſſe nolui. Sed jam ad inſtituta pergamus.

3. Quinque igitur rationibus propoſitis officii perſequendi, quarum duæ ad decus, honeſtatemque pertinent; duæ ad commoda vitæ, copias, opes, facultates; quinta ad eligendi judicium, ſi quando [4] ea, quæ dixi, pugnare inter ſe viderentur: honeſtatis pars [5] confecta eſt; quam quidem tibi cupio eſſe notiſſimam. Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipſum eſt, quod utile appellatur. in quo [6] lapſa conſuetudo deflexit de via, ſenſimque eo deducta eſt, ut honeſtatem ab utilitate ſecernens, & conſtituerit honeſtum eſſe aliquid, quod utile non eſſet: & utile, quod non honeſtum: qua [7] nulla pernicies major hominum vitæ potuit afferri. Summa quidem auctoritate philoſophi ſevere ſane, atque honeſte, hæc [8] tria genera confuſa cogitatione diſtinguunt. quidquid enim juſtum ſit, id etiam utile eſſe cenſent: itemque, quod honeſtum, idem juſtum. ex quo efficitur, ut, quidquid honeſtum ſit, idem ſit utile. Quod qui parum perſpiciunt, hi ſæpe, verſutos homines, & callidos admirantes, [9] malitiam, ſapientiam judicant: quorum error eripiendus eſt, [10] opinioque omnis ad eam ſpem traducenda, ut honeſtis

1 *Antiquiſſima, nobiliſſimaque*] Id eſt, Peripatetica, ab ipſius Ariſtotelis, omnium principis, ſcriptis nobilitata. *Manut.*

2 *Iſta præclara pepererunt*] Intelligit Socratem, Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, ſectæ Peripateticæ auctores. *Idem.*

3 *Noſtra, finitima veſtris*] Quia Stoici, quos in his libris ſequitur Cicero, idem fere, quod Peripatetici, de officio ſentiebant. *Idem.*

4 *Ea, quæ dixi*] Honeſtum nempe, & utile.

5 *Confecta*] Abſoluta, explicata libro ſuperiore.

6 *Lapſa conſuetudo*] Queritur Cicero, quod homines, prava conſuetudine ducti, utilitatem ab honeſtate ſecreverant, &, contra Stoicorum normam, honeſtum aliquod crediderant, quod idem non ſit utile.

7 *Nulla pernicies major*] Quod plerique, honeſtate neglecta, iis rebus inhiant, ad eaſque toto impetu feruntur, quæ ſpeciem aliquam voluptatis, & utilitatis habent. *Wolf.*

8 *Tria genera confuſa*] Juſtum, utile, honeſtum, quæ ſuâ natura connectuntur, neque re ipſa divelli poſſunt. *Manut.*

9 *Malitiam, ſapientiam judicant*] Eos ſapientes exiſtimant, qui opes mendaciis, fraudibus, injuriis adipiſcuntur, nihilque intentatum relinquunt, quo ſuis rationibus conſulturi videantur.

10 *Opinioque omnis ad eam ſpem*] Monet Cicero, homines in eam ſententiam perducendos eſſe, ut non aliter ſperent ſe ea, quæ cupiunt, aſſecuturos, quam ſi honeſti, juſtique ſint. *Fabri.*

conſiliis,

conſiliis, juſtiſque factis, non fraude, & malitia ſe intelligant ea, quæ velint, conſequi poſſe. Quæ ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim ſunt inanima, ut aurum, argentum, ut ea, [1] quæ gignuntur è terra, ut alia ejuſdem generis: partim animalia, quæ habent ſuos impetus, & rerum appetitus. Eorum autem alia rationis expertia ſunt, alia ratione utentia. Expertes rationis equi, boves, reliquæ pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominum uſum, atque vitam. Ratione autem utentium duo genera ponuntur: unum Deorum, alterum hominum. Deos [2] placatos [3] pietas efficiet, & ſanctitas: proxime autem, & ſecundum Deos, homines hominibus maxime utiles eſſe poſſunt. Earumque rerum, quæ noceant, & obſint, eadem diviſio eſt. Sed quia [4] Deos nocere non putant, his exceptis, homines hominibus obeſſe plurimum arbitrantur. ea enim ipſa, quæ inanima diximus, pleraque ſunt hominum operis effecta; quæ nec haberemus, niſi manus, & ars acceſſiſſent; nec his ſine hominum adminiſtratione uteremur. neque enim valetudinis curatio, neque navigatio, neque agricultura, neque frugum, fructuumque reliquorum perceptio, & conſervatio, ſine hominum opera ulla eſſe potuiſſet. Jam vero & earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, & earum, quibus egeremus, invectio, certe nulla eſſet, niſi his muneribus homines fungerentur, [5] eademque ratione nec lapides è terra excíderentur [6] ad uſum noſtrum neceſſarii: Nec ferrum, æs, aurum, argentum effoderetur penitus abditum, ſine hominum labore, & manu.

4. Tecta vero, quibus & frigorum vis pelleretur, & calorum moleſtiæ ſedarentur, unde aut initio generi hu-

1. *Quæ gignuntur è terra*] Fruges, fructus, ligna, herbæ cum pabulo, quam medicinæ ſervientes. *Manut.*

2. *Placatos*] Propitios, utique hominum utiles. Agitur enim de utilitate, quæ ex animalibus ratione utentibus percipitur. *Manut.*

3. *Pietas, & ſanctitas*] *Pietas* eſt juſtitia erga Deos, nimirum cultus divinus. *Sanctitas* vero non eſt ſcientia colendorum Deorum, ut exponunt multi, ſed vita integra, ſceleriſque pura. *Grav.*

4. *Deos nocere non putant*] Non cuiquam nocent Dii, licet irritentur, & puniant ab hominibus laceſſiti. Ita ſentiebant Stoici, oppugnantibus Epicureis.

5. *Eademque ratione*] Niſi ſcilicet opera hominis, & labor adeſſet.

6. *Ad uſum noſtrum neceſſarii*] Ad muniendas urbes, & ædificandas domos. *Manut.*

mano

mano dari potuiſſent, aut poſtea [1] ſubveniri, ſi aut vi tempeſtatis, aut terræ motu, aut vetuſtate cecidiſſent, [2] niſi communis vita ab hominibus harum rerum auxilia petere didiciſſet? Adde ductus aquarum, [3] derivationes fluminum, agrorum [4] irrigationes, [5] moles oppoſitas fluctibus, portus [6] manu factos, quæ unde ſine hominum opera habere poſſemus? ex quibus, multiſque aliis perſpicuum eſt, qui fructus, quæque utilitates ex rebus iis, quæ ſunt inanimæ, percipiantur, eas nos nullo modo ſine hominum manu, atque opera capere potuiſſe. [7] Qui denique ex beſtiis fructus, aut quæ commoditas, niſi homines adjuvarent, percipi poſſet? nam & [8] qui principes inveniendi fuerunt, quem ex quaque bellua uſum habere poſſemus, [9] homines certe fuerunt: nec hoc tempore ſine hominum opera aut paſcere eas, aut domare, aut tueri, aut tempeſtivos fructus ex his capere poſſemus: ab eiſdemque & eæ, [10] quæ nocent, interficiuntur; & [11] quæ uſui poſſunt eſſe, capiuntur. Quid enumerem artium multitudinem, ſine quibus vita omnino nulla eſſe potuiſſet? quis enim ægris ſubveniret? [12] quæ eſſet oblectatio valentium? qui victus, aut cultus, niſi tam multæ nobis artes miniſtrarent? quibus rebus exculta hominum vita tantum diſtat à victu, & cultu beſtiarum. Urbes vero ſine hominum cœtu non potuiſſent nec ædificari, nec frequentari: ex quo leges, moreſque conſtituti, tum juris æqua deſcriptio, certaque vivendi diſciplina. quas res

1 *Subveniri*] Subſtitui in eorum locum, quæ aut corrupta, & labefactata ſunt, aut prorſus corruerunt. *Grav.*

2 *Niſi communis vita*] Niſi homines, ſocietate conjuncti, à ſe invicem auxilium petere didiciſſent.

3 *Derivationes fluminum*] Cum unus alveus in plures diducitur ad urbium, agrorum, navigationumque commoditatem. *Manut.*

4 *Irrigationes*] Quæ fiunt deductis à fluvio rivulis. *Maturant.*

5 *Moles oppoſitas fluctibus*] Aggeres ad maris, fluminum, ſtagnorum exundationes prohibendas. *Manut.* Quales ſunt juxta Venetias, in quibus conſervandis, reficiendiſque tantum quotannis Veneti conſumunt pecuniæ. *Maturant.*

6 *Manu factos*] Sunt enim & portus naturales. *Grav.*

7 *Qui denique*] Nunc de animatis ratione carentibus, quæ ipſa ſine hominis induſtria nullum fructum ferrent, aggreditur dicere. *Manut.*

8 *Qui principes inveniendi*] Qui primi invenerunt.

9 *Homines certe fuerunt*] Ut Saturnus, Pallas, Ceres, Bacchus, opinione, & fama hominum Dii facti. *Wolf.*

10 *Quæ nocent*] Ut ſerpentes, lupi, leones. *Maturant.*

11 *Quæ uſui poſſunt eſſe*] Ut aves, lepores, & quicquid ad eſcam venamur. *Idem.*

12 *Quæ eſſet oblectatio*] Niſi eſſent ludi Circenſes, arteſve Theatricæ, aut conſimiles, quibus defatigatus relevatur animus, ab hominibus excultæ.

& manſuetudo animorum conſecuta, & verecundia eſt: effectumque, [1] ut eſſet vita munitior; atque ut dando, & accipiendo, [2] mutandiſque facultatibus, & commodis nulla re egeremus.

5. Longiores hoc loco ſumus, quam neceſſe eſt. Quis eſt enim, cui non perſpicua ſint illa, quæ pluribus verbis à Panætio commemorantur, neminem neque ducem belli, nec principem domi, magnas res, & ſalutares ſine hominum ſtudiis gerere potuiſſe? Commemoratur ab eo Themiſtocles, Pericles, Cyrus, Ageſilaus, Alexander, quos negat ſine adjumentis hominum tantas res efficere potuiſſe. Utitur in re non dubia teſtibus [3] non neceſſariis. Atque, ut magnas utilitates adipiſcimur [4] conſpiratione hominum, atque conſenſu; ſic nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur. Eſt Dicæarchi liber de interitu hominum, Peripatetici [5] magni, & copioſi: qui, collectis cæteris cauſis, [6] eluvionis, peſtilentiæ, [7] vaſtitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet [8] quædam hominum genera eſſe conſumpta, deinde comparat, quanto plures deleti ſint homines hominum impetu, id eſt, bellis, aut ſeditionibus, quam omni reliqua calamitate. Cum igitur hic locus nil habeat dubitationis, quin homines pluri-

1 *Ut eſſet vita munitior*] Legibus intra urbem, mœnibus adverſus exteram vim. *Manut.* Minus obnoxia injuriis tempeſtatum, graſſationibus ferarum, & eorum violentiæ, qui robore ſuis ſuperiores. *wolf.*

2 *Mutandis facultatibus*] Vetuſtiſſimum emptionis, venditionisque genus fuit rerum permutatio; cujus ad ſubſidium percuſſus eſt nummus. *Maturant.*

3 *Non neceſſariis*] Quid enim opus eſt in rebus confeſſis, & minime ambiguis inanem operam collocare? *Manut.*

4 *Conſpiratione*] Plerumque in malam partem hoc verbum capitur, cum improbi homines, & factioſi vires ſuas, & conſilia conjungunt ad convellendum Reip. ſtatum, & legitimos magiſtratus opprimendos. Hic pro ſtudiis, benevolentia, concordia, collatiſque opetis ponitur. *wolf.*

5 *Magni, & copioſi*] Celebris, tam doctrina rerum, quam dicendi facultate inſtructi. *Idem.*

6 *Eluvionis*] Inundationis, & diluvii; quo nonnullæ urbes ſunt demerſæ. *Maturant.*

7 *Vaſtitatis*] Quæ incendio, tempeſtate, bello accidit. *Idem. Vaſta* loca dicuntur, quæ deſerta ſunt, nec ab hominibus incoluntur. *wolf.*

8 *Quædam hominum genera conſumpta*] Sic populi circa Peonium, Dardaniamque habitantes propter ranarum multitudinem, relictis Penatibus, novas quærebant ſedes. Æthiopiæ regionem cultiſſimam in ſolitudinem redegit ſcorpionum ſubito ſupervenientium copia. Sic etiam Amycleos ſerpentes, Atarnitas culices, Rhaucios apes, Phaſelitas veſpæ expulerunt. *Grav.*

mum hominibus & prosint, & obsint; [1] primum hoc statuo esse virtutis, conciliare animos hominum, & [2] ad usus suos adjungere. Itaque, quæ in rebus inanimis, quæque in usu, & tractatione belluarum fiunt utiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur [3] operosis: hominum autem studia [4] ad amplificationem nostrarum rerum prompta, ac parata, virorum præstantium sapientia, & virtute excitantur. Etenim virtus omnis [5] tribus in rebus fere vertitur: quarum una est in perspiciendo, quid in quaque re verum, sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, ex quo quidque gignatur, quæ cujusque rei causa sit: alterum, cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominant; appetitionesque, quas illi ὁρμὰς, obedientes efficere rationi: tertium, iis, quibuscum [6] congregamur, uti moderate, & scienter, quorum studiis ea, quæ natura desiderat, expleta, cumulataque habeamus: per eos denique, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus, [7] ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sunt, tantaque pœna afficiamus, quantam [8] æquitas, humanitasque patitur.

6. Quibus autem rationibus hanc facultatem assequi possimus, ut hominum studia complectamur, eaque teneamus, dicemus, neque ita multo post: sed pauca ante dicenda sint. [9] Magnam vim esse in fortuna in utramque partem,

1 *Primum hoc statuo*] Hoc est, virum fortem, studioque res magnas gerendi inflammatum, ceteras omnes curas huic posthabere debere, ut hominum animos, & benevolentiam sibi conciliet. *Grav.*

2 *Ad usus suos adjungere*] Efficere, ut re, opera, consilio se juvent. *Wolf.*

3 *Operosis*] Quæ manum, laboremque postulant. *Manut.* Quæ corporis, non animi viribus exercentur. *Erasm.*

4 *Ad amplificationem nostrarum rerum*] Ad utilitatem nostram: ut conserventur, augeanturque res nostræ. *Manut.*

5 *Tribus in rebus fere vertitur*] In his versatur, consistit, continetur: primum, ut quid optimum, videamus: alterum, ne cupiditatibus ab eo avocemur: tertium, ut communitate æquabiliter agamus. *Erasm.* Hoc loco describuntur prudentiæ, temperantiæ, justitiæ munera.

6 *Congregamur*] Consuetudinem habemus sociemur junctis.

7 *Ulciscamur*] Licet enim vim vi repellere. *Maturant.*

8 *Æquitas, humanitasque patitur*] Nam modum etiam in puniendo possumus excedere. Hinc quo magis barbaræ gentes, tanto immanioribus, & asperioribus æquo pœnis utuntur. *Grav.*

9 *Magnam vim*] Hæc interponit, ut occurrat objectioni. Dicet enim aliquis, A Fortuna proficiscuntur omnia: quid ego de studiis hominum laborem? Respondet, quod honores, victoriæ, imperia, quæ vulgo fortuita nuncupantur, de operibus tamen, studiisque hominum summopere dependent. *Manut.* Fortunam gentiles faniores vocarunt divinam providentiam cuncta gubernantem. Ea enim Fortunæ adscribuntur, quorum causas ignorant homines,

vel ſecundas ad res, vel adverſas, quis ignorat? nam & cum proſpero flatu ejus utimur, ad exitus pervehimur optatos; & cum [1] reflavit, affligimur. Hæc igitur ipſa fortuna cæteros caſus rariores habet, primum ab inanimis procellas, tempeſtates, naufragia, ruinas, incendia: deinde, à beſtiis ictus, morſus, impetus. Hæc ergo, ut dixi, rariora. At vero interitus exercituum, ut [2] proxime trium, ſæpe multorum: clades imperatorum, ut nuper ſummi, ac [3] ſingularis viri: invidiæ præterea multitudinis, atque ob eas bene meritorum ſæpe civium [4] expulſiones, calamitates, fugæ: rurſuſque ſecundæ res, honores, imperia, victoriæ, quanquam fortuita ſunt, tamen ſine hominum opibus, & ſtudiis neutram in partem effici poſſunt. Hoc igitur cognito, dicendum eſt, quonam modo hominum ſtudia ad utilitates noſtras allicere, atque excitare poſſimus. quæ ſi longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur: ita fortaſſis etiam brevior videbitur. Quæcunque igitur homines homini tribuunt [5] ad eum augendum, atque [6] honeſtandum, aut benevolentiæ gratia faciunt, cum aliqua de cauſa quempiam diligunt: aut honoris, ſi cujus virtutem ſuſpiciunt, quemque dignum fortuna quam ampliſſima putant: aut [7] cui fidem habent, & bene rebus ſuis conſulere arbitrantur: aut [8] cujus opes metuunt: aut contra, à quibus aliquid expectant, ut cum reges, populareſve homines [9] largitiones aliquas proponunt: aut poſtremo pretio, ac mercede ducuntur:

& quæ quaſi divinitus contingere videntur. Merito igitur magna vis Fortunæ, hoc eſt, divinæ diſpenſationi, aſſignatur. *Grav.*

1 *Reflavit*] *Reflare* Fortuna dicitur, cum adverſa. *Eraſm.*

2 *Proxime trium*] Ducibus, in Theſſalia, Pompejo Magno: in Africa, Scipione, & Juba Mauritaniæ rege: in Hiſpania, Pompeji liberis.

3 *Singularis viri*] Pompeji Magni, qui poſt eædem Pharſalicam imperio, arbitrioque Ægyptii mancipii jugulatus eſt.

4 *Expulſiones, calamitates, fugæ*] Sic in exilium miſſus eſt Camillus, damnatus eſt Phocion, ſponte receſſit Scipio, ingratam ſcilicet patriam videndi impos: ſic Heroes recentiores propter civium ardorem, prava jubentium, ſibi novas provide quæſiverunt ſedes.

5 *Ad eum augendum*] Ad augendum ejus divitias, potentiam, & auctoritatem, quæ ex iis oritur. *Manut.*

6 *Honeſtandum*] Honoribus cumulandum. *Idem.*

7 *Cui fidem habent*] Quem ſuis in rebus experti ſunt fidelem. *Maturant.*

8 *Cujus opes metuunt*] Sic Romanorum potentiæ formidine iis ſe dediderunt olim Campani, Faliſci, Samnites. *Grav.*

9 *Largitiones proponunt*] Ut in Rep. Romana Gracchi, J. Cæſar, aliique, propoſitis legibus agrariis, frumentariis, aliiſque hujus generis. *Idem.*

tur: quæ ſordidiſſima eſt illa quidem ratio, & inquinatiſſima, & iis, [1] qui ea tenentur, & illis, qui [2] ad eam confugere conantur. [3] Male enim ſe res habet, cum, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Sed, quoniam nonnunquam hoc ſubſidium neceſſarium eſt, quemadmodum ſit utendum eo, dicemus, ſi prius iis de rebus, quæ [4] virtuti propiores ſunt, dixerimus. Atque etiam ſubjiciunt ſe homines imperio alterius, & poteſtati [5] de cauſis pluribus. ducuntur enim aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia, aut ſpe ſibi id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut ſpe largitionis, promiſſiſque capti: aut poſtremo (ut ſæpe in noſtra repub. videmus) [6] mercede conducti.

7. Omnium autem rerum nec aptius eſt quidquam ad opes tuendas, quam diligi; nec alienius, quam timeri. Præclare enim Ennius: Quem metuunt, oderunt: quem quiſque odit, periſſe expetit. Multorum autem odiis nullas opes poſſe obſiſtere, ſi antea fuit ignotum, nuper eſt cognitum. [7] Nec vero hujus tyranni ſolum, quem armis oppreſſa pertulit civitas, [8] paret quæ cum maxime mortuo, interitus declarat,

1 *Qui ea tenentur*] Qui mercede ducuntur. *Manut.*

2 *Ad eam confugere*] Ut pecunia corrumpant eos, à quibus aliquid expectant; cum id, quod cupiunt, virtute potius conſequi debeant. *Idem.*

3 *Male ſe res habet*] Labantis Reip. indicium eſt, cum dignitates virtuti, meritiſque debitæ pecuniis ambiuntur.

4 *Virtuti propiores*] Cujuſmodi ſunt benevolentia, admiratio, fides, quas ante poſuit. *wolf.*

5 *De cauſis pluribus*] Eædem cauſæ, quæ ſupra, hoc loco commemorantur; diverſarum tamen rerum. *Manut.* Superior doctrina ad civilem conſociationem proprie pertinet; hæc ad principatum potius, & regnum. Reges autem etiam in Rebuſpub. ii ſunt, qui auctoritate, & potentia præſtant cæteris. *wolf.*

6 *Mercede conducti*] Dum in Tribunis Plebis, aliiſque Magiſtratibus eligendis vile vulgus, repetundis delinitum, cuiquam vel indigniſſimo ſuffragia vendit.

7 *Nec vero hujus*] Hoc indicat non ſolummodo J. Cæſaris in ſenatu nuper cæſi, ſed etiam Alexandri, Dionyſii, Phalaridis, aliorumque Tyrannorum exitus non diſſimilis.

8 *Paret quæ cum maxime mortuo*] Quæ hoc ipſo tempore, quamvis extinctus ſit Tyrannus, mortuo tamen paret: hoc eſt, Antonio, & ejus ſatellitibus, qui Cæſaris acta confirmant, & ne reſcindantur, neve libertas oppreſſa inſtauretur, impediunt. *Parere mortuo* dicitur civitas, cujus inſtituta, leges, decreta, diſciplinam civilem obſervat. Parebat mortuo Tyranno Roma, cum ei columnam poneret in foro Numidici lapidis, eique inſcriberet *Patri Patriæ*. Parebat mortuo, cum Cæſaris fautores, & amicos patereturin imperiis eſſe, Tyrannicidas, qui orbis terræ cuſtodiis ſepti eſſe debebant, parietibus contineret. Parebat mortuo, cum omnia Tyranni facta defenderet, cum fundos, domos, poſſeſſiones præſtantiſſimorum civium à verberonibus illis poſſideretur, quibus à Cæſare fuerant addictæ. Parebat mortuo, cum acciperet leges poſt ejus mortem, quas Antonius mentiebatur

quantum odium hominum valeat [1] ad peſtem: ſed reliquorum ſimiles exitus tyrannorum: quorum haud fere quiſquam interitum talem effugit. [2] Malus enim eſt cuſtos diuturnitatis metus: contraque benevolentia [3] fidelis vel ad perpetuitatem. Sed iis, [4] qui vi oppreſſos imperio coercent, ſit ſane adhibenda ſævitia, ut heris [5] in famulos, ſi aliter teneri non poſſunt. qui vero in libera civitate ita ſe inſtruunt, ut metuantur, his nihil eſſe poteſt dementius. quamvis enim [6] demerſæ ſint leges alicujus opibus, quamvis [7] timefacta libertas, [8] emergunt tamen hæc aliquando aut [9] judiciis tacitis, aut [10] occultis de honore ſuffragiis. [11] Acriores autem morſus ſunt interminiſſæ libertatis, quam retentæ. Quod igitur latiſſime patet, neque ad incolumitatem ſolum, ſed etiam ad opes, & potentiam valet plurimum, id amplectamur, ut metus abſit, caritas retineatur. ita facillime, quæ volemus,

tiebatur à Cæſare in comitiis lata. Si denique, Tyranno occiſo, vivit tyrannis, paret Tyranno mortuo civitas. *Cum maxime* eſt, hoc ipſo tempore, in præſenti. *Grav.*

1 *Ad peſtem*] Ad hominem perdendum. *Wolf.*

2 *Malus eſt cuſtos diuturnitatis metus*] Neminem diu cuſtodit metus: qui ſe metui potius, quam diligi vult, non diu tutus eſt. *Manut.* Qui metuuntur, non diu poſſunt opes ſuas retinere. *Wolf.*

3 *Fidelis vel ad perpetuitatem*] Qui habet multorum benevolentiam, tutus eſt à perfidia, & ſuas opes perpetuo tueri inviolatas poteſt. *Idem.*

4 *Qui vi oppreſſos imperio coercent, ſit ſane adhibenda ſævitia*] Quia, ut ait Salluſtius, quibus artibus partum eſt imperium, iis retinetur. *Sane*, permittentis eſt potius, quam probantis, habita ratione eorum, de quibus loquimur. Nam Tyrannos non probat, ſed, ſi qui ſunt, iis permittit, tanquam Tyrannis, ut ad ſuas opes conſervandas in eos, qui ſine vi teneri non poſſunt, ſævitia utantur. *Manut.*

5 *In famulos*] Scilicet ignavos, mendaces, furaces, flagitioſos, contumaces. *Wolf.*

6 *Demerſæ ſint leges*] Vim habere non poſſint, quod ad unius libidinem omnia fiant. *Maturant.* Metaphora ab agrorum inundatione tranſlata.

7 *Timefacta libertas*] Perterriti homines, qui prius libere vixerunt.

8 *Emergunt*] Eſt *emergere*, ab aliqua difficultate reſurgere. *Maturant.*

9 *Judiciis tacitis*] *Judicia tacita* hic ſunt, cum populus aliquo facto clam declarat, quid de Reip. ſtatu ſentiat, licet idem palam dicere non audiat. Hinc L. J. Bruti ſtatuæ reperta ſunt in hunc modum inſcripta: *Utinam viveres! Quam indignam ſortitus es, Brute, prolem! Grav.*

10 *Occultis de honore ſuffragiis*] Obſcura quidem verba ſunt, ſed intelligo de conſenſu bonorum, uni alicui, aut etiam pluribus honorem deferentium, ut eum ducem, & auctorem vindicandæ libertatis decernant: cujuſmodi Athenis fuit Thraſybulus, Romæ Brutus, & Caſſius, Syracuſis Dion. *Wolf. Occulta ſuffragia* videntur eſſe, cum patriæ libertatis ſtudioſi inter ſe ſecreta ineunt conſilia, quibus artibus Legitimi revocentur magiſtratus, Tyrannuſque male partos faſces deponere, & Abdicare togatur.

11 *Acriores morſus*] Acrius deſideratur libertas ad tempus amiſſa. *Wolf.* Tranſlatio ab animantibus, quæ, cum læſa ſunt, ad ultionem doloris, & injuriæ acrius mordent. *Manut.*

&

& privatis in rebus, & in rep. conſequemur. etenim, qui ſe metui volent, à quibus metuentur, eoſdem metuant ipſi neceſſe eſt. Quid enim cenſemus ſuperiorem illum [1] Dionyſium, quo cruciatu timoris angi ſolitum, qui [2] cultros metuens tonſorios, candenti carbone ſibi adurebat capillum? quid? Alexandrum Pheræum, quo animo vixiſſe arbitramur? qui (ut ſcriptum legimus) cum uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam [3] ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidem, ut ſcriptum eſt, [4] compunctum notis Threiciis, deſtricto gladio jubebat anteire: præmittebatque de ſtiparoribus ſuis, qui ſcrutarentur arculas muliebres, &, ne quod in veſtimentis occultaretur telum, exquirerent. O miſerum, qui fideliorem & barbarum, & ſtigmatiam putaret, quam conjugem! nec eum fefellit. [5] ab ea enim eſt ipſe propter pellicatus ſuſpicionem interfectus. Nec vero ulla vis imperii tanta eſt, quæ, premente metu, poſſit eſſe diuturna. Teſtis eſt Phalaris, cujus eſt præter cæteros [6] nobilitata crudelitas: qui non ex inſidiis interiit, ut is, quem modo dixi, Alexander: non à paucis, ut [7] hic noſter: ſed in quem univerſa Agrigentinorum multitudo [8] impetum fecit. Quid? Macedones nonne Demetrium reliquerunt, univerſique ſe ad Pyrrhum contulerunt? Quid? Lacedæmonios injuſte imperantes nonne repente omnes fere ſocii deſeruerunt, ſpectatoreſque ſe otioſos præbuerunt Leuctricæ calamitatis?

8. [9] Externa libentius in tali re, quam domeſtica recordor. Veruntamen, quamdiu imperium populi Romani be-

1 *Dionyſium*] Tyrannum Syracuſanum. *Idem.*

2 *Cultros metuens tonſorios*] Tonſor enim jocoſe gloriatus erat, in ſua poteſtate eſſe Tyranni vitam; propter facetias autem pœnas dedit atrociſſimas.

3 *Ex epulis*] Quibus incaleſcit Venus, quæ ſine Cerere, & Baccho friget. *Maturant.*

4 *Compunctum notis Threiciis*] Stigmatibus notatum fronti inuſtis, quæ apud Thraces nobilitatis, apud alias autem gentes mali, & fugitivi ſervi ſunt inſignia.

5 *Ab ea eſt interfectus*] Conjux enim, mulier cordata, & animo præſente, tum vitæ Tyranni pertæſa, tum quia fratre juniore fœde abutebatur, adjunctis ſibi tribus fratribus, maritum in lecto decumbentem oppreſſit. *Manut.*

6 *Nobilitata crudelitas*] Ex illo præſertim æneo tauro, quo homines incluſos, ut gemitu mugitum referrent, igni ſubjecto necabat. *Idem.*

7 *Hic noſter*] J. Cæſar, in ſenatu tribus, & viginti vulneribus confoſſus.

8 *Impetum fecit*] In foro lapidibus obrutus eſt. *Manut.*

9 *Externa libentius*] A malorum enim noſtrorum commemoratione natura abhorremus. *Idem.*

neficiis

neficiis tenebatur, non injuriis, bella aut [1] pro ſociis, aut [2] de imperio gerebantur, exitus erant bellorum [3] aut mites, aut neceſſarii. Regum, populorum, nationum portus erat, & refugium ſenatus. Noſtri autem magiſtratus, imperatoreſque ex hac una re maximam laudem capere ſtudebant, ſi provincias, ſi ſocios æquitate, & fide defendiſſent. Itaque illud [4] patrocinium orbis terræ verius, quam imperium poterat nominari. Senſim hanc conſuetudinem, & diſciplinam jam antea minuebamus, poſt vero Syllæ victoriam penitus amiſimus. deſitum eſt enim videri quidquam in ſocios iniquum, cum extitiſſet in cives [5] tanta crudelitas. Ergo in illo ſecuta eſt [6] honeſtam cauſam non honeſta victoria. eſt enim auſus dicere, [7] haſta poſita, cum bona in foro venderet & bonorum virorum, & locupletium, & certe civium, [8] prædam ſuam ſe vendere. [9] ſecutus eſt, qui in [10] cauſa impia, victoria etiam fœdiore, non ſingulorum civium bona publicaret, ſed [11] univerſas provincias, regioneſque [12] uno calamitatis jure comprehenderet.

1 *Pro ſociis*] Defendendis ſcilicet contra exteram vim, non autem patriæ pro ſociorum commodis poſthabitis.

2 *De imperio*] Vel conſervando, vel amplificando. *Wolf.*

3 *Aut mites, aut neceſſarii*] Virgilius utrumque hoc verſu complectitur: *Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.* *Mites* exitus bellorum ſunt, cum devicti populi aut in civitatem, aut in fidem, & clientelam recipiuntur, modico tributo impoſito. *Idem.* *Neceſſarii*, cum ratio Reip. poſtulet, ut urbes excindantur, vallentur gentes, aut victi durius habeantur. Cumque pax inſida, & incerta eſſet, niſi delerentur hoſtes. Propter quam cauſam Cato ſemper cenſebat Carthaginem eſſe delendam. *Grav.*

4 *Patrocinium orbis*] Hinc Ariſtides in diſertiſſimo Romæ elogio dicit, univerſum orbem ſub Romanis feſtum quaſi diem agere, urbes ſplendore, & decore fulgere, tocamque terram inſtar Paradiſi excultam eſſe, ut vere dictum ſit, inclinantem, labantemque mundum à Romanis eſſe inſtauratum. *Grav.*

5 *Tanta crudelitas*] Sylla, hoſtibus devictis, multa civium millia partim occidit in villa publica, partim proſcripſit. *Manut.*

6 *Honeſtam cauſam non honeſta victoria*] Cauſam probat belli, quia Sylla partes optimatum fovebat, & tuebatur contra populares: victoriam improbat, quia erat crudelis, ſæva, & cruenta. *Grav.*

7 *Haſta poſita*] Haſtæ ſubjiciebantur, quæ publice vendebantur. *Maturant.*

8 *Prædam ſuam*] Quaſi hoſtes eſſent, non cives. *Manut.* Quia vi aliorum bona in ſuam poteſtatem converterat. *Maturant.*

9 *Secutus eſt, qui*] Ubique per occaſionem J. Cæſaris tyrannidem inſectatur Cicero. *Wolf.* Sylla cauſam honeſtam habuit, victoriam vero turpem: Cæſar autem cauſam fœdam, victoriam crudeliorem. *Maturant.*

10 *Cauſa impia*] Contra optimates, & communem libertatem. *Manut.*

11 *Univerſas provincias*] Quotquot pro Pompejo ſteterant. *Idem.*

12 *Uno calamitatis jure*] Id eſt, Jure belli, quo aliis adimebat regna Cæſar, aliis dabat; aliis populis largiebatur, aliis tributa, ac vectigalia nova imponebat.

Itaque, vexatis, & perditis exteris nationibus, [1] ad exemplum amissi imperii portari in triumpho [2] Massiliam vidimus, & ex ea urbe triumphari, sine qua nunquam nostri imperatores ex Transalpinis bellis triumpharunt. multa præterea commemorarem nefaria in socios, si hoc uno sol quidquam vidisset indignius. Jure igitur plectimur. nisi enim [3] multorum impunita scelera tulissemus, nunquam ad unum tanta perveniisset licentia: à quo quidem rei familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos improbos venit hæreditas. Nec vero unquam bellorum civilium semen, & causa deerit, dum homines perditi [4] hastam illam [5] cruentam & meminerint, & sperabunt, quam [6] P. Sylla cum vibrasset, dictatore propinquo suo, idem sexto tricesimo anno post [7] à sceleratiore hasta non recessit. [8] alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quæstor urbanus. Ex quo debet intelligi, talibus? præmiis propositis, nunquam defutura bella civilia. Itaque parietes urbis modo stant, & manent, iique ipsi jam [10] extrema scelera metuentes: rem vero publicam [11] penitus amisimus.

nebat. *Grutor.* Sed *jus* rectius exponitur, status, conditio. Sensus est: Simul, & semel calamitosa, miseraque redderet. *Gronov.* Qualis singulorum civium conditio, talis fuit omnium provinciarum, regionumque, ut pari scilicet calamitate vexarentur. *Manut.*

1 *Ad exemplum amissi imperii*] Eversæ Reipublicæ, cum de hostibus, non de sociis, triumphari soleret. *Manut.* Nam cum contra legem de amica civitate, & socia triumpharetur, signum erat amissum esse imperium. *Maturant.*

2 *Massiliam*] Galliæ Narbonensis urbem, populi Romani amicam, cujus imago in triumpho Cæsaris circumlata. *Erasm.*

3 *Multorum impunita scelera*] Multi autem sunt Clodii, aliique, qui impune multa scelera committebant, quæ impunita novas res molientium audaciam incendebant, spe ejusdem impunitatis facta, quibus everta fuit Respublica. *Grav.*

4 *Hastam illam*] Bonorum civium, à L. Sylla proscriptorum, sub hasta venditionem.

5 *Cruentam*] Translatum à re militari. Nam cum hasta ante oppidum ponebatur, signum erat diripiendæ urbis, & crudelitatis in cives exercendæ. *Manut.*

6 *P. Sylla cum vibrasset*] Hic, dictatore L. Sylla, patruo suo, proscriptorum civium bona emit ad hastam, id est, in auctione publica, quæ, hasta prope fixa, fieri solebat. *Idem.*

7 *A sceleratiore hasta*] Significat, eundem P. Syllam, ut emerat bona proscriptorum Marianorum, L. Sylla dictatore, itidem emisse proscriptorum Pompejanorum, dictatore Cæsare. *Idem.*

8 *Alter*] Intelligitur Cornelius, in dictatura Syllæ scriba, Cæsaris vero tempore quæstor. *Maturant.*

9 *Præmiis propositis, nunquam defutura bella*] Duces scilicet, quotquot auri fame laborant inexpleta, bellum appetunt perpetuum, pacisque fœdera, quamvis honestissima, conculcant.

10 *Extrema scelera metuentes*] Ne scelerati homines urbem ipsam expugnent, diripiant, incendant, evertant. *Wolf.* Inanimatis autem mœnibus sensum, passionesque attribuit Cicero, quo tristior depingatur publica calamitas.

11 *Penitus amisimus*] Nulla supereſt Senatus auctoritas, sed & Triumvirorum libidine omnia administrantur. *Wolf.*

tus

tus amissimus: atque in has clades incidimus (redeundum est enim ad propositum) dum metui, quam cari esse, & diligi maluimus. Quæ si populo Romano injuste imperanti accidere potuerunt, quid debent putare singuli? Quod cum perspicuum sit, benevolentiæ vim esse magnam, metus imbecillam, sequitur, ut differamus, quibus rebus possimus facillime eam, quam volumus, adipisci [1] cum honore, & fide caritatem. [2] Sed ea non pariter omnes egemus. nam [3] ad cujusque vitam instituendam accommodandum est, à multisne opus sit, an satis à paucis diligi. Eorum igitur hoc sit, idque & primum, & maxime necessarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum, & [4] nostra mirantium. hæc enim est una res prorsus, ut [5] non multum differat inter summos, & mediocres viros; eaque utriusque est propemodum comparanda. Honore, & gloria, & benevolentia civium fortasse non æque omnes egent; sed tamen, si cui hæc suppetunt, adjuvant aliquantum tum ad cætera, tum ad amicitias comparandas.

9. Sed de amicitia alio libro dictum est, qui inscribitur Lælius. Nunc dicamus de gloria: quanquam ea quoque de re [6] duo sunt nostri libri: sed attingamus, quandoquidem ea in rebus majoribus administrandis adjuvat plurimum. Summa igitur, & perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore dignos putat. Hæc autem (si est simpliciter, breviterque dicendum) quibus rebus pariuntur à singulis, eisdem fere à multitudine. Sed est alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in universorum animos tanquam influere possimus. Ac primum de illis tribus, quæ ante

1 *Cum honore, & fide caritatem*] Tres partes, quæ perfectam gloriam constituunt.

2 *Sed ea*] Ea scilicet caritate, quæ cum honore, & fide conjuncta sit. Nam privata quidem amicitia pariter omnes egent. *Manut.*

3 *Ad cujusque vitam instituendam accommodandum*] Hoc est, Ad illud vitæ genus, quod quis sequendum sibi statuit, & legit, est referendum, num multis opus habeat, an paucis amicis. *Gtav.*

4 *Nostra mirantium*] Id est, Qui præclare de rebus nostris sentiant, nosque magni faciant: *mirf.* Qui nos colant, & observent: quod faciunt, qui alicujus res, & bona præsertim animi admirantur. *Maturant.*

5 *Non multum differat inter summos, & mediocres viros*] Ut fidos amicos comparent, tam principes, quam privati, operam ex æque fere adhibere debent.

6 *Duo sunt nostri libri*] Quorum nulla extant reliquiæ.

dixi, [1] benevolentiæ præcepta, videamus: quæ quidem [2] beneficiis capitur maxime: secundo autem loco, benefica voluntate benevolentia movetur, etiam si res forte non suppetit. vehementer autem amor multitudinis commovetur ipsa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, justitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad mansuetudinem morum, & ad facilitatem. Etenim illud ipsum, quod honestum, decorumque dicimus, quia [3] per se nobis placet, animosque omnium [4] natura, & specie sua commovet, maximeque quasi perlucet ex eis, quas commemoravi, virtutibus, idcirco illos, in quibus eas virtutes esse putant, à natura ipsa diligere cogimur. Atque hæ quidem causæ diligendi gravissimæ: possunt enim præterea nonnullæ esse leviores. Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest: si existimabimur adepti conjunctam cum justitia prudentiam. nam & iis fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos, arbitramur, quosque & futura prospicere credimus, & cum res agatur, in discrimenque ventum sit, [5] expedire rem, & consilium [6] ex tempore capere posse. hanc enim utilem hominibus existimant, vereque prudentiam. Justis autem & fidis hominibus, id est, bonis, ita fides habetur, ut nulla sit in his fraudis, injuriæque suspicio. Itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos rectissime committi arbitramur. Harum igitur duarum ad fidem faciendam [7] justitia plus pollet: quippe cum ea sine prudentia satis habeat auctoritatis, prudentia sine justitia nihil valeat ad faciendam fidem. quo enim quis versutior & callidior est, [8] hoc invisior, & suspectior, detracta opi-

1 *Benevolentiæ præcepta*] Id est, Rationes, artes, methodosque benevolentiæ civium acquirendæ.

2 *Beneficiis capitur*] Sentit benevolentiam colligi nos beneficiendo. *Erasm.* Capitur, id est, acquiritur, ex multitudine obtinetur. Sed leporis quiddam plus habet ad exprimendam beneficiorum vim, quibus capiuntur, & obstringuntur animi. *Manut.*

3 *Per se*] Vel si nullum ex eo fructum capiamus. *Idem.*

4 *Natura, & specie*] Vi, forma, & pulchritudine. *Idem.*

5 *Expedire rem*] Explicare rem intricatam, & perplexam. *Manut.*

6 *Ex tempore capere*] Citra longam deliberationem, quam sæpe negotia non patiuntur. *Idem.*

7 *Justitia*] Hic est probitas, & vitæ sanctitas. *Grav.*

8 *Hoc invisior, & suspectior*] Exemplo sit Alcibiades, versutissimus mortalium, cui cum classis Atheniensium commissa fuisset, non fortuna belli, sed fraude Imperatoris cladem hanc se credebant accepisse. *Idem.*

nione

nione probitatis. Quamobrem intelligentia justitia conjuncta, quantum volet, habebit ad faciendam fidem virium, justitia sine prudentia multum poterit: sine justitia nihil valebit prudentia.

10. Sed, [1] ne quis sit admiratus, cur, cum inter omnes philosophos constet, [2] à meque ipso sæpe disputatum sit, qui unum haberet, omnes habere virtutes, nunc ita sejungam, quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, justus esse: alia est illa, cum veritas ipsa [3] limatur in disputatione, subtilitas: alia, cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem, ut vulgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes, alios bonos viros, alios prudentes dicamus. Popularibus enim verbis est agendum, & usitatis, cum loquimur [4] de opinione populari: idque eodem modo fecit Panætius. Sed ad propositum revertamur. Erat igitur ex tribus, quæ ad gloriam pertinent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum honore ab iis digni judicaremur. Admirantur igitur communiter [5] illi quidem omnia, quæ magna, & præter opinionem suam animadverterunt: separatim autem in singulis, si perspiciunt [6] nec opinata quædam bona. itaque eos viros suspiciunt, maximisque efferunt laudibus, in quibus existimant se excellentes quasdam, & [7] singulares virtutes perspicere: [8] despiciunt autem

1 *Ne quis sit admiratus*] Ne quis existimet me oblitum esse eorum, quæ à Philosophis disputantur, neminem scilicet virtutem aliquam solam habere posse, cum inter se connectuntur omnes, intelligat me non ex Philosophorum placitis loqui, sed juxta abnormis vulgi opinionem.

2 *A meque ipso sæpe disputatum*] De virtutum quasi conspiratione, & consensu disputat Cicero Lib. V. de Finibus: virtutes inter se nexas, conjugatasque esse docet idem Quæstion. Tusc. Lib. III. *Grav.*

3 *Limatur*] Diligentissime quæritur. *Manut.*

4 *De opinione populari*] Opinatur enim populus non conjugatas esse virtutes, sed separatas.

5 *Illi*] Homines indocti, & pusillis animis præditi. Tollit autem admirationem cognitio rerum, & animi magnitudo: quibus præsidiis, & facultatibus cum careat vulgus, facile apud eos excitatur admiratio. *Manut.*

6 *Nec opinata quædam bona*] Virtutes minime expectatas.

7 *Singulares virtutes perspicere*] Vel unica Semiramis hoc docet, quæ cum rebus multis præclare gestis floreret, quæ fuit: *non hoc*, inquit Justin. Lib. II. *illi dignitatem regni ademit, sed admirationem auxit, quod mulier non fœminæ modo virtute, sed etiam viros anteivit. Grav. Singulares* intelligo rara, & cum paucis communes. *Manut.*

8 *Despiciunt autem eos*] Exemplo sit ex eodem regno Sardanapalus, quem cum Arbaces vidisset mollitiæ corporis omnes feminæ superare, negavit se ei parere posse, qui se fœminam maluit esse, quam virum. Sic Numanus apud Virgilium Æneid. IX. cum suos laudasset, quod in perpetuis laboribus nutriti

eos, & contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. non enim omnes eos contemnunt, de quibus male existimant. nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, & ad faciendam injuriam instructos, eos [1] contemnunt quidem neutiquam, sed de his male existimant. Quamobrem (ut ante dixi) contemnuntur ii, qui [2] nec sibi, nec alteri, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est. [3] Admiratione afficiuntur ii, qui anteire cæteros virtute putantur, & cum omni carere dedecore, tum vero iis vitiis, quibus alii non facile possunt obsistere. nam & voluptates, blandissimæ dominæ, majores partes animi à virtute detorquent: & dolorum cum [4] admoventur faces, præter modum plerique exterrentur: vita, mors, divitiæ, paupertas, omnes homines vehementissime permovent. Quæ qui in [5] utramque partem [6] excelso animo, magnoque despiciunt, cumque aliqua his ampla, & honesta res objecta est, totos ad se convertit, & rapit, tum quis non admiretur splendorem, pulchritudinemque virtutis?

11. Ergo & hæc animi despicientia admirabilitatem magnam facit: & maxime justitia (ex qua una virtute viri boni appellantur) mirifica quædam multitudini videtur: nec injuria. [7] nemo enim justus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet, aut qui ea, quæ his sunt contraria, æquitati anteponit. maximeque admiran-

etiam in senectute vires, & animum eundem servarent, Trojanos deinde, tanquam contrariis vitiis obnoxios, sic contemnit:

O vere Phrygia! nec enim Phryges. Grav.

1 *Contemnunt neutiquam*] Imo potius metuunt, ne injuriam sibi inferre conarentur.

2 *Nec sibi, nec alteri*] Ita fere proverbiales sententiæ efferuntur, quasi vulgo vel à primo verbo notæ. *Lang.* In hac autem deridentur homunculi, qui nihili penduntur, nemini prosunt, fruges tantum consumere nati.

3 *Admiratione afficiuntur*] Id est, Admirationem quandam hominum consequuntur. *Manut. Admiratione afficiuntur*, qui tales se præbent, ut eos homines admirentur, & colant. Sic *honore affici* dicuntur, qui honorantur: *præmio affici*, in quos præmium confertur. *Grav.*

4 *Admoventur faces*] Videtur alludere ad conflagrationem Herculis. *Wolf.*

5 *In utramque partem*] Tam voluptates, quam dolores, tam vitam, quam mortem, tam opes, quam inopiam.

6 *Excelso animo, magnoque*] Id est, Tali, qui virtutem rebus omnibus anteponat. *Wolf.*

7 *Nemo enim justus*] Justi est, non exilium, non egestatem, non mortem denique subeundam pro patria, amicisve defendendis, aut qualibet officii parte timere. Ideo non potest esse justus, & tenax propositi vir, cui præ divitiis, voluptatibus, imo vita ipsa sordet justitia: quem civium ardor prava jubentium, quem vultus instantis Tyranni ab æquitate deterrere valeat.

tur

tur eum, qui pecunia [1] non movetur: quod in quo viro perſpectum ſit, hunc [2] igni ſpectatum arbitrantur. Itaque illa tria, quæ propoſita ſunt ad gloriam, omnia juſtitia conficit: & benevolentiam, quod prodeſſe vult plurimis: & ob eandem cauſam, fidem: & admirationem, quod eas res ſpernit, & negligit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur. Ac mea quidem ſententia omnis ratio, atque inſtitutio vitæ adjumenta hominum deſiderat: in primiſque, ut habeas, quibuſcum poſſis [3] familiares conferre ſermones; quod eſt difficile, niſi ſpeciem ptæ te boni viri feras. Ergo etiam ſolitario homini, atque in agro vitam agenti, opinio juſtitiæ neceſſaria eſt: eoque etiam magis, quod, ſi eam non habebunt, injuſti habebuntur: nullis præſidiis ſepti multis afficientur injuriis. Atque iis etiam, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendiſque negotiis implicantur, juſtitia ad rem gerendam neceſſaria eſt. cujus tanta vis eſt, ut nec illi quidem, qui maleficio, & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine ulla particula juſtitiæ vivere. nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, [4] furatur aliquid, aut eripit, is ſibi ne [5] in latrocinio quidem relinquit locum: ille autem, qui [6] archipirata dicitur, niſi æquabiliter prædam diſpertiat, aut interficiatur à ſociis, aut relinquatur. quinetiam leges latronum eſſe dicuntur, quibus pareant, quas obſervent. Itaque propter æquabilem prædæ partitionem & Bardylis Illyrius latro (de quo eſt apud Theopompum) magnas opes habuit, & multo majores [7] Viriatus Luſitanus, cui quidem etiam exercitus noſtri, imperatoreſque ceſſerunt: quem C. Lælius, is, qui ſapiens [8] uſurpatur, prætor fregit, & com-

1 *Non movetur*] Ad juſtitiam ſcilicet violandam. *Wolf.*

2 *Igni ſpectatum*] Quaſi dicat, Omnibus numeris perfectum. Eſt autem tralatio ab auro optimo, perfectiſſimo, & puriſſimo, quod igni examinatur. *Lang.*

3 *Familiares conferre ſermones*] Vitæ enim conſuetudo præcipuum manuſeſt, ac vinculum ſocietatis, & amicitiæ. *Rachel.*

4 *Furatur, aut eripit*] Vox prior occultam, & inſidioſam includit actionem: poſterior apertam, & violentam. *Manut.*

5 *In latrocinio*] Inter latrones, apud quos neceſſario ſervanda eſt juſtitia; neque à ſe invicem furari licet.

6 *Archipirata*] Piratarum princeps. *Maturant.*

7 *Viriatus*] Ex paſtore venator, ex venatore latro, mox vaſti quoque exercitus dux factus, tandem à proditoribus Servilii Cæpionis conſilio interemptus eſt. Vide Florum, Patercul. &c.

8 *Uſurpatur*] Appellari ſolitus eſt. Conſuetudinem enim hoc verbum ſignificat. *Manut.*

minuit,

minuit, ferocitatemque ejus ita repreſſit, ut facile bellum reliquis traderet. Cum igitur tanta vis juſtitiæ ſit, ut ea etiam latronum opes firmet, atque augeat, quantam ejus vim inter leges, & judicia [1] in conſtituta rep. fore putamus?

12. Mihi quidem non apud Medos ſolum, ut ait Herodotus, ſed etiam apud majores noſtros, juſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim [2] bene morati reges conſtituti. Nam, cum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, virtute præſtantem, qui, cum [3] prohiberet injuria tenuiores, [4] æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari jure retinebat. Eademque conſtituendarum legum fuit cauſa, quæ regum. Jus enim ſemper quæſitum eſt æquabile. neque enim aliter eſſet jus. id ſi ab uno juſto, & bono viro conſequebantur, [5] eo erant contenti. cum id minus contingeret, leges ſunt inventæ, quæ cum omnibus ſemper [6] una, atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perſpicuum eſt, eos ad imperandum deligi ſolitos, quorum de juſtitia magna eſſet opinio multitudinis. Adjuncto vero, ut iidem etiam [7] prudentes haberentur, nihil erat, quod homines his auctoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda, & retinenda juſtitia eſt; tum ipſa [8] propter ſeſe (nam [9] aliter

1 *In conſtituta Rep.*] Hoc eſt, In ſocietate recte compoſita, & ordinata. *Grav.*

2 *Bene morati reges conſtituti*] Non genus, aut ſucceſſio ejuſdem familiæ ſpectabatur; ſed ii ad regnum vocabantur, qui virtute, & probitate præſtabant reliquis. *Wolf.* Sic Numa Pompilius opinione virtutis ultro à Romanis accerſitus eſt Curibus parvis. *Manutius.*

3 *Prohiberet injuria*] Ab injuria defenderet. *Eraſm.*

4 *Æquitate conſtituenda*] *Æquitas* hic eſt illud æquum jus, quod cives omnes iiſdem legibus ſubjicit, & reſpectu legum æquales facit, ut

Troes, Rutilaſve fuat, nulla diſcrimine

habeantur. Dignitate, & ordinibus ſunt alii aliis ſuperiores, ſed non legibus. Si potentiſſimus, & princeps Reip. tenui, & capite cenſo injuriam facit, æque pœnis legis eſt obnoxius, ac infimæ ſortis civis. *Grav.*

5 *Eo erant contenti*] Nec mirum. Talis enim juſtus, & bonus Rex non ſecus curam gerit ſocorum civium, ac bonus paſtor ſui gregis, aut pater ſuæ familiæ. *Idem.*

6 *Una, atque eadem voce*] Nulla ratione habita hominum, cujuſcunque ſint ſortis, & ordinis. Homines enim abripiuntur plerique aut odio, aut gratia, aut commodorum ſuorum reſpectu. Hinc leges inventæ. *Rachel.* Non ut alio modo tenuiores, alio locupletes viverent, ſed ut ſummi cum infimis æquo jure tenerentur. *Manut.*

7 *Prudentes haberentur*] Senili enim, deliro, ſtupidoque Rege, rationis, & intelligentiæ incapaci, Reip. nulla peſtis infeſtior excogitari poteſt.

8 *Propter ſeſe*] Pretium ſit virtus ipſa petitum.

9 *Aliter juſtitia non eſſet*] Imo potius aucupium

justitia non esset) tum propter amplificationem honoris, & gloriæ. Sed, ut pecuniæ non quærendæ solum ratio est, sed etiam [1] collocandæ, quæ perpetuos sumptus suppeditet, nec solum [2] necessarios, sed etiam [3] liberales: sic gloria & quærenda, & collocanda [4] ratione est. Quanquam præclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam, & quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. Quod [5] si qui simulatione, & inani ostentatione, & ficto non modo sermone, sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse putant, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam flosculi, decidunt, [6] nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. [7] Testes sunt permulti in utramque partem, sed brevitatis causa familia erimus contenti una. [8] Tiberius enim Gracchus, P. filius, tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit. At ejus filii nec vivi probabantur bonis, & mortui [9] numerum obtinent jure casorum.

13. Qui igitur adipisci veram gloriam volet, justitiæ fungatur officiis. ea quæ essent, dictum est libro superiore. Sed, ut facillime, quales simus, tales esse videamur; etsi in eo ipso vis maxima est, ut simus ii, qui haberi velimus; tamen quædam præcepta danda sunt. nam [10] si quis ab incunte

aucupium quoddam honoris, & pecuniæ, aut cauponatio quædam. *Wolf.*

1 *Collocanda*] *Collocatur* pecunia, quæ infertur, aut impenditur. *Erasm.*

2 *Necessarios*] Ad tuendam vitam, & frugaliter alendam familiam. *Wolf.*

3 *Liberales*] Ut & ipsi latius vivamus, & benignius in alios uti possimus *Idem.*

4 *Ratione*] Prudentia: non malis artibus. In quo lapsi sunt, præstanti homines ingenio, duo Gracchi fratres. *Manut.*

5 *Si qui simulatione*] Si qui sub vitutis larva gloriam assequi contendunt, brevi deprehendunt fucus, minime duraturus marcescit honos, detegitur, & irridetur ostentatio.

6 *Nec simulatum potest quidquam esse diuturnum*] Quia naturæ adversatur. *Manut.* Sic Quintilianus: *Prodit se, quamlibet custodiatur, simulatio: nec unquam fuerit tanta eloquendi facultas, ut non titubet, aut hæreat, quoties ab animo verba dissentiunt.*

7 *Testes sunt in utramque partem*] Et eorum, qui gloriam semel partam aliquam amiserunt, quia bonis artibus peperere, iisdem retinuere: & eorum, qui statim amisere, quoniam probitatem ad tempus simulavorunt. *Manutius.*

8 *Ti. Gracchus*] Nobilis, sapiens, justitiæque Romanæ, qui bis consul fuit, bis triumphavit, censuitque eandem Remp. prudentia conservavit.

9 *Numerum obtinent jure casorum*] Quia leges agrariæ ferre conati sunt Reip. perniciosas. *Manut. Numerus* Ciceroni, aliisque scriptoribus optimis lapidum status est, & cumulus lapidum. *Grævius.*

10 *Si quis ab incunte ætate*] Id est, Si quis à puerilis habet rationem gloriæ adipiscendæ, utpote vel parentibus natus aut nobilitate, aut aliqua ingenii laude

ætate habet cauſam celebritatis, & nominis, aut à patre acceptam (quod tibi, mi Cicero, arbitror contigiſſe) aut aliquo caſu, atque fortuna, in hunc oculi omnium conjiciuntur, atque in eum, quid agat, quemadmodum vivat, anquiritur: &, tanquam in clariſſima luce verſetur, ita [1] nullum obſcurum poteſt nec dictum ejus eſſe, nec factum. Quorum autem prima ætas propter humilitatem, & obſcuritatem [2] in hominum ignoratione verſatur, hi, [3] ſimul ac juvenes eſſe cœperunt, magna ſpectare, & ad ea [4] rectis ſtudiis debent contendere. quod eo firmiore animo facient, quia non modo non invidetur illi ætati, verum etiam favetur. [5] Prima igitur eſt adoleſcenti commendatio ad gloriam, ſi qua ex bellicis rebus comparari poteſt; in qua multi apud majores noſtros [6] extiterunt: ſemper enim fere bella gerebantur. Tua autem ætas incidit in id bellum, cujus [7] altera pars ſceleris nimium habuit, altera felicitatis parum. Quo tamen in bello, cum te Pompejus [8] alæ alteri præfeciſſet, magnam laudem & à ſummo viro, & ab exercitu conſequebare equitando, jaculando, omni militari labore tolerando. atque ea quidem tua laus pariter cum repub. cecidit. Mihi autem hæc oratio ſuſcepta non de te eſt, ſed de genere toto. quamobrem pergamus ad ea, quæ reſtant. Ut igitur in reliquis rebus multo majora ſunt opera animi, quam corporis: ſic hæ res, quas perſequimur ingenio, ac ratione,

laude præſtantibus; vel à Fortuna potius acceptam, quàm fortius eſt Servius Tullius, qui ſerva natus ad regiam aſcendit dignitatem; necnon Darius, qui hinnitu equi rex Perſarum conſtitutus eſt.

1 *Nullum obſcurum poteſt*] Itaque generis claritas ut magnum adjumentum poſteris eſt ad gloriam, & decus; ſic, ſi à virtute majorum deficiant poſteri, nobilitatis ſplendor lumen quaſi eis præfert ad prodendam infamiam, & omnium oculis, & probris objiciendam. *Grav.*

2 *In hominum ignoratione verſatur*] Nove dixit, pro *hominibus eſt ignota*. *Eraſm.*

3 *Simul ac juvenes eſſe cœperunt*] Confirmato jam judicio, & animi, corporiſque viribus auctis. *Wolf.*

4 *Rectis ſtudiis*] Virtute, labore, probis inſerviendo, non ambitione populari, largitionibus, conviviis, aliiſque malis artibus. *Grav.*

5 *Prima igitur*] Obſcurus adoleſcens per rem militarem primam illuſtrari poteſt. *Wolf.*

6 *Extiterunt*] Clari evaſerunt. *Idem.* Sane omnes Romani poſt annum tyrocinii militiæ nomen dabant. Nec poterant, niſi militaſſent, adſpirare ad civiles dignitates ullas. *Grav.*

7 *Altera pars*] Cæſariana, plena ſceleris, quia Remp. oppreſſit. *Manut.*

8 *Alæ alteri*] Turmarum equeſtrium. Duæ legiones exercitus erat conſularis; quas equites, tanquam alæ, à lateribus muniebant. *Idem.*

[1] gravio-

graviores sunt, quam illæ, quas viribus. Primum igitur commendatio proficiscitur [2] à modestia, tum pietate in parentes, tum in suos benevolentia. Facillime autem, & in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros, & sapientes viros, bene consulentes reip. contulerunt: quibuscum si frequentes sint, opinionem afferunt populo, [3] eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerint ad imitandum. P. Rutilii adolescentiam ad opinionem & innocentiæ, & juris scientiæ, [4] P. Mucii commendavit [5] domus. nam L. quidem Crassus, cum esset admodum adolescens, non alunde muniratus est, sed sibi ipse peperit [illegible] eam quidem ex [6] illa accusatione nobili, & gloriosa, &, quæ [illegible] qui exercentur, laude affici solent (ut de Demosthene accepimus) ea ætate L. Crassus ostendit, id se in foro optime jam facere, quod etiam uni poterat domi cum laude mediari.

14. [8] Sed, cum duplex ratio sit orationis; quarum in altera sermo sit, in altera contentio: non est id quidem dubium, quin contentio orationis majorem vim habeat ad gloriam. [9] ea est enim, quam eloquentiam dicimus, sed tamen difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasque sermonis. Extant epistolæ Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Cassandrum, & Antigoni ad Philippum filium, trium prudentissimorum (sic enim accepimus) quibus præcipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant, [10] militesque blan-

1 *Graviores*] Ingenii, ac rationis opera plus habent constantiæ, & dignitatis, quam ea, quæ virium arbitrio geruntur. *Wolf.*

2 *A modestia*] Id est, A Temperantia, & moderata vivendi ratione.

3 *Eorum fore se similes*] Talis habetur quisque, quales ii sunt, cum quibus versatur, & assiduam consuetudinem habet. *Maturant.*

4 *P. Mucii*] Romani nobilis, insigni Juris Civilis peritia noti, necnon jurisconsultorum disertissimi.

5 *Domus*] Consuetudo, & familiaritas. *Wolf.*

6 *Illa accusatione*] Cum annos natus undeviginti C. Carbonem, consularem accusavit, & damnavit. *Manut.*

7 *Qui exercentur*] Solebant adolescentes Romani domi declamatorio eloquendi genere exerceri, fictasque causas agere, priusquam in fori certamen prodirent.

8 *Sed, cum duplex*] Cum duo sint dicendi genera, sermo familiaris, & contentio forensis, prius gratiam, posterius autem gloriam comparare demonstrat Cicero.

9 *Ea est, quam eloquentiam*] Nam, qui excellit in sermone familiari, disertus potius, quam eloquens dicitur. *Manut.*

10 *Militesque blande appellando*] Non (juxta quorundam mentem) militibus abutendo, pane scilicet, mercede, vestibusque, duris laboribus quæsitis, ad avaritiam suam indulgendam sordidissime diminutis.

blande appellando deleniant. Quæ autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea sæpe [1] universam excitat. Magna est enim admiratio [2] copiosæ, sapienterque dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam, & sapere plus, quam cæteros, arbitrantur. Si vero inest in oratione [3] mista modestiæ gravitas, nil admirabilius fieri potest; eoque magis, si ea sunt in adolescente. Sed, cum sint plura causarum genera, quæ eloquentiam desiderant, multique in nostra repub. adolescentes & apud judices, & apud senatum dicendo laudem assecuti sint, maxima admiratio est in judiciis; quorum ratio duplex est, nam & ex accusatione, & defensione constat: quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persæpe est. Dixi paulo ante de Crasso, idem fecit adolescens M. [4] Antonius, etiam P. Sulpicii eloquentiam accusatio illustravit, cum seditiosum, & inutilem civem, C. Norbanum, in judicium vocavit. Sed hoc quidem non est sæpe faciendum, nec unquam, nisi aut reipub. causa, ut ii, quos ante dixi; aut ulciscendi, ut [5] duo Luculli; aut patrocinio, ut [6] nos pro Siculis; pro Sardis; pro M. Albutio Julius. in accusando etiam M. [7] Aquilio L. Fufii cognita industria est. Semel igitur, aut non sæpe certe. Sin erit, cui faciendum sit sæpius, [8] reip. tribuat hoc muneris, cujus inimicos ulcisci sæpius non est reprehendendum. [9] modus tamen adsit. Duri enim hominis, vel potius vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis. id cum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam, committere, ut accusator nominetur: quod contigit M.

2 *Universam*] Hæc vox refertur ad *multitudinem*, non ad *gloriam*, quæ reperitur in libris vulgaribus. *Lamb.*

2 *Copiosæ, sapienterque dicentis*] Oratoris descriptio, quem copia a sterilitate Dialectica, sapientia ab inani garrulitate separat. *Wolf.*

3 *Mista modestiæ gravitas*] *Modestia* pudorem, & verecundiam in verbis, & sententiis, & motu, gestuque corporis complectitur: *gravitas* pondus sententiarum, & sublimitatem orationis. *Idem.*

4 *Antonius*] Avus M. Antonii Triumviri. Accusavit autem Cn. Papirium Carbonem. *Manut.*

5 *Duo Luculli*] Qui paternas inimicitias magna cum laude persecuti sunt, & patris sui accusatorem, Servilium Augurem accusarunt. *Fabric.*

6 *Nos pro Siculis*] In orationibus contra Verrem, provinciæ Siculæ prædatorem.

7 *Aquilio*] *Multis avaritiæ criminibus, testimoniisque convicto*, teste Cicerone in oratione pro Flacco.

8 *Reip. tribuat hoc muneris*] Hoc est, Privatis inimicitiis, atque affectibus in hac re nihil tribuatur: absit invidia, odium, æmulatio, malevolentia. *Wolf.*

9 *Modus*] Mensura, & finis, ut non leves accusandi occasiones quærere videamur. *Manut.*

Bruto,

Bruto, [1] summo genere nato, illius filio, qui juris civilis in primis peritus fuit. Atque etiam hoc præceptum officii diligenter tenendum est, [2] ne quem unquam innocentem [3] judicio capitis arcessas: id enim sine scelere fieri nullo pacto potest. Nam quid est tam inhumanum, quam eloquentiam, à natura ad salutem hominum, & ad conservationem datam, ad bonorum pestem, perniciemque convertere? Nec tamen, ut hoc fugiendum est, item [4] habendum est religioni, nocentem aliquando, modo ne [5] nefarium, impiumque defendere. vult hoc multitudo, patitur consuetudo, [6] fert etiam humanitas. Judicis est, semper in causis verum sequi: patroni, nonnunquam verisimile, etiam si minus sit verum, defendere: quod scribere, [7] præsertim cum de philosophia scriberem, non auderem, nisi idem placeret, gravissimo Stoicorum, Panætio. Maxime autem & gloria paritur, & gratia defensionibus: eoque major, si quando accidit, ut ei subveniatur, qui [8] potentis alicujus opibus circumveniri, urgerique videatur. ut nos & sæpe alias, & adolescentes, contra L. Syllæ dominantis opes pro Sex. Roscio Amerino fecimus: quæ, ut scis, extat oratio.

15. Sed, expositis adolescentium officiis, quæ valeant ad gloriam adipiscendam, deinceps de beneficentia, ac liberalitate dicendum est. Cujus est ratio duplex. nam aut opera [9] benigne fit indigentibus, aut pecunia. facilior est hæc posterior, locupleti præsertim: sed illa [10] lautior, ac splen-

1 *Summo genere nato*] Junia familia, quæ cum Æneâ in Italiam venit, affinitatemque cum Romanis regibus contraxit. *Manut.*

2 *Ne quem unquam innocentem*] Bene igitur dicebat ille Judex, præstare, decem nocentes absolvere, quam unum innocentem condemnare: quam sententiam etiam expendere, & amplecti debent accusatores. In judiciis igitur bene constitutis debita severitate puniri debet advocatorum calumnia, reprimi immodestia, castigari linguæ petulantia. *Rachel.*

3 *Judicio capitis*] Quam execrabile igitur æstimandum est Sycophantarum genus, qui non tantum innocuos, sed etiam Patriæ Patres judicio capitis arcessunt!

4 *Habendum est religioni*] Id est, Cavendum, metuendum est.

5 *Nefarium, impiumque*] Cujus scelus ad Deos, & religionem pertinet. *Manut.*

6 *Fert etiam humanitas*] Ut homo hominem servatum velit. *Manut.*

7 *Præsertim cum de philosophia*] Quæ scilicet non popularem consuetudinem, sed veritatem, & rectæ rationis judicium spectat. *Manut.*

8 *Potentis alicujus opibus circumveniri*] Multo major, si quis dominantis factionis effrænata rabie oppressus videatur.

9 *Benigne fit*] Bene fit, quibus præstatur beneficium, pro quo Cicero nove dixit *benigne fit*, impersonaliter. *Bretsn.*

10 *Lautior, ac splendidior*] Rationes Ciceronis videntur esse gravissimæ,

didior, & viro forti, claroque dignior. quanquam enim in utroque ineſt gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur: largitioque, quæ fit ex re familiari, [1] fontem ipſum benignitatis exhaurit, ita [2] benignitate benignitas tollitur: qua quo in plures uſus ſis, eo minus in multos uti poſſis. At qui opera, id eſt, virtute, & induſtria, benefici, & liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adjutores habebunt: deinde conſuetudine beneficentiæ paratiores erunt, & tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. Præclare epiſtola quadam Alexandrum filium Philippus accuſat, quod largitione benevolentiam Macedonum conſectetur. Quæ te, [3] malum, inquit, ratio in iſtam ſpem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupiſſes? An tu id agis, ut Macedones non te regem ſuum, ſed miniſtrum, & [4] præbitorem ſperent fore? [5] Bene miniſtrum, & præbitorem; quia ſordidum regi: melius etiam, quod largitionem corruptelam eſſe dixit. Fit enim deterior, qui accipit, atque [6] ad idem ſemper expectandum paratior. Hoc ille filio: ſed præceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non dubium eſt, quin illa benignitas, quæ conſtat ex opera, & induſtria, & honeſtior ſit, & latius pateat, & poſſit prodeſſe pluribus. nonnunquam tamen eſt largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudian-

propter quas beneficentiam, quæ præſtatur opera, præferat liberalitati ex arca. Nam, quin honeſtiore via Cicero, novus homo, ſibi opera conciliarit civium animos, ut illorum ſuffragiis ſummas dignitates conſequeretur, quam J. Cæſar, aliique largitionibus, dubitari non poteſt. Longe plures etiam poſſumus demereri opera & officiis noſtris, quam pecunia, quæ [illa] brevi exhauriretur, ſi plurimos illa nobis velimus devincire. *Grav.*

1 *Fontem ipſum*] Rem familiarem, cujus rivuli ſunt largitiones. *Wolf.*

2 *Benignitate benignitas tollitur*] Cum enim largitio pecuniæ minuat rem domeſticam, ſimul minuit benigne faciendi facultatem.

3 *Malum*] Hic vel adverbium eſt, vel, ſi malis, interjectio indignantis. *Erasm.*

4 *Præbitorem*] Pecuniarum diſpenſatorem. *Maturant.*

5 *Bene miniſtrum*] His verbis Cicero approbat reprehenſionem Philippi. *Fabrit.*

6 *Ad idem ſemper expectandum paratior*] Quod magna mercede didicerunt illi Imperatores Romani, qui largitionibus dignitatem Imperatoriam ſunt conſecuti. Semper enim plus offerentium patebant injuriis, & mox ab iis militibus, quos emerant, ſpe majoris auctoramenti incenſis, tollebantur è medio. Hi, qui deceſſores ſua hac via, & arte de poſſeſſione male parti Imperii deturbarant, mox eadem deturbabantur. Semper enim alios largitores, & præbitores expectabant. Qui ſimul ac promittebant, ſimul illi ad ſcelus erant parati. *Grav.*

dum

dum est: & sæpe [1] idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum: sed [2] diligenter, atque [3] moderate. Multi enim patrimonia effuderunt inconsulte largiendo. Quid autem est stultius, quam, quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non possis? Atque etiam sequuntur largitionem rapinæ. Cum enim dando egere cœperint, alienis bonis manus afferre coguntur. ita, cum benevolentiæ comparandæ causa benefici esse velint, non tanta studia assequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. Quamobrem, nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit; nec ita reseranda, ut pateat omnibus. modus adhibeatur, isque referatur ad facultates. Omnino meminisse debemus id, quod, à nostris hominibus sæpissime usurpatum, jam in proverbii consuetudinem venit, [4] largitionem fundum non habere. etenim quis potest modus esse, cum & idem qui [5] consuerunt, & idem illud [6] alii desiderent?

16. Omnino duo sunt genera largorum; quorum alteri prodigi, alteri liberales. Prodigi, qui epulis, & [7] visceration-

1 *Idoneis*] Ambiguitate vocis *idoneus* inductus injuria Lactantius invadit in hæc verba. Lactantii ævo, sicut & apud Jurisconsultos, *idonei* homines haud alii fere, quam boni, & locupletes dicebantur. Ideo, tanquam astutum, hoc præceptum reprehendit, quasi illis solum foret impertiendum, qui restituere possent. Sed *idoneos indigentes* omnino dicit Cicero probos homines, paupertate oppressos. *Gronov. Idoneis*, id est, Dignis auxilio, quod non sua culpa, sed fortunæ iniquitate sunt afflicti. *Wolf.*

2 *Diligenter*] Hanc vocem hic usurpat non illo vulgari more, sed ut idem valeat, quod *cum delectu. Erasm.* Sic *diligenter scribere* ep. Cic. est *eleganter*, magno verborum delectu adhibito. In eodem sensu *diligentia* in Orat. pro Planc. *Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.* Hoc est, Populus agit omnia temere, inconsulte, nullo rerum, hominumve delectu habito, & discrimine. *Grav.*

3 *Moderate*] Significat modum in dando esse tenendum. *Grav.* Ne plus largiaris, quam facultates tuæ permittant. *Maturant.* Immoderatam enim largitionem duo vitia sequuntur, inopia, & rapinæ. Quæ Catilinariæ conjurationis origo fuit. *Manut.*

4 *Largitionem fundum non habere*] Finem non invenire, inane esse eorum studium, qui benevolentiam hominum, qui dando expleri nequeant, largitione consectentur. *Manut.* Sententia est: Largitionibus facilius effundi patrimonia, quam benevolentiam hominum comparari. *Wolf.* Adagium à pertuso Danaidum apud inferos dolio translatum, quod ut infusa aqua nunquam impletur, ita nec populus largitionibus. *Erasm.*

5 *Consuerunt*] Pro *consueverunt*, κατὰ συγκοπὴν usitatam apud Ciceronem. *Fabric.*

6 *Alii desiderent*] Illorum exemplo excitati, qui accipere consueverunt. *Maturant.*

7 *Visceration-ibus*] Cum carnes, sive crudæ, sive coctæ, interdum panis, vinumque singulis præbebantur. *Manut.*

bus,

bus, & [1] gladiatoriis muneribus, [2] ludorum, venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nullam omnino sint relicturi. Liberales autem, qui suis facultatibus aut captos à prædonibus redimunt, aut [3] æs alienum suscipiunt amicorum, aut in filiarum collocatione adjuvant, aut opitulantur in re vel quærenda, vel augenda. Itaque miror, quid in mentem venerit Theophrasto, in eo libro, quem de divitiis scripsit: in quo multa præclare, illud absurde. Est enim [4] multus in laudanda magnificentia, & apparatione [5] popularium munerum, taliumque sumptuum facultatem, [6] fructum divitiarum putat. Mihi autem ille fructus liberalitatis, cujus pauca exempla posui, multo & major videtur, & certior. Quanto Aristoteles gravius, & verius nos reprehendit, qui has pecuniarum effusiones [7] non admiremur, quæ fiunt ad multitudinem deleniendam! at ii, qui ab hoste obsidentur, si emere aquæ sextarium mina cogerentur, hoc primo auditu incredibile nobis videri, omnesque mirari: sed [8] cum attenderint, [9] veniam necessitati dare: in his immanibus

1 *Gladiatoriis muneribus*] Spectaculis cruentis, quæ potissimum in funeribus edebantur.

2 *Ludorum, venationumque*] Comœdiarum, Tragœdiarum, necnon ferarum in Theatro pugnantium, quæ ad delectandum populum exhiberi solitæ sunt.

3 *Æs alienum suscipiunt amicorum*] Quod amici debent, dissolvendum in se recipiunt. *Fabric.*

4 *Filiarum collocatione adjuvant*] Cum nupcum dantur. *Erasm.* Non tantum deligendo generum, sed etiam dotis partem conferendo. *Wolf.*

5 *Popularium munerum*] Ludorum Gymnicorum, Scenicorumve, qui favorem populi concilient.

6 *Fructum divitiarum*] Quasi nulla alia sit utilitas divitiarum, quam si ad pompam, & inanem ostentationem, ac delectationem conferantur. Quum verus divitiarum fructus sit, habere facultatem juvandi quam plurimos. *Wolf.*

7 *Non admiremur*] Non reprehendendas putemus. *Manut.* Insolens est significatio verbi *admirari*, quod proprie est *magni facere*; hoc vero loco significat, *alienum, & absurdum existimare*. Quanto, inquit, verius Aristoteles nobiscum expostulat, qui tantopere obstupescamus, si eum, qui obsessus ab hoste sit, audimus immenso comparasse commeatum in tanta quidem necessitate: contra vero nihil admirabile, nihil stupendum nobis videatur, si pecuniam innumerabilem ad plebeculam duntaxat oblectandam videamus projici: eo vero magis, quod nulla plebi inde utilitas, nulla præbenti dignitas quæritur! *Lang.* Sententia est hæc: Aristoteles graviter reprehendit nos, scilicet omnes, qui non admiremur reperiri homines tam fatuos, qui tantum effundant pecuniæ in ludos, & munera, brevis temporis oblectationem, eos vero miremur, qui mina in obsessa urbe sextarium aquæ emerint. *Grav.*

8 *Cum attenderint*] Nimirum animum homines. *Idem.*

9 *Veniam necessitati dare*] Hoc est, Egenis ignoscere, tam caro pretio aquam ementibus, nec id mirari. *Idem.*

jactu-

[1]jacturis, [2]infinitisque sumptibus [3]nihil nos magnopere mirari; cum præsertim [4] nec necessitati subveniatur, nec dignitas augeatur; ipsaque illa delectatio multitudinis sit ad breve, exiguumque tempus; eaque [5] à levissimo quoque; in quo tamen ipso una cum satietate memoria quoque moriatur voluptatis. Bene etiam colligit, hæc pueris, & mulierculis, & servis, & servorum simillimis liberis esse grata. gravi vero homini, & ea, quæ fiunt, judicio certo ponderanti, probari posse nullo modo. quanquam intelligo, in nostra civitate [6] inveterasse jam à bonis temporibus, ut splendor [7] ædilitatum ab optimis viris postuletur. itaque & P. Crassus cum cognomine dives, tum copiis, functus est [8] ædilitio maximo munere. Et paulo post L. Crassus cum omnium hominum [9] moderatissimo, Q. Mutio, magnificentissima ædilitate functus est: deinde C. Claudius, Appii filius: multi post, Luculli, Hortensius, Silanus. omnes autem P. Lentulus, me consule, vicit-superiores. hunc est Scaurus imitatus. Magnificentissima vero nostri Pompeji munera secundo consulatu: in quibus omnibus [10] quid mihi placeat, vides. Vitanda tamen est suspicio avaritiæ.

17. Mamerco, homini divitissimo, [11] prætermissio ædilitatis consulatus repulsam attulit. Quare, &, [12] si postulatur à populo,

1 *Jacturis*] *Jacturæ* hic sunt sumptus, donationes, prodigæ largitiones. *Idem.*

2 *Infinitisque sumptibus*] Qui scilicet sunt in munera. *Idem.*

3 *Nihil nos magnopere mirari*] Sed omnes judicare, recte, & bene illos impendi. *Idem.*

4 *Nec necessitati subveniatur*] Nam postea subjicit, duobus casibus has largitiones fieri posse; in populi egestate, & si per eas majus aliquod emolumentum vel Reip. vel etiam tibi anquiras. *Lamb.*

5 *A levissimo quoque*] Id est, Soli levissimi vel inter vulgus largitionibus, & ludis deleniuntur.

6 *Inveterasse jam à bonis temporibus*] Id est, Splendorem Ædilitatum in consuetudinem veniisse, moribus nondum depravatis, sed honesta adhuc florente disciplina. Et sane immensa patrimonia in nonnullorum ædilitiis, muneribus, ludis, spectaculisque exhibitis, profusa fuisse constat.

7 *Ædilitatum*] Ædiles Romani templa, & ædificia publica, necnon ludos solennes curabant.

8 *Ædilitio maximo munere*] Primus enim argento, auroque solis imitatus ludis suis coronas dedit. Ejus ædilitate elephantos primum pugnaviisse tradit Plinius. *Manut.*

9 *Moderatissimo*] Quasi diceret: Plus valuit inveterata consuetudo civitatis, quam mores, & vitæ institutum tanti viri; qui & ipse coactus est tenere se more sui sæculi. *Wolf.*

10 *Quid mihi placeat*] Innuit Cicero magnificentissima ista munera sibi minime placere.

11 *Prætermissio ædilitatis*] Propter impensas scilicet evitandas.

12 *Si postulatur à populo*] Si populus defert ædilitatem cuipiam, & ejusmodi sumptus requisierit, faciendi sunt: non autem supra modum, & facultatem. *Mut.*

populo,

populo, bonis viris, si non desiderantibus, attamen approbantibus, faciendum est, modo pro facultatibus; nos ipsi ut fecimus: &c, si quando aliqua res [1] major, atque utilior populari largitione acquiritur: ut Orestes nuper prandia in semitis [2] decumæ nomine magno honori fuerunt. [3] ne M. quidem Scio vitio datum est, quod in caritate asse modium populo dedit. magna enim se, & inveterata invidia, nec turpi jactura, [4] quando erat ædilis, nec maxima liberavit. Sed honori summo nuper nostro Miloni fuit, quod [5] gladiatoribus emptis reip. causa, [6] quæ salute nostra continebatur, omnes P. Clodii conatus, furoresque compressit. Causa igitur largitionis est, si aut necesse est, aut utile. In his autem ipsis mediocritatis regula optima est. L. quidem Philippus, Q. filius, magno vir ingenio, in primisque clarus, gloriari solebat, se sine ullo munere adeptum esse omnia, [7] quæ haberentur amplissima. dicebat idem C. Curio. Nobis quoque licet in hoc quodammodo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus [8] nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos

1 *Major, atque utilior*] Ut si quis se avaritiæ suspicione, & inveterata invidia hoc modo liberet: si populo innotescat: si ad altiores dignitates quasi aditum sibi paret, quo magis & Reip. & civibus suis prodesse possit. *Wolf.*

2 *Decumæ nomine*] Mos antiquitus decimam partem Herculi consecrare, ut ditescerent: unde decimam, Herculanam partem Plautus nominat. *Erasm.* Ea *in semitis* persolvebatur, quia ille itineribus præest. *Lang.* Huc spectavit Orestes, quum prandia populo dedit in propatulo, ut omnibus liceret interesse. Prætextus fuit religio, & incrementum divitiarum. Vera autem causa, captatio auræ popularis. *Wolf.*

3 *Ne M. quidem Scio vitio datum*] Nec reprehensus est M. Scius, quod, cum caritate annonæ civitas laboraret, modium frumenti populo vilissimo pretio vendidit.

4 *Quando erat ædilis*] Quia splendorem postulabat ædilitas. *Manut.* Quod si extra ædilitatem id fecisset, fortasse non causam probabilem largitionis habuisset, & in suspicionem ambitus, aut etiam affectati regni venisset, ut Sp. Melio olim accidit. *Wolf.*

5 *Gladiatoribus emptis*] Cum Clodius magnam manum armatorum hominum comparasset, qua utebatur ad turbandam Rempublicam, ad leges, & judicia evertenda, ei ut resisteret, Milo & ipse gladiatores emit, & vim vi repulit. *Grav.*

6 *Quæ salute nostra continebatur*] Nihil hic inaniter jactat, nihilque sibi tribuit Cicero, quod non sit verissimum. Nam per ejus latus petebatur Respublica. Tanta ejus erat, & Catonis auctoritas, ut non possent impune grassari in Rempublicam, qui dominationem affectabant, nisi aut iis submotis, aut eorum dignitate fracta. Quod nemo potest ignorare, nisi hospes in historia horum temporum. *Idem.*

7 *Quæ haberentur amplissima*] Ut Præturam, Censuram, Consulatum. Nam Dictatura, quamvis summæ potestatis, magistratus extraordinarius fuit, nec, nisi periculosissimis Reip. temporibus, creari solitus. *Wolf.*

8 *Nostro quidem anno*] Id est, Quo primum anno per leges licuit. *Manut.* Magistratibus Romanorum certi anni ætatis

modo nominavi, ſane exiguus ſumptus ædilitatis fuit. Atque etiam illæ impenſæ meliores, muri, navalia, portus, aquarum ductus, omniaque, quæ ad uſum reip. pertinent. quanquam, [1] quod præſens tanquam in manum datur, jucundius eſt, tamen hæc in poſterum gratiora. Theatra, porticus, nova templa verecundius reprehendo [2] propter Pompejum: ſed doctiſſimi non probant, ut & hic ipſe Panætius, quem multum in his libris ſecutus ſum, non interpretatus: & Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Græciæ, vituperat, quod tantam pecuniam in præclara illa [3] propylæa conjecerit. Sed de hoc genere toto, in iis libris, quos [4] de repub. ſcripſi, diligenter eſt diſputatum. [5] Tota igitur ratio talium largitionum, genere vitioſa eſt, temporibus neceſſaria; & tum ipſa & ad facultates accommodanda, & mediocritate moderanda eſt.

18. In illo autem altero genere largiendi, quod à liberalitate proficiſcitur, non uno modo in diſparibus cauſis affecti eſſe debemus. Alia cauſa eſt ejus, [6] qui calamitate premitur, & ejus, qui [7] res meliores quærit, nullis ſuis rebus adverſis. [8] Propenſior benignitas eſſe debebit in calamitoſos, niſi forte erunt [9] digni calamitate. in iis tamen, qui ſe adjuvari volent, non ut ne affligantur, ſed ut altiorem gradum

ætatis, & certa intervalla, alias alia præſcripta fuerunt. *Wolf.*

1 *Quod præſens tanquam in manum*] Sententia eſt: Plebem & privatæ utilitatis, & commodi præſentis ſtudioſiorem eſſe, quam publicæ, aut rerum futurarum: ſed eos famæ ſuæ melius conſulere, qui Reip. quam qui privatis proſint. *Idem.*

2 *Propter Pompejum*] Qui Theatrum magnificentiſſimum extruxerat.

3 *Propylæa*] Hæc erant arcis, quæ Cecropia dicebatur, veſtibula, lapide albo tecta, quibus extruendis Pericles annos quinque, & bis mille, ac duodecem talenta impendit. Per ſolas horum veſtibulorum portas quinque patebant aditus in arcem. *Meurſ.*

4 *De Repub.*] Hoc opus in ſex libros diviſum eſt: quorum omne, præter Somnium Scipionis, & pauca quædam Fragmenta, periit.

5 *Tota igitur ratio*] Tales impenſæ omnes nimiæ in ædificia publica, in ludos, munera, & ſi quæ alia ſunt hujus generis, ſunt improbandæ: ſed, ſi natus ſis iis temporibus, quibus neceſſario ſunt faciendi in talia ſumptus, ut effugias avaritiæ ſuſpicionem, pro ratione facultatum ſunt faciendi, & ſic moderandi, ne incurramus in reprehenſionem aut ſordidorum, aut prodigorum. *Grav.*

6 *Qui calamitate premitur*] Ut ſi captus ſit, ſi oppreſſus ære alieno, ſi naufragium rei familiaris fecerit. *Wolf.*

7 *Res meliores*] Incrementa divitiarum, vel dignitatis. *Manut.*

8 *Propenſior benignitas in calamitoſos*] Hæc enim eſt benignitas neceſſaria, quam ſine reprehenſione, & ſcelere negligere non poſſumus. *Grav.* Nam hæc vera cauſa eſt largiendi, ut ſubveniatur neceſſitati. *Manut.*

9 *Digni calamitate*] Sicuti guloſi, helluones, aleatores, & cæteri ejuſmodi,

adſcendant, [1] reſtricti omnino eſſe nullo modo debemus: ſed in deligendis idoneis [2] judicium, & [3] diligentiam adhibere. nam præclare Ennius:

Beneſacta [4] male locata, malefacta arbitror.

Quod autem tributum eſt bono viro, & grato, in eo cum [5] ex ipſo fructus eſt, tum etiam [6] ex cæteris. [7] temeritate enim remota, [8] gratiſſima eſt liberalitas; eoque eam [9] ſtudioſius plerique laudant, quod ſummi cujuſque bonitas commune perfugium eſt omnium. Danda igitur opera eſt, ut iis beneficiis quam plurimos afficiamus, quorum memoria liberis, poſteriſque prodatur, ut iis [10] ingratis eſſe non liceat. omnes enim immemorem beneficii oderunt: eamque injuriam [11] in deterrenda liberalitate [12] ſibi etiam fieri; eumque, qui faciat, communem [13] hoſtem tenuiorum putant. Atque hæc benignitas etiam reip. utilis eſt, [14] redimi è ſervitute captos, locupletari tenuiores: quod quidem vulgo ſolitum fieri ab ordine noſtro in oratione Craſſi ſcriptum copioſe videmus. Hanc ergo conſuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono. hæc eſt gravium homi-

qui ſua culpa ad paupertatem, & miſeriam rediguntur. *Maturant.*

1 *Reſtricti*] Avari, & illiberales. *Idem.*

2 *Judicium*] Ut ingenia hominum, & mores ſagacibus conjecturis explorentur. *Wolf.*

3 *Diligentiam*] Quæ in eo verſatur, ne præcipitetur judicium. *Idem.*

4 *Male locata*] Collata in homines improbos, ingratos, ſtupidos, ignavos. *Idem.*

5 *Ex ipſo fructus eſt*] Sic P. Syrus Mimus:

Beneficium dando accepit, qui dignus dedit.

6 *Ex cæteris*] Bonis, qui liberalitatem hanc laudant, & virum tam benignum amant, & colunt. *Grav.*

7 *Temeritate remota*] Si non temere cuivis datur, ſed idoneis tantum. *Manut.*

8 *Gratiſſima eſt liberalitas*] Nulla virtus eſt, quæ ita demulceat, & deleniat hominum animos, atque ad aucupandam eorum gratiam tantum valeat, quantum liberalitas. *Wolf.*

9 *Studioſius laudant*] Tum ex officio, tum ad excitandam, & augendam divitum liberalitatem, in qua ſibi quoque præſidii aliquid repoſitum eſſe ſperant. *Idem.*

10 *Ingratis eſſe non liceat*] Etſi bonitate naturæ non vincantur, tamen grati ſint infamiæ metu, & publici odii. *Idem.*

11 *In deterrenda liberalitate*] Pro, *in deterrendis hominibus liberalibus*, ne ſint benefici. Metonymia eſt adjuncti pro ſubjecto. *Fabric.*

12 *Sibi etiam fieri*] Non tantum ei, qui beneficium contulit. *Wolf.*

13 *Hoſtem tenuiorum*] Sic P. Syrus Mimus:

Ingratus unus miſeris omnibus nocet.

14 *Redimi è ſervitute*] Ne deſint, qui pugnent pro patria. *Wolf.*

num,

num, atque magnorum: illa quasi adsentatorum populi, multitudinis levitatem voluptate quasi [1] titillantium. Conveniet autem cum in dando munificum esse, tum [2] in exigendo non [3] acerbum, in omnique re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, [4] vicinitatibus, & confiniis, æquum, & facilem; multa multis de jure suo cedentem: à litibus vero, [5] quantum liceat, & nescio an paulo [6] plus etiam, quam liceat, abhorrentem. Est enim non modo liberale, paulum nonnunquam de suo jure decedere, sed interdum [7] etiam fructuosum. Habenda autem est ratio rei familiaris, quam quidem [8] dilabi sinere flagitiosum est: sed ita, ut illiberalitatis, avaritiæque absit suspicio. Posse enim liberalitate uti, non spoliantem se patrimonio, nimirum is est pecuniæ fructus maximus. Recte etiam à Theophrasto est laudata hospitalitas. est enim (ut mihi quidem videtur) valde decorum, patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus: idque etiam reip. est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere. Est autem etiam vehementer utile iis, qui honeste posse multum volunt, per hospites apud externos populos valere opibus, & gratia. Theophrastus quidem scribit, Cimonem Athenis etiam [9] in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse. ita enim instituisse, & villicis imperavisse, ut omnia præberentur, quicunque Laciades in villam suam devertisset.

19. Quæ autem opera, non largitione beneficia dantur, hæc tum in universam remp. tum in singulos cives conse-

1 *Titillantium*] Lenocinantium, blandientium, muneribusque suis benevolentiam populi captantium.

2 *In exigendo*] Eo scilicet, quod tibi debetur. *Wolf.*

3 *Acerbum*] *Acerbi* Latinis dicuntur, qui debita exigunt ad affecti fine ulla remissione. *Grav.*

4 *Vicinitatibus, & confiniis*] Hæ referuntur ad ædificia urbana, hæc ad agros, & prædia rustica.

5 *Quantum liceat*] Quantum rei domesticæ ratio patiatur. *Manut.*

6 *Plus etiam, quam liceat*] Id est, Vel cum aliqua rei familiaris jactura. *Idem.*

7 *Etiam fructuosum*] Non minima prudentiæ pars est, scire tempus jacturæ faciendæ idoneum. Possumus scilicet in loco negligere maximum interdum fit lucrum.

8 *Dilabi*] Consumi, dissipari. *Manut.*

9 *In suos curiales Laciadas*] Id est, Etga omnes Athenienses, quotquot tribum suam Laciam sortiti sunt. Populus Atticus, ut in pagos, id est, tribus, seu municipia, divisus est, ita etiam cognomina sibi inde asciscebat. *Curiales* vocat Cicero petitò ex sua Rep. vocabulo.

runtur. nam [1] in jure cavere, conſilio juvare, atque hoc ſcientiæ genere prodeſſe quam plurimis, vehementer & [2] ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. Itaque cum multa præclara majorum, tum quod optime conſtituti juris civilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio, atque interpretatio: quam quidem [3] ante hanc confuſionem temporum [4] in poſſeſſione ſua principes retinuerunt: nunc, ut honores, ut omnes dignitatis gradus, ſic hujus ſcientiæ [5] ſplendor deletus eſt: idque eo indignius, quod eo tempore hoc contigit, cum [6] is eſſet, qui omnes ſuperiores, quibus honore par eſſet, ſcientia facile viciſſet. Hæc igitur opera grata multis, & ad beneficiis obſtringendos homines accommodata. Atque huic arti finitima eſt dicendi [7] gravior facultas, & gratior, & ornatior. Quid enim eloquentia præſtabilius, vel admiratione audientium, vel [8] ſpe indigentium, vel eorum, qui defenſi ſunt, gratia? huic quoque ergo à majoribus noſtris eſt in [9] toga dignitatis principatus datus. [10] Diſerti igitur hominis, & [11] facile laborantis, quodque [12] in patriis eſt mo-

1 *In jure cavere*] Id eſt, Clientes, amicoſque monitis, & conſilio ſalutari inſtruere, ne actionem perperam inſtituant, aut adverſariorum calliditate circumveniantur.

2 *Ad opes augendas*] Non pecuniam cumularam intelligit, ſed gloriam, favoremque populi. Nobiles enim Romani (ut eſt apud Ciceronem in Oratore) ſui copiam fecerunt, civibus de jure gratis reſpondentes. Neque tunc temporis mercenarii fuerunt Juriſconſulti, prout Οἱ νῦν ἔφοροι ἀνὴρ. *Idem.*

3 *Ante hanc confuſionem*] Priuſquam bellis civilibus perturbari cœpit Reſpublica.

4 *In poſſeſſione ſua principes*] Id eſt, Juriſprudentiæ ita ſtudioſi fuerunt viri nobiles, ut id ſtudium eorum eſſe proprium viderentur, non autem vulgo eriam, & plebeiis hominibus commune. *Wolf.*

5 *Splendor deletus eſt*] Bifariam hoc poteſt intelligi: vel quod interpretatio juris ad plebeios homines devoluta ſit; vel (quod probabilius videtur) quoniam inter arma ſileant leges. *Idem.*

6 *Is eſſet*] Eulogium videtur eſſe Ser. Sulpitii, Juriſperiti celeberrimi. Inepte de J. Cæſare intelligunt Wolfius, & Maturantius.

7 *Gravior, & gratior, & ornatior*] Eloquentiæ facultas ſcientia juris civilis *gravior* eſt, quia plus ingenii poſtulat, *gratior*, quia civibus ſalutem dat; *ornatior*, quia Latini ſermonis elegantia, copia, ſplendore delectat. *Manut.*

8 *Spe indigentium*] Sperant enim homines ſe diſerti patroni ope & ſalutem, & fortunas ſuas conſervaturos. *Wolf.*

9 *Toga*] Hæc vox ad ſignificandam pacem, otiumque publicum apud Ciceronem ſæpiſſime uſurpatur.

10 *Diſerti igitur*] *Diſertum* hic uſurpat pro eloquente. Alibi diſtinguuntur; ut in Oratore, dicente M. Antonio, *diſertos* ſe vidiſſe multos, *eloquentem* vero neminem. *Manut.* Eſt proprie *diſertus*, qui ornatu verborum, & copia valet: *eloquens*, qui rebus, & ſententiis pollet. *Maturant.*

11 *Facile laborantis*] Libenter laborum tolerantiſſimi. *Manut.* Qui labores, & moleſtias non reformidet, ſed otio, & quieti anteponat. *Wolf.*

12 *In patriis moribus*] In moribus patriæ noſtræ. Sic enim majores noſtri facere conſtituerunt. *Maturant.*

ribus,

ribus, multorum causas, & [1] non gravate, & [2] gratuito defendentis, beneficia, & patrocinia [3] late patent. Admonebat me res, ut hoc quoque loco intermissionem eloquentiæ, ne dicam interitum, deplorarem, ni vererer, ne [4] de meipso aliquid viderer queri. Sed tamen videmus, quibus extinctis oratoribus, quam in paucis spes, quanto in paucioribus facultas, [5] quam in multis sit audacia. Cum autem omnes non possunt, ne multi quidem, aut jurisperiti esse, aut diserti, licet tamen opera prodesse multis, beneficia petentem, [6] commendantem judicibus, & magistratibus, [7] vigilantem pro re alterius, eos ipsos, qui aut [8] consuluntur, aut defendunt, rogantem: quod qui faciunt, plurimum gratiæ consequuntur, latissimeque eorum manat industria. Jam illud non sunt admonendi ([9] est enim in promptu) ut animum advertant, cum juvare alios velint, ne quos offendant. sæpe enim aut eos lædunt, quos non debent; aut eos, [10] quos non expedit. si imprudentes, negligentiæ est: si scientes, temeritatis. Utendum etiam est excusatione adversus eos, quos invitus offendas, quacunque possis, quare id, quod feceris, necesse fuerit, nec aliter facere potueris: cæterisque operis, & officiis erit id, quod violatum est, compensandum.

1 *Non gravate*] Ne multis, & ambitiosis precibus, & pollicitationibus sit opus. *Wolf.*

2 *Gratuito defendentis*] Id est, Gratis. Sic enim Ciceronem fecisse Plutarchus scribit; & ipse Crassum in Paradoxis notat, ut mercedem patrociniorum paciscentem. *Lang.* Lege Cincia vetitum erat, ne quis ob causam orandam pecuniam, donumve accipiat. *Grav.*

3 *Late patent*] Quia plurimi sunt, quibus patrocinio, & defensione sit opus. *Wolf.*

4 *De meipso aliquid viderer queri*] Nempe, quod non amplius mihi causas agere liceat, ex quibus ante Reip. violata jura uberrimam comparavi gloriam.

5 *Quam in multis sit audacia*] Eos intelligit, qui temere ad dicendum prosiliunt, non considerata eloquentiæ amplitudine, & difficultate, nec à Natura, nec ab arte, nec ab usu, & exercitatione satis parati, atque instructi. Quod genus hominum nostra ætate pleraque eruditorum loca in Ecclesia, in Republica occupavit. *Wolf.*

6 *Commendantem judicibus*] Solebant rei à viris gravibus, & auctoritate præditis, laudari judicibus, & commendari; qui eorum, ut & majorum merita in Remp. prædicabant. *Grav.*

7 *Vigilantem pro re alterius*] Ne scilicet aliquid detrimenti capiat; ne bene gerendæ rei occasionem amittat. *Wolf.*

8 *Consuluntur, aut defendunt*] *Consuluntur* Jurisconsulti, oratores *defendunt*. *Lang.*

9 *Est enim in promptu*] Patet per se, est apertum, satis notum. Nam quis ignorat, alios ita juvari oportere, ne quem offendamus, & in alieno beneficio nobis ipsi damnum comparemus? *Manut.*

10 *Quos non expedit*] Ut potentes, & ad ultionem paratos. *Wolf.*

20. Sed

20. Sed, cum in hominibus juvandis aut mores ſpectari, aut fortuna ſoleat: dictu quidem eſt [1] proclive, itaque vulgo loquuntur, ſe in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam ſequi. [2] honeſta oratio eſt. ſed quis eſt tandem, qui inopis, & optimi viri cauſæ non anteponat in opera danda gratiam fortunati, & potentis? à quo enim expeditior, & celerior remuneratio fore videtur, in eum fere eſt voluntas noſtra propenſior. Sed animadvertendum eſt diligentius, quæ natura rerum ſit. nimirum enim inops ille, ſi bonus eſt vir, etiam ſi [3] referre gratiam non poteſt, [4] habere certe poteſt. Commode autem, quicunque dixit, [5] pecuniam qui habeat, non reddidiſſe; qui reddiderit, non habere; gratiam autem & qui retulerit habere, & qui habeat, retuliſſe. At, qui ſe locupletes, honoratos, [6] beatos putant, hi [7] ne obligari quidem beneficio volunt. quinetiam [8] beneficium ſe dediſſe arbitrantur, cum ipſi quamvis magnum aliquod acceperint: æque etiam [9] à ſe aut poſtulari, aut expectari aliquid ſuſpicantur: patrocinio vero tuo ſe uſos, & clientes appellari, [10] mortis inſtar putant. At vero ille tenuis, cum, quidquid factum ſit, ſe ſpectatum, non fortunam, putet, non modo illi, qui eſt meritus, ſed etiam illis, à quibus expectat (eget enim multis) [11] gratum ſe videri ſtudet. neque vero

1 *Proclive*] Id eſt, Facile: ut facile de proclíviore loco deſcenditur. *Manut.*

2 *Honeſta oratio eſt*] Ut dicant mores ſpectandos eſſe in collocandis beneficiis; cum tamen divites potius, & potentes, quam inopes juvent. *Maturant.*

3 *Referre gratiam*] Beneficium pro accepto beneficio reddere. Eſt autem *gratia*, in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur.

4 *Habere certe poteſt*] Inops, ſi non re, animo ſaltem poteſt eſſe gratus.

5 *Pecuniam qui habeat, non reddidiſſe*] Jocus, & feſtivitas eſt in verbis *habere*, & *reddere*, quæ non ſimiliter in pecunia, & gratia accipiuntur. *Manut.* Debitam gratiam, pecuniamque confert Anonymus quidam à Cicerone citatus; quas oſtendit diverſam habere rationem. Qui enim habet, ſive agnoſcit pecuniam mutuatam, non ideo debitum diſſolvit: qui autem diſſolvit, non amplius ſeſe debitorem agnoſcit: qui autem beneficium collatum retulit, adhuc tamen agnoſcit: qui vero agnoſcit, jam retulit.

6 *Beatos*] Omnium rerum copia circumfluentes. Nam *beatus* eſt is, qui nulla re eget. *Manut.*

7 *Ne obligari*] Tantum abeſt, ut gratiam referre velint. *Idem.*

8 *Beneficium ſe dediſſe*] Eo ſcilicet, quod ejus, qui ſit inferior, uti opera non recuſarint, eumque ſua quaſi amicitia dignati fuerint. *Wolf.*

9 *A ſe poſtulari, aut expectari*] Quiſquis honorato, aut diviti beneficium confert, videtur aut præſentis, aut futuræ ſaltem utilitatis ſuæ ſtudiosus.

10 *Mortis inſtar putant*] Qua in ſententia fuit Pompejus, qui, teſte Cæſare, ad amicos agentes de pace: *Quid mihi*, inquit, *aut vita, aut civitate opus eſt, quam beneficio Cæſaris habere videbor?* *Gronov.*

11 *Gratum ſe videri ſtudet*] Id agit pauper, ut non ſolum illi, à quo accepit,

verbis auget ſuum munus, ſi quo forte fungitur, ſed etiam extenuat. Videndumque illud eſt, quod, ſi opulentum, fortunatumque defenderis, in uno illo, aut forte in liberis ejus manet gratia. ſin autem inopem, probum tamen, & modeſtum, omnes non improbi humiles (quæ magna in populo multitudo eſt) præſidium ſibi paratum vident. Quamobrem melius apud bonos, quam apud fortunatos, beneficium collocari puto. Danda omnino opera eſt, ut omni generi ſatisfacere poſſimus. ſed, [1] ſi res in contentionem veniet, nimirum Themiſtocles eſt auctor adhibendus; qui cum conſuleretur, utrum bono viro pauperi, an minus probato diviti filiam collocaret: Ego vero, inquit, [2] malo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quæ viro. Sed corrupti [3] mores, depravatique ſunt admiratione divitiarum: quarum magnitudo quid ad unumquemque noſtrum pertinet? Illum fortaſſe adjuvat, qui habet; [4] ne id quidem ſemper, ſed fac juvare; [5] utentior ſane ſit; honeſtior vero quomodo? Quod ſi etiam bonus erit vir, [6] ne impediant divitiæ, quo minus juvetur, [7] modo ne adjuvent: ſitque omne

pit, gratus videatur, ſed etiam aliis, à quibus accipiendum ſperat beneficium. *Manut.* Oſtendit gratum animum, quo alios ad ſimilem beneficentiam invitet. Verecundum enim petitionis genus eſt, ſignificanda egeſtate ſua, aliorum in ſe collata beneficia prædicare. *Wolf.*

1 *Si res in contentionem veniet*] Si quæratur, ſint ne divitiæ probitati præferendæ, necne? *Idem. Contentio* hîc idem ſignificat, quod conſultatio, collatio, comparatio.

2 *Malo virum*] Id eſt, Induſtriam, virtutemque ſine divitiis malo, quam divitias ſine virtute, & induſtria. *Manut.* Aut, Pauperem probatum tali viro antefero, cui divitias dedit Fortuna, fruendi artem non dedit.

3 *Mores depravati ſunt admiratione divitiarum*] De hoc omnes conqueruntur, quicunque vitia Romæ corruptæ deploraruntque. Juvenal. Sat. VI.

Nullum crimen abeſt, facinuſque libidinoſis,
Ex quo
Paupertas Romana perit.

Et paulo poſt:

Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſæcula luxu
Divitiæ molles.

4 *Ne id quidem ſemper*] Nam, ſi avarus eſt, tam ei deeſt, quod habet, quam, quod non habet. Sin avarus non eſt, divitiæ tamen ipſæ ſæpe poſſeſſores perdiderunt. *Grav.* Multi innocentes, ut Romæ in proſcriptione Syllana, alias alii, propter divitias truncati ſunt. Porro, ut canit Poeta,

——Congeſta pecunia multos
Strangulat.

5 *Utentior*] Eſt, qui plus impendit in cultum vitæ, qui pluribus utitur ad vitam tuendam, qui majores ſumptus in ſe tuendo facit. *Grav. Uti* enim eſt, ſuſtinere impendia, ſe tueri, ſuſtentare. *Graev.*

6 *Ne impediant*] Ne beneficium in illum ideo non conferamus, quia divitiis abundet. *Manut.*

7 *Modo ne adjuvent*] Modo ne propter divitias divitem juvemus, ſi vir non eſt bonus; ſed propter bonitatem. *Grav.*

judicium,

judicium, non quam locuples, ſed [1] qualis quiſque ſit. Extremum autem præceptum in beneficiis, operaque danda eſt [2] ne quid contra æquitatem contendas, ne quid per injuriam. Fundamentum enim perpetuæ commendationis, & famæ eſt juſtitia, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile.

21. Sed, quoniam de eo genere beneficiorum dictum eſt, quæ [3] ad ſingulos ſpectant, deinceps de iis, quæ [4] ad univerſos, quæque ad remp. pertinent, diſputandum eſt. Eorum autem ipſorum [5] partim ejuſmodi ſunt, ut [6] ad univerſos cives pertineant, partim [7] ſingulos ut attingant, quæ ſunt etiam gratiora. danda eſt opera omnino, ſi poſſit, utriſque, nec minus, ut etiam ſingulis conſulatur: ſed ita, ut ea res aut proſit, aut certe non obſit reipublicæ. [8] C. Gracchi frumentaria magna largitio; exhauriebat igitur ærarium: modica [9] M. Octavii, & reip. tolerabilis, & [10] plebi neceſſaria. ergo & civibus, & [11] reipub. ſalutaris. In primis autem videndum erit ei, qui rempub. adminiſtrabit, ut ſuum quiſque teneat, neque de bonis privatorum [12] publice deminutio fiat. perniciose enim Philippus in tribunatu, cum [13] legem agrariam ferret, quam tamen [14] antiquari facile paſſus eſt, & in eo vehementer ſe moderatum præbuit: ſed cum in agendo [15] multa populariter, tum illud male: non eſſe in civitate

1 *Qualis*] Quibus ſcilicet moribus imbutus.

2 *Ne quid contra æquitatem*] Ne in injuſta cauſa juves amicum. *Grav.*

3 *Ad ſingulos ſpectant*] In cives *diſtributive* ſumptos conſeruntur.

4 *Ad univerſos*] Ad totum populum *collective* conſideratum.

5 *Partim ejuſmodi ſunt*] Pro, Alia ejuſmodi ſunt. Uſitato genere loquendi. *Manut.*

6 *Ad univerſos cives*] Ut cum augetur Reſp. imperio, agris, vectigalibus: cum floreſtiſſimum ſtabilitur commercium: pax denique ſancitur honeſtiſſima.

7 *Singulos ut attingant*] Ut ſingulos privatim juvent: quo ex genere frumentaria largitio eſt. *Manut.*

8 *C. Gracchi frumentaria*] C. Gracchus, Tribunus plebis, legem tulit, ut frumentum publice emeretur, ſinguliſque menſibus per ſingulas tribus viliſſimo pretio plebi divideretur. *Idem.*

9 *M. Octavii*] Collega Tib. Gracchi in tribunatu. *Idem.*

10 *Plebi neceſſaria*] Exorta ſcilicet annonæ maxima caritate.

11 *Reipub. ſalutaris*] Nam tumultuabatur plebs, negata omnino largitione, quam promiſerat Gracchus. *Maturant.*

12 *Publice*] Id eſt, Lege publice lata: ſive, Sub prætextu publicæ utilitatis.

13 *Legem agrariam*] De publicis agris populo dividendis. *Wolf.*

14 *Antiquari*] Suffragiis improbari. *Antiquatur* enim lex, cum à populo rejicitur, ne feratur: *abrogatur* autem jam lata, ne in poſterum valeat. *Manut.*

15 *Multa populariter*] Dixit Philippus, quæ plebi grata eſſent, optimatibus, & locupletibus inviſa. *Manut.*

duo

duo millia hominum, [1] qui rem haberent. [2] Capitalis oratio, & ad æquationem bonorum pertinens: qua peſte quæ poteſt eſſe major? Hanc enim ob cauſam maxime, [3] ut ſua tenerent, reſp. civitateſque conſtitutæ ſunt. Nam, etſi [4] duce natura congregabantur homines, tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum urbium præſidia quærebant. Danda etiam opera eſt, ne (quod [5] apud majores noſtros ſæpe fiebat) propter ærarii tenuitatem, [6] aſſiduitatemque bellorum, tributum ſit conferendum: idque ne eveniat, multo ante [7] erit prouidendum. ſin qua neceſſitas hujus muneris alicui reip. obvenerit (malo enim, quam noſtræ, [8] ominari: neque tamen de noſtra, ſed de omni republ. diſputo) danda erit opera, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, [9] neceſſitati eſſe parendum. atque etiam omnes, qui remp. gubernabunt, conſulere debebunt, ut earum rerum copia ſit, [10] quæ ſunt neceſſariæ. [11] quarum qualis comparatio fieri ſoleat, & debeat, non eſt neceſſe diſputare. eſt enim [12] in promptu: tantum locus attingendus fuit. [13] Caput autem eſt in omni procuratione negotii, & muneris publici, ut [14] avaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio. Utinam, inquit [15] C. Pontius Samnis,

1 *Qui rem haberent*] Quia de ſuo viverent: quibus ad victum neceſſaria ſupperirent. *Idem. Rem habere* abſolute ponitur pro, divitem eſſe. *Eraſm.*

2 *Capitalis*] Id eſt, Ad extremam perniciem ſpectans.

3 *Ut ſua tenerent*] Contra Reip. Platonicæ leges, necnon Recentiorum quorundam Fanaticorum placita, qui nihil cuiquam proprium conſtituunt.

4 *Duce natura congregabantur*] Coibant in ſocietatem civilem, inſtigante natura humana, quia homo eſt animal ſociale, ut ſupra docuit libro primo. *Grav.*

5 *Apud majores noſtros*] Prædatoribus Recentiſſimis haud omnino abſimiles, quorum ad arcas implendas, ædificandaque Palatia, *propter ærarii tenuitatem*, neceſſarium belli diuturni incommodum, tributa quotannis collata gentes opulentiſſimas fere conſumpſerunt.

6 *Aſſiduitatemque bellorum*] Quæ ſine magnis ſumptibus, & ſtipendiis geri non poſſunt. *Grav.*

7 *Erit providendum*] Parſimonia, & frugalitate, quæ magnum vectigal eſt. *Idem.*

8 *Ominari*] Id eſt, Nominando cauſam, malum omen adferre.

9 *Neceſſitati eſſe parendum*] Solvendum eſſe tributum, quod ad incolumitatem patriæ conſervandam neceſſario imponitur.

10 *Quæ ſunt neceſſaria*] Quæ ad victum, ad habitationem, ad veſtitum pertinent. *Manut.* Annonæ ſcilicet copia, & pacis, bellique præſidia. *Wolf.*

11 *Quarum qualis comparatio*] Quæ qua ratione acquirendæ ſunt.

12 *In promptu*] Manifeſtum, & apertum. *Manut.*

13 *Caput autem eſt*] Id eſt, In univerſa Reip. adminiſtratione hoc præceptum primum eſt, & maximum. *Idem.*

14 *Avaritiæ pellatur minima ſuſpicio*] Multo magis vitanda ſunt indubitata avaritiæ indicia.

15 *C. Pontius*] Samnitium imperator, qui Romanos ad furcas Caudinas ſub jugum miſit. Pronuntiavit autem hoc

ad illa tempora me fortuna reservavisset, & tum essem natus, si quando Romani [1] dona accipere cœpissent? non essem passus divitiis eos imperare. [2] Nec illi nimium sæcula expectanda fuerunt. [3] multo enim hoc malum in hanc reipub. invasit: longe [4] facile patior tum potius Pontium fuisse, siquidem in illo tantum fuit roboris. [5] Nondum centum, & decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a Lucio Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset. At vero postea [6] tot leges, & [7] proximis quamque duriores: tot rei, tot damnati, tantum [8] Italicum bellum propter judiciorum metum excitatum: tantis, [9] sublatis legibus, & judiciis, expilatio, direptioque sociorum, [10] ut imbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus.

22. Laudet Africanum [12] Panætius, quod fecerit [13] abstinens. Quid ni laudet? sed in illo [14] alia majora: laus ab-

---

Apophthegma, [cum M. Curius ejus animo contemnendas esse. *Erasm.*

1 *Dona accipere*] Scilicet ab hostibus civitate pecuniæ, ut vel negligendis latitem civitatis curiosius, vel aptiora consilia hostibus proderent. *Wolf.*

2 *Nec illi multa sæcula*] Diu certe illi expectandum fuit. *Idem.*

3 *Multo enim hoc malum*] A septuaginta, aut centum annis. Nam sexcentesimo quidem vel imo anno Jugurtha certe grassatus est, & propemodum totum Senatum emit. Cicero autem scribebat septingentesimo ferme. *Gronov.*

4 *Facile patior*] Summopere gaudeo ante hæc nostra tempora vixisse Pontium, si efficere potuisset, ne divitius imperatem Romani: si imperium nostrum pecuniis largiendo evertere valuisset.

5 *Nondum centum*] Significat tantam fuisse majestatem populi Romani, ut ad coercendas repetundas nullis legibus opus esset. L. Piso, Tribunus plebis, primam legem de repetundis tulit. Olim enim sine legibus magistratus abstinentiam præstabant singularem.

6 *Tot leges*] Cæcilia, Servilia, Acilia, Cornelia, Julia. *Manut.*

7 *Proximis*] Scilicet nostræ ætati, recentissimæ, vel novissimæ. *Wolf.*

8 *Italicum*] Idem ab Historicis Bellum sociale vocatur.

9 *Propter judiciorum metum excitatum*] Ejus opera, qui, ne repetundarum accusarentur, metuebant; ab iis, qui sibi bonum fecerant, [quo, judicia rescindebant. *Manut.* Ex omnibus causis unam adfert, tanquam solam, & præcipuam, Cicero. Nam in legibus Liviis fuerat, ut causam dicere cogerentur, qui suspecti essent corruptelæ numerum. Cum autem Senatus illis legibus resisteret, Italicum bellum motum est. *Gronov.*

10 *Sublatis legibus*] Tempore belli Italici, & dein Mariani. Prim inter arma cessant leges. *Gronov.* Videntur hæc ad Cæsaris Tyrannidem pertinere, & Triumvirorum grassationem. *Wolf.*

11 *Ut imbecillitate aliorum*] Quasi non funditus delera Roma est, in quam corruptela illa, quam opevic Pontius, jam tandem irrepsit, nequaquam fortitudini nostræ, sed hostium imbecillitati, aut ignaviæ, acceptum referre debemus.

12 *Panætius*] Præceptor Scipionis Africani, qui Carthaginem, & Numantiam delevit, & exinde cognomen habuit.

13 *Abstinens*] Pecuniæ minime appetens, corruptelæ munerum expers.

14 *Alia majora*] Ut liberalitas, judicia, majestas imperatoria, virtus bellica.

stinentiæ,

ſtinentia, non hominis eſt ſolum, ſed etiam temporum illorum. Omni Macedonum [1] gaza, quæ fuit maxima, potitus eſt Paulus: tamen in ærarium pecuniam invexit, ut trium imperatoria præda finem attulerit tributorum, ac hic [2] nihil domum ſuam, præter memoriam nominis ſempiternam, detulit. [3] Imitatus patrem Africanus, nihilo locupletior Carthagine eversa. Quid? qui ejus collega in cenſura fuit, L. Mummius, numquid copioſior, cum copioſiſſimam [4] urbem funditus ſuſtuliſſet? [5] Italiam ornare, quam deorum ſuam, maluit. quanquam, Italia ornata, domus ipſa mihi videtur ornatior. Nullum igitur vitium tetrius fuit eo, unde digreſſa eſt, referat ſe oratio) quam avaritia, præſertim in principibus rempub. gubernantibus. [6] habere enim quæſtui rempub. non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam, & nefarium. Itaque, quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla re alia, niſi avaritia, perituram, id videtur non ſolum Lacedæmoniis, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe. Nulla autem re conciliare facilius benevolentiam multitudinis poſſunt ii, qui reipub. præſunt, quam [7] abſtinentia, & continentia. [8] Qui vero ſe populares volunt, ob eamque cauſam aut [9] agrariam rem tentant, ut poſſeſſores ſuis ſedibus pellantur: aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, ii labefactant fundamenta reipublicæ; concordiam primum, quæ eſſe non poteſt, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniæ: deinde æquitatem, quæ tollitur omnis, ſi habere ſuum cuique non licet. id enim eſt proprium (ut ſupra dixi) [10] civitatis, atque urbis, ut ſit libe-

1 *Gaza*] Vox Perſica Regiam pecuniam denotans.

2 *Nihil domum ſuam, præter memoriam*] Abunde præmii ſibi duxit Heros, quod ex illa victoria pecuniam Roma, ipſe gloriam reportaſſet.

3 *Imitatus patrem*] Scilicet Paulum Æmilium, cujus naturalis filius fuit: ſed tranſivit in familiam Scipionum adoptatus à P. Scipione. *Maturant.*

4 *Urbem*] Corinthum, Achaiæ caput, & Græciæ decus. *Idem.*

5 *Italiam ornare*] Non tritis, pannoſiſque vexillis, ſed ſignis æreis, & marmoreis, opibus, ornamentiſque, quotquot præclaras habuit Corinthus.

6 *Habere enim quæſtui*] Id eſt, Ex Reip. muneribus quæſtum facere, non tantum vile, ſordidumque eſt, ſed etiam facinus contra jus humanum, divinumque commiſſum.

7 *Abſtinentia, & continentia*] Hæc voces ſignificant, rebus alienis parcere, noſtrilque moderare ſui.

8 *Qui vero ſe populares*] Reverſitur ad pernicioſas largitiones, quales ſunt ab Agrariis, & ab his, qui novellas tabulas proponunt. *Eraſm.*

9 *Agrariam rem*] Agrorum diviſionem, quam moliti ſunt duo Gracchi fratres.

10 *Civitatis, atque urbis*] Prior vox

ra, & [1] non ſollicita ſuæ rei cujuſque cuſtodia. [2] Atque in hac pernicie reip. ne illam quidem conſequuntur, quam putant, gratiam. nam, cui res erepta eſt, eſt inimicus; cui data, etiam [3] diſſimulat ſe accipere voluiſſe; & maxime in pecuniis [4] creditis occultat ſuum gaudium, [5] ne videatur non fuiſſe ſolvendo. At vero ille, qui accipit injuriam, & meminit, & præ ſe fert doloſem ſuum; [6] nec, ſi plures ſunt ii, quibus improbe datum eſt, quam illi, quibus injuſte ademptum eſt, idcirco plus etiam valent. [7] Non enim numero hæc judicantur, ſed pondere. [8] Quam autem habet æquitatem, ut agrum multis annis, aut etiam ſæculis ante poſſeſſum, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat?

23. Ac [9] propter hoc injuriæ genus Lacedæmonii Lyſandrum [10] Ephorum expulerunt: Agin regem (quod nunquam

denotat collectam hominum multitudinem, civili ſocietate conjunctam: poſterior maros, populi præſidium.

1 *Non ſollicita ſuæ rei cujuſque cuſtodia*] Hoc eſt, Quod quiſque acquiſivit recte, ut ſecure, & palam, ſine metu raptoris, aut invaſoris tenere, atque eo frui queat. *Grævv.*

2 *Atque in hac pernicie*] Legem Agrariam, & tabulas novas de condonandis debitoribus, privatim iniquas, publice perniciosas eſſe dixerat. Nunc addit, captatores aurez popularis fruſtrati expectatione ſua, & ſtulte ſequi id, quod aſſecuturi non ſint. *Wolf.*

3 *Diſſimulat*] Pleroſque tellicet beneficii agnoſcendi piget.

4 *Creditis*] Condonatis, remiſſis.

5 *Ne videatur non fuiſſe ſolvendo*] Ne tam pauper exiſtimetur, ut ſatisfacere creditoribus non potuerit. *Manut.* Obærati enim, cujus ſplendorem in fraudem creditorum ſimulantes, hominum de ſe opinioni offundunt. *Manut.*

6 *Nec, ſi plures ſint ii*] Dicat aliquis popularis, aut ſibi perſuadeat, ſe numero illorum unum eſſe, qui lege Agraria ditati ſint, quos in ſua quaſi clientela habeat, atque adeo ſpernere illorum invidiam poſſit, qui propter bona ſibi adempta ei ſuccenſent. Sed recte ait Cicero, non tam ſtrenue incumbere ſolere homines in gratiam referendam, quam vindicandam injuriam; majuſque fore odii, quam gratiæ momentum. *Rachel.*

7 *Non enim numero hæc judicantur, ſed pondere*] Nimirum benevolentiæ. Plus poteſt unus, cui aliquid inique ademptum eſt, ad gloriam inuſcandam, & æterna ſtigmata inurenda, imo & ulciſcendum injuriæ auctorem, quam plurimi, qui aliquid acceperunt injuſte. Teſtes hujus veriſſimæ ſententiæ ſunt J. Cæſar, & cæ alii Tyranni, qui ultorum manus non potuerunt effugere illa effuſa largitione in amicos, & populum. *Grav.*

8 *Quam autem habet æquitatem, ut*] Quia dominia rerum à Naturali poſſeſſione originem trahunt. Atque hanc æquitatem ſequuntur Legiſlatores, quando jus uſucapionis legibus latis certo modo ratum habent. Etſi enim illud ab ipſo Naturæ jure non ſit introductum, moribus tamen gentium, & Rerumpub. plerarumque civilibus legibus tam diligenter eſt ſanctum, ut non ſolum nihil habeat iniqui, ſed ad tranquillitatem publicam, & lites ſopiendas plane ſit neceſſarium, quandoquidem abſque eo dominia rerum plerarumque forent incerta. *Rachel.*

9 *Propter hoc injuria genus*] Ob leges latas de agris æque dividendis, necnon pecunia credita condonanda.

10 *Ephorum*] Ephori Magiſtratus erant apud Lacedæmonios, quales Inſolentium

antea apud eos acciderat) necaverunt: exque eo tempore tantæ discordiæ secutæ sunt, ut & tyranni existerent, & optimates [1] exterminarentur, & præclarissime constituta respublica labaretur. nec vero solum ipsa cecidit, sed etiam reliquam Græciam [2] evertit contagionibus malorum, quæ à Lacedæmoniis profectæ manarunt latius. Quid? nostros Gracchos, Ti. Gracchi, summi viri, filios, Africani nepotes, nonne agrariæ contentiones perdiderunt? At vero Aratus Sicyonius jure laudatur, qui, cum ejus civitas quinquaginta annos à tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem, clandestino introitu urbe est potitus. Cumque tyrannum Nicoclem improviso oppressisset, sexcentos exules, qui fuerant ejus civitatis locupletissimi, restituit, remque pub. adventu suo liberavit. Sed cum magnam animadverteret in bonis, & possessionibus difficultatem, quod & eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere iniquissimum arbitrabatur, & [3] quinquaginta annorum possessiones moveri non nimis æquum putabat, propterea quod tam longo spatio multa hæreditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur sine injuria, judicavit, neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Cum igitur statuisset, opus esse ad eam rem constituendam pecunia, Alexandriam se proficisci velle dixit, [4] remque integram ad reditum suum jussit esse: isque celeriter ad [5] Ptolemæum, suum hospitem, venit, qui tum regnabat alter post Alexandriam conditam: cui cum exposuisset, patriam se liberare velle, causamque docuisset, à rege opulento vir summus facile impetravit, ut [6] grandi pecunia adjuvaretur. Quam

lolentium Regum potestatem laudanda cum audacia limitarunt; velut apud Romanos Tribuni Plebis sæpe Consules coercere soliti sunt. Sic dicti ἀπὸ τοῦ ἐφορᾶν, inspicere, & observare: quoniam providerunt, ne quid detrimenti caperet Respublica.

1 *Exterminarentur*] In exilium propellerentur.

2 *Evertit contagionibus malorum*] Corrupta Lacedæmoniorum Republica, idem quasi venenum, longe, lateque diffusum, totam infecit Græciam.

3 *Quinquaginta annorum possessiones moveri non nimis æquum*] Cum in jure civili Usucapio decem annorum inter præsentes, inter absentes viginti præscriptio possessionis æquitatem arguat. *Betul.*

4 *Rem integram ad reditum suum*] Id est, Causam differre, sive integram reservare, donec rediret.

5 *Ptolemæum*] Philadelphum, Bibliothecæ Alexandrinæ celeberrimæ fundatorem, ejusque filium, qui sub Alexandro M. militavit, &, Rege mortuo, Ægyptum in ipsius potestatem redegit.

6 *Grandi pecunia*] Centum quinquaginta talentis, teste Plutarcho.

cum

cum Sicyonem attuliſſet, [1] adhibuit ſibi in conſilium quindecim principes, cum quibus cauſas cognovit & eorum, qui aliena tenebant, & eorum, qui ſua amiſerant: [2] perfecitque æſtimandis poſſeſſionibus, ut perſuaderet aliis, ut pecuniam accipere mallent, poſſeſſionibus cederent: aliis, ut commodius putarent numerari ſibi, quod tanti eſſet, quam ſuum recuperare. Ita perfectum eſt, ut omnes concordia conſtituta ſine querela diſcederent. O virum magnum, dignumque, qui in noſtra repub. natus eſſet! Sic par eſt agere cum civibus; non (ut [3] bis jam vidimus) haſtam in foro ponere, & bona civium voci ſubjicere præconis. At ille Græcus (id, quod fuit ſapientis, & præſtantis viri) omnibus conſulendum putavit: eaque eſt ſumma ratio, & ſapientia boni civis, [4] commoda civium non divellere, atque omnes æquitate eadem continere. Habitant gratis in alieno. Quid ita? Ut, cum ego emerim, ædificarim, tuear, impendam, tu, me invito, fruare meo? Quid eſt aliud aliis ſua eripere, aliis dare aliena? [5] Tabulæ vero novæ quid habent argumenti, niſi ut emas mea pecunia fundum; cum tu habeas, ego non habeam pecuniam?

24. Quamobrem, ne ſit æs alienum, [6] quod reipub. noceat, providendum eſt: quod [7] multis rationibus caveri poteſt: [8] non, ſi fuerit, ut locupletes ſuum perdant, debitores lucren-

1 *Adhibuit ſibi in conſilium quindecim*] Exemplum Regibus diligenter obſervandum, ne quid temere, aut inconſulte, præ favore, aut partium ſtudio agant.

2 *Perfecit æſtimandis poſſeſſionibus*] Optimum excogitavit conſilium, nempe ut æſtimarentur poſſeſſiones: quarum pretium dedit iis, qui agros exulum occupaverant, & relinquere volebant; aliis autem, quorum jugera alienarant Tyranni, perſuaſit, ut æquum potius pecuniæ pondus acciperent, quam poſſeſſiones recuperatas vellent.

3 *Bis jam vidimus*] Primum dominante Sylla, deinde J. Cæſare, qui bona civium ſub haſta vendiderant.

4 *Commoda civium non divellere*] Id eſt, Omnium utilitati pariter ſtudere, civibuſque eandem æquitatem candide impertiri.

5 *Tabulæ novæ quid habent argumenti*] Quam continent materiam, ædi ut pecunia credita aliquis fundum emat, creditor pecuniam ſuam recuperare non valeat? *Vetantur autem novæ*, quia ad conficiendas haſce tabulas, ex alienum debitoribus condonantes, abrogandæ fuerunt leges priſtinæ.

6 *Quod Reip. noceat*] Ob eorum ſeditiones, qui oberati ſunt, & novas tabulas, leges agrarias, proſcriptiones, conjurationes expetunt. *Manut.*

7 *Multis rationibus*] Ut latis legibus de immodico fœnore, de luxu, de re ſumptuaria, & veſtiaria, coercendis.

8 *Non, ſi fuerit*] Sententia eſt: Curandum eſt imprimis, ne tanta contrahantur debita, quanta Reip. officiant propter tumultus, ſeditiones, inteſtina bella inde non raro exorta. Sin jam contracta ſint, non per leges agrarias, non per novas tabulas, eorum diſſolvendorum quærenda ratio eſt; ut ſcilicet creditores, tanquam

tur alienum. nec enim ulla res vehementius remp. continet, quam fides: quæ esse nulla potest, [1] nisi erit necessaria solutio, servus creditorum. Nunquam vehementius æstuum est, quam nos consule, ne solverentur, annis, & cæsuris centena res est ab [2] omni genere hominum, & ordine: quibus sic restitit, ut hoc tantum malum de repub. tolleretur. nunquam aut magis ex alieno fuit, aut melius, nec facilius dissolutum est. [3] fraudandi enim spe sublata, solvendi necessitas consecuta est. At vero hic [4] nunc victor, tum quidem victus, quæ cogitarat, [5] ea perfecit, cum [6] ejus jam nihil interesset. [7] tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipsum cum delectaret parcere, etiam si causa non esset. Ab hoc igitur genere largitionis, ut aliis detur, aliis auferatur, abstinent ii, qui reipub. tuebuntur: in primisque operam dabunt, ut jura, & judiciorum æquitate suum quisque teneat: & [8] neque tenuiores propter humilitatem circumveniantur, neque locupletibus ad sua vel tenenda, vel recuperanda obsit invidia: præterea quibuscunque rebus vel belli, vel domi poterunt, remp. augeant imperio, agris, vectigalibus. Hæc magnorum hominum sunt: hæc apud majores nostros facti-

quam locupletes, suum non consequantur, debitores, quoniam nopes, alienum facerunt. Quamobrem tollitur societas, si rerum contrahendarum nulla fides sit.

1 *Nisi erit necessaria*] Nisi ita instituatur reipub. ut liceat creditoribus necessitatem petere. *Manut.*

2 *Ab omni genere, & ordine*] A plebeiis, equitibus, patriciis, Catilinæ sociis, quorum aurelia tellum parvis interdictis.

3 *Fraudandi spe sublata*] Speraverunt debitores, si res novæ ortæ sint, fore aliena [illegible] fore. Qualem spem Lex Cæsaris [illegible] sublatam, & vigilantia.

4 *Nunc victor, tum quidem victus*] Sine quibus, & invidiosis metuitur Cæsar, qui jam potuerat vincere, rerum omnium [illegible] tum autem victus, detestatione [illegible] Ciceronis consulis Catilinaria conjuratione, cujus particeps ipse fuit.

5 *Ea perfecit*] Dum egros publicos egentibus largiebatur, atque invito senatu, & collega suo, omnia ex libidine ageret, dominationem, quam postea perfecit, inde auspicatus. *Lang.* Non recte hæc capit Lingius de agris publicis, quos egentibus largius est. Intelligenda sunt de æstimationibus possessionum, per quas quarta parte crediti creditores sunt fraudati. *Grævv.*

6 *Ejus jam nihil interesset*] Cui, quantum luberet, de publico liceret sumere, sese ære alieno liberare. *Lang.* Hæc verba respiciunt illa tempora, quibus Cæsar, spoliata Gallia, ære alieno, quo laboraverat maxime, liberatus erat. *Grævv.*

7 *Tanta in eo peccandi libido*] Sunt enim nonnulli adeo Naturæ vitio impotentes, superbi, improbi, ut, quod semel libuit, vel cum jactura, & periculo, aliquando perficere velint: quasi vero turpissimum sit errore desistere. *Lang.*

8 *Neque tenuiores*] Ut nec pauperes ob imbecillitatem fraudentur, neque divites, invidiam plebis in se excitantes, suis spolientur thesauris.

tata:

tata: hæc genera officiorum qui perſequuntur, [1] cum ſumma utilitate reip. magnam ipſi adipiſcentur & gratiam, & gloriam. In his autem utilitatum præceptis [2] Antipater Tyrius, Stoicus, qui Athenis nuper eſt mortuus, duo prætermiſſa cenſet eſſe à Panætio, valetudinis curationem, & pecuniæ, quas res à ſummo philoſopho prætermiſſas arbitror, [3] quod eſſent faciles: ſunt certe utiles. [4] Sed valetudo ſuſtentatur notitia ſui corporis; & [5] obſervatione, quæ res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe: & [6] continentia in victu omni, atque cultu, corporis tuendi cauſa; & [7] prætermittendis voluptatibus; poſtremo [8] arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent. Res autem familiaris quæri debet iis rebus, à quibus abeſt turpitudo: conſervari autem diligentia, & parſimonia: iiſdem etiam rebus augeri. has res commodiſſime Xenophon [9] Socraticus perſecutus eſt in eo libro, qui Oeconomicus inſcribitur: quem nos, iſta fere ætate cum eſſemus, qua es tu nunc, è Græco in Latinum convertimus.

25. Sed utilitatum comparatio (quoniam hic locus erat quartus à Panætio prætermiſſus) ſæpe eſt neceſſaria. Nam & corporis commoda cum externis, & externa cum corporis, & ipſa inter ſe corporis, & externa cum externis comparari ſolent. Cum externis, corporis hoc modo comparantur: Valere ut malis, quam dives eſſe. Cum corporis, externa hoc modo: Dives eſſe potius, quam maximis corporis viribus. Ipſa inter ſe corporis ſic: ut bona valetudo voluptati anteponatur, vires celeritati. Externorum autem, ut glo-

1 *Cum ſumma utilitate Reip.*] Tum patriæ ſplendorem, commodumque, tum ſibi benevolentiam hominum, & admirationem conciliabunt.

2 *Antipater Tyrius*] Ciceroni æqualis, & Catonis Uticenſis familiaris, ut ſcribit Plutarchus.

3 *Quod eſſent faciles*] Arbitratur Cicero Panætium prætermiſiſſe *valetudinis curationem, & pecuniæ*, non præ ignorantia, aut incuria; ſed potius, quoniam notitiæ omnium tam clare patuerunt, ut de iis aliquid præcipere ſuperfluum videretur.

4 *Sed valetudo*] Valetudinem tueri ſolemus cognito corporis noſtri temperamento, aut diſpoſitione. *Eraſm.*

5 *Obſervatione, qua res*] Familiare eſt Ciceroni nominibus conſtructionem verbi ſui dare. Sic ſupra: *Spes ſibi id utile futurum. Lang.*

6 *Continentia*] Parce vivendo, modumque in cibo, ac potu obſervando.

7 *Prætermittendis voluptatibus*] Libidinibus, & Venere. Coitus autem neque nimis concupiſcendus eſt, neque nimis pertimeſcendus. Rarus corpus excitat, frequens ſolvit, ut ait Celſus. *Maturant.* Videntur præcipere fugiendas eſſe voluptates aut noxias, aut immoderatas. voluptates enim commendatarior uſus.

8 *Arte eorum, quorum*] Id eſt, Arte Medica.

9 *Socraticus*] Socratis diſcipulus.

ria

ria divitiis, vectigalia urbana rusticis. Ex quo genere comparationis illud est Catonis senis: à quo cum quæreretur, quid maxime in re familiari expediret, respondit, [1] Bene pascere. Quid secundum? [2] Satis bene pascere. Quid tertium? [3] Male pascere. Quid quartum? Arare. Et, cum ille, qui quæsierat, dixisset, Quid fœnerari? Tum Cato, [4] Quid hominem, inquit, occidere? Ex quo, & multis aliis, intelligi debet, utilitatum comparationes fieri solere, rectèque hoc adjunctum esse quartum exquirendorum officiorum genus. Sed toto hoc de genere, de quærenda, [5] de collocanda pecunia ([6] vellem etiam de utenda) [7] commodius à quibusdam [8] optimis viris [9] ad medium Janum sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. Sunt tamen ea cognoscenda. pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro disputatum est. [10] Reliqua deinceps persequemur.

1 *Bene pascere*] Rem pecuariam quam ampliſſimam habere, magnoſque pecoris greges, & lecta jumentorum armenta. *Gronov.*

2 *Satis bene*] Mediocriter, vel, minus, quam omnino bene. *Idem.*

3 *Male pascere*] Vult Cato, tantum esse utilitatis in pecore pascendo, ut, quamvis maligne pascatur, sive male curatum pecus habeat paterfamilias, superet tamen fructus omnes arationis, reliquæque adeo agriculturæ. *Gruter.*

4 *Quid hominem occidere*] Hoc responso innuit Cenſor, nihil crudelius, nullumque teterius esse scelus, quam usuram facere.

5 *De collocanda*] De conservandis, atque etiam augendis, postquam acquirruntur, opibus.

6 *Vellem etiam de utenda*] Optat Cicero, & vota facit, quo fœneratores, sicut de quærenda, & collocanda pecunia, sic etiam de utenda agant, ac disputent. *Fabrit.*

7 *Commodius*] Melius, & utilius. *Manut.*

8 *Optimis viris*] Honeſte dictum est: nec aliter licebat, ea ætate etiam principibus civitatis fœnari operam navantibus. *Lang.*

9 *Ad medium Janum*] Vicus hoc nomine Romæ fuit, ubi pecunia fœnore dabatur. Prima vici para, summus Janus, media medius, ultima, imus vocabatur. Unde Horatius:

O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos. Hoc Janus ſummus ab imo
Prodocet.

Maxime vero ad medium Janum, id est, medio vico, sedebant fœneratores. Itaque Horatius:

— Poſtquam omnis res mea Janum
Ad medium fracta eſt, aliena negotia curo,
Excuſſus propriis. Manut.

10 *Reliqua*] Totum, quod superest: nempe si id, quod speciem habet honesti, pugnet cum eo, quod utile videtur, utrum sit antetponendum. De quo copiosissime in libro sequenti disputatur

M. T. CICERONIS DE OFFICIIS AD *MARCUM FILIUM* LIBER TERTIUS.

1. PUblium [1] Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus ſit, dicere ſolitum ſcripſit Cato, qui fuit [2] fere ejus æqualis, nunquam ſe minus otioſum eſſe, [3] quam cum otioſus: [4] nec minus ſolum, quam cum ſolus eſſet. Magnifica vero vox, & magno viro, ac ſapiente digna: quæ declarat, illum & in otio de negotiis cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum: ut neque [5] ceſſaret unquam, & interdum [6] colloquio alterius non egeret. Itaque duæ res, quæ languorem afferunt cæteris,

1 *Pub. Scipionem*] Priore hujus Proœmii parte cauſam dicit, cur otium ſuum neceſſarium in Philoſophia, maximeque in officiis præcipiendis collocetur. Ordiur autem ab egregio Scipionis dicto.

2 *Fere ejus æqualis*] Secundum enim Africani conſulatum primus Catonis excepit. *Manut.*

3 *Quam cum otioſus*] Quia procul ab urbe, procul à ſtrepitu remotus de rebus præclaris tranquilla pace cogitavit.

4 *Nec minus ſolum, quam cum ſolus*] Solus enim non eſt, qui ſecum loquitur: quod faciebat Africanus. Quæ ſunt autem illa, quæ taciti ſermonis materiam præbent? Reſpub. imprimis, & ex virtutes, quibus actiones noſtræ ad verum decus, laudemque diriguntur. *Manut.*

5 *Ceſſaret*] Otiaretur, aut nihil ageret.

6 *Colloquio alterius non egeret*] Utpote vel ſuis cogitationibus, vel ſcriptoribus perlegendis intentus.

ris,

ris, illum acuebant, otium, & ſolitudo. Vellem nobis hoc idem vere dicere liceret: ſed, ſi minus imitatione tantam ingenii præſtantiam conſequi poſſumus, voluntate certe proxime accedimus: nam & [1] à rep. forenſibuſque negotiis, [2] armis impiis, vique prohibiti, otium perſequimur: & ob eam cauſam, urbe relicta, rura peragrantes, ſæpe ſoli ſumus. [3] Sed nec otium hoc cum Africani otio, nec hæc ſolitudo cum illa comparanda eſt. Ille enim, requieſcens à reip. pulcherrimis muneribus, otium ſibi ſumebat aliquando, & à cœtu hominum, frequentiaque interdum, tanquam in portum, ſe in ſolitudinem recipiebat. noſtrum autem otium negotii inopia, non requieſcendi ſtudio, conſtitutum eſt. [4] extincto enim ſenatu, [5] deletiſque judiciis, quid eſt, quod dignum nobis [6] aut in curia, aut in foro agere poſſimus? Itaque qui in maxima celebritate, atque [7] in oculis civium quondam viximus, nunc fugientes conſpectum ſceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, & ſæpe ſoli ſumus. Sed, quia ſic ab hominibus doctis accepimus, non ſolum ex malis eligere minima oportere: ſed etiam excerpere ex his ipſis, ſi quid ineſſet boni; propterea & [8] otio fruor, [9] non illo quidem, quo debeat is, qui quondam peperiſſet otium civitati: nec eam ſolitudinem [10] languere patior, quam mihi adfert neceſſitas, non voluntas. Quanquam Africanus [11] majorem laudem vel meo judicio aſſequebatur: nulla enim ejus ingenii monumenta

1 *A rep. forenſibuſque negotiis*] Id eſt, A muneribus Senatoriis, ab amicorum defenſionibus, & cauſarum actione.

2 *Armis impiis*] Flagrante bello civili, quod olim Cæſar, nuper autem Antonius cum ſociis excitaverat, ad coercendam populi Romani libertatem.

3 *Sed nec otium*] Differentiam oſtendit inter ſuum, & Africani otium. Nam illius voluntarium fuit, Ciceronis vero neceſſarium. *Maturant.*

4 *Extincto ſenatu*] Senatoribus maxima ex parte per bella inteſtina cæſis.

5 *Deletis judiciis*] Rebus omnibus non legum, ſed armorum vi dijudicatis, juſtitiaque propter armata agmina ad Tyranni nutum irrumpentia foro expulſa.

6 *Aut in curia, aut in foro*] Ubi ſententiam dicere, ubi cauſas agere ſolebat.

7 *In oculis civium*] Id eſt, In precio, caritate, admiratione, ut quibuſdam placet: vel, ut alii volunt, in conſpectu populi.

8 *Otio fruor*] *Otio frui* eſt, recte uti otio, idque bene collocare. *Wolf.*

9 *Non illo quidem*] Non illuſtri, dignoque tali viro, qui conjurationem Catilinariam ſopire, patriamque ruentem ab interitu conſervare poterat.

10 *Languere*] Torpeſcere, nihil agendo fruſtra conſumi.

11 *Majorem laudem*] Plus enim laudis in ſe continet, meditando aliquid inveſtigare, quam inveſtigata literis tradere. Laus, quæ ex rebus comparatur, laudi anteponitur, quæ ex ſcriptis colligitur. *Maturant.*

mandata literis, nullum opus otii, nullum ſolitudinis munus extat; ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, inveſtigationeque earum rerum, quas cogitando conſequebatur, nec otioſum, nec ſolum unquam fuiſſe. nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita à ſolitudine abſtrahamur, ad hanc ſcribendi operam omne ſtudium, curamque convertimus. itaque plura [1] brevi tempore, everſa, quam multis annis, ſtante rep. ſcripſimus.

2. Sed, cum tota philoſophia, mi Cicero, frugifera, & fructuoſa, nec ulla pars ejus inculta, ac deſerta ſit: tum nullus feracior in ea locus eſt, nec uberior, quam de officiis, à quibus conſtanter, honeſteque vivendi præcepta ducuntur. Quare, quanquam à Cratippo noſtro, [2] principe hujus memoriæ philoſophorum, hæc te aſſidue audire, atque accipere confido, tamen conducere arbitror, talibus aures tuas vocibus undique circumſonare; nec eas (ſi fieri poſſit) quidquam aliud audire. Quod cum omnibus eſt faciendum, qui vitam honeſtam ingredi cogitant, tum haud ſcio, an [3] nemini potius, quam tibi. [4] ſuſtines enim non parvam expectationem imitandæ [5] induſtriæ noſtræ, magnam honorum, nonnullam fortaſſe nominis. [6] Suſcepiſti onus præterea grave & Athenarum, & Cratippi: ad quos cum, tanquam ad mercaturam bonarum artium, ſis profectus, [7] inanem [8] redire turpiſſimum eſt, dedecorantem & [9] urbis auctoritatem, & magiſtri. Quare, quantum conniti animo potes, quantum labore contendere (ſi diſcendi labor eſt potius, quam voluptas) tantum fac, ut efficias: neve committas,

1 *Brevi tempore*] A Dictatura J. Cæſaris, uſque ad Triumviratum Lepidi, Antonii, Octavii. *Manut.*

2 *Principe hujus memoriæ philoſophorum*] Id eſt, Ætatis noſtræ, hujuſce ſæculi Philoſopho eruditiſſimo.

3 *Nemini*] Vox ponitur pro, alicui, cuiquam.

4 *Suſtines non parvam expectationem*] Expectant omnes, ut ſimilis mihi evadas. *Manutius.*

5 *Induſtria noſtra*] Qua ſcilicet eruditionem, eloquentiam, uſum rerum mihi comparavi, quibus & privatim, & publice multum profui. *Manut.*

6 *Suſcepiſti onus*] *Onus* vocat illam expectationem, quam de ſe concitavit propter profectionem Athenienſem, & magiſtrum præſtantiſſimum, cui dat operam. *Grav.*

7 *Inanem*] Abſque ullis Philoſophiæ mercibus reportatis.

8 *Redire turpiſſimum*] Alluſit, ut opinor, ad Homericum verſum:

Αἰσχρὸν τὸν ἥρωα μίμνειν, κύδεος ἀρέσθαι. *Urſin.*

9 *Urbis*] Athenarum, ubi ſemper ingenuæ artes ſedulo excultæ ſunt.

ut,

ut, cum omnia ſuppeditata ſint à nobis, tute tibi defuiſſe videare. Sed hæc hactenus. multa enim ſæpe ad te cohortandi gratia ſcripſimus. nunc ad reliquam partem propoſitæ diviſionis revertamur. Panætius igitur, qui ſine controverſia de officiis [1] accuratiſſime diſputavit, quemque nos, correctione quadam adhibita, potiſſimum ſecuti ſumus, tribus generibus propoſitis, in quibus deliberare homines, & conſultare [2] de officio ſolerent; uno, cum dubitarent, honeſtumne id eſſet, de quo ageretur, an turpe; altero, utilene, an inutile; tertio, ſi id, quod ſpeciem haberet honeſti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quomodo ea diſcerni oporteret: de duobus generibus primis tribus libris explicavit: de tertio autem genere deinceps ſe ſcripſit dicturum, nec id exolvit, quod promiſerat. Quod eo magis miror, quia ſcriptum à diſcipulo ejus Poſidonio eſt, triginta annis viviſſe Panætium, poſteaquam eos libros edidiſſet. quem locum miror à Poſidonio [3] breviter eſſe tactum in quibuſdam commentariis; præſertim cum ſcribat, nullum eſſe locum in tota philoſophia tam neceſſarium. minime vero aſſentior iis, qui negant, eum locum à Panætio prætermiſſum, ſed [4] conſulto relictum, nec omnino ſcribendum fuiſſe; quia nunquam poſſet utilitas cum honeſtate pugnare: [5] de quo alterum poteſt habere dubitationem, adhibendumne fuerit hoc genus, quod in diviſione Panætii tertium eſt, [6] an plane omittendum: alterum dubitari non poteſt, quin à Panætio ſuſceptum ſit, ſed relictum. nam, qui è diviſione tripartita duas partes abſolverit, huic neceſſe eſt reſtare tertiam. Præterea in extremo libro tertio de hac parte pollicetur ſe deinceps eſſe dicturum. [7] Accedit eodem

1 *Accuratiſſime*] Subtiliſſime, diligentiſſime, cum veritatem congruenter. *Manut.*

2 *De officio*] Id eſt, Cum quæritur, quid recte, aut ſecus fiat. *Idem.*

3 *Breviter tactum*] Paucis verbis tractatum, non fuſius explicatum.

4 *Conſulto*] Dedita opera, & ex induſtria.

5 *De quo alterum*] Non negamus, inquit Cicero, hoc in dubitationem venire poſſe, utrum honeſtum cum utili pugnare poſſit; manifeſtum tamen eſt, illud tertium diviſionis membrum poſuiſſe Panætium.

6 *An plane omittendum*] Quandoquidem plurimi, tum Peripatetici, tum Stoici, afferunt nihil eſſe utile, quod idem non ſit honeſtum. *Manutius.*

7 *Accedit eodem*] Ad argumentum confirmandum Poſidonii teſtimonio utitur Cicero: qui ſcripſit, accepiſſe ſe à quodam Panætii diſcipulo, idem Philoſopho in hac tripartita ſua officii diviſione contigiſſe, quod Apelli; qui caput, & os Veneris tam mira arte effinxerat:

[1] teſtis locuples, Poſidonius, qui etiam ſcribit in quadam epiſtola, P. Rutilium Rufum dicere ſolere, qui Panætium audierat, ut nemo pictor eſſet inventus, qui [2] Coæ Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquiſſet, abſolveret (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi ſpem auferebat) ſic ea, quæ Panætius prætermiſiſſet, & non perfeciſſet, propter eorum, quæ perfeciſſet, præſtantiam, neminem eſſe perſecutum.

3. Quamobrem de judicio Panætii dubitari non poteſt: rectene autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adjunxerit, an ſecus, de eo fortaſſe dubitari poteſt. Nam, ſive honeſtum ſolum bonum eſt, ut Stoicis placet: ſive, quod honeſtum eſt, id ita ſummum bonum eſt (quemadmodum Peripateticis veſtris videtur) ut omnia ex altera parte collocata [3] vix minimi momenti inſtar habeant: dubitandum non eſt, quin nunquam poſſit utilitas cum honeſtate [4] contendere. Itaque accepimus, Socratem execrari ſolitum eos, [5] qui primum hæc natura cohærentia opinione diſtraxiſſent. Cui quidem ita ſunt Stoici aſſenſi, [6] ut quidquid honeſtum eſſet, id utile eſſe cenſerent: nec utile quidquam, quod non honeſtum. [7] Quod ſi is eſſet Panætius, qui virtutem propterea

effinxerat, ut nemo inventus eſſet, qui reliquum corpus perficere auderet: omnes ſcilicet, quotquot partes jam pictas ſpectare poterant, earum pulchritudinem adæquare poſſe deſperabant: eodem modo membrum, quod intactum reliquit Panætius, propter priorum, quæ perfecerat, præſtantiam, neminem exprimere auſum.

1 *Teſtis locuples*] Certiſſimus, fide dignus, vir indubitatæ auctoritatis. Sic infra: *An locupletiores quæris auctores?*

2 *Coæ Veneris*] Duas Veneres Apelles pinxiſſe dicitur, unam è mari in terram egredientem, de qua Ovidius:

Si nunquam Venerem Cous pinxiſſet Apelles,
Merſa ſub aquoreis ipſa lateret aquis.

Inchoavit aliam Cois, inſulæ in mari Ægæo, de qua hic Cicero, *ſuperaturus illam ſuam priorem. Invidit mors peractæ parte: nec, qui ſuccederet operi ad præſcripta lineamenta, inventus eſt*, teſte Plinio Lib. 35. cap. 10.

3 *Vix minimi momenti inſtar*] Id eſt, Ponderis. Sicut rem inutilem prorſus nullius momenti dicimus. *Betul.* Alludit ad Critolai lancem, de quo Tuſc. Quæſt. Lib. V. *Critolaus, cum in alteram libræ lancem animi bona imponat, in alteram, corporis, & externa, tantum propendere illam boni lancem putat, ut terram, & maria deprimat. Wolf.*

4 *Contendere*] Comparari, vel principatum ſibi contra honeſtatem vendicare. *Idem.*

5 *Qui hæc natura cohærentia opinione diſtraxiſſent*] Qui hæc duo bona, honeſtum ſcilicet, & utile, naturaliter conjuncta, conceptu ſuo diviſerunt, quæ re ipſa ſeparari nequeunt.

6 *Ut quidquid honeſtum*] Ut convertantur inter ſe utile, & honeſtum. *Maturant.*

7 *Quod ſi is eſſet Panætius*] Senſus eſt: Si ex eorum numero eſſet Panætius, qui virtutem, tanquam utilitatis cauſam,

colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis eſſet; ut ii, qui res expetendas vel voluptate, vel [1]indolentia metiuntur: liceret ei dicere, utilitatem aliquando cum honeſtate pugnare. Sed, cum ſit is, qui id ſolum bonum judicet, quod honeſtum ſit: quæ autem huic repugnent ſpecie quadam utilitatis, eorum neque acceſſione meliorem vitam fieri, nec deceſſione pejorem; non videtur ejuſmodi debuiſſe deliberationem introducere, in qua, quod utile videretur, cum eo, quod honeſtum eſt, compararetur. Etenim, quod ſummum bonum à Stoicis dicitur, [2] convenienter naturæ vivere, id habet hanc (ut opinor) ſententiam, cum virtute congruere ſemper: cætera autem, quæ ſecundum naturam eſſent, ita [3]legere, ſi ea virtuti non repugnarent. Quod cum ita ſit, putant quidam, hanc comparationem non recte introductam, nec omnino de eo genere quidquam præcipiendum fuiſſe. Atque illud quidem honeſtum, quod proprie, vereque dicitur, [4]id in ſapientibus eſt ſolis, neque à virtute divelli unquam poteſt; in iis autem, in quibus ſapientia perfecta non eſt, ipſum illud quidem perfectum honeſtum nullo modo; ſimilitudines honeſti eſſe poſſunt. Hæc enim omnia officia, de quibus his libris diſputamus, media Stoici appellant. ea communia ſunt, & late patent: [5] quæ & ingenii bonitate multi aſſequuntur, & progreſſione diſcendi. Illud autem officium, quod rectum iidem appellant, perfectum, atque abſolutum eſt, & (ut iidem dicunt) [6] omnes numeros habet; nec, præter ſapientem, cadere in quemquam poteſt.

ſum, amplectendam judicant, quales ſunt Epicuri de grege porci; qui ad voluptatem omnia referunt, aut ad indolentiam, juxta Hieronymi Rhodii dogma, forſaſſe liceret illi ita ſtatuere, ut interdum utile honeſto opponeretur. Cum vero ſit ex Stoicis, qui virtutem ſibi pretium, & propter ſe ipſam colendam volunt; qui nullum bonum, niſi honeſtum, honores vero, opes, cæteraque externa, nec bona, nec mala eſſe, docent, non debuit hanc tertiam partem in dubium vocaſſe.

1 *Indolentia*] Doloris vacuitate. *Fabri.* Græcorum vocem ἀοχλησία Cicero ficto à ſe verbo expreſſit. *Grav.*

2 *Convenienter naturæ*] Verbi caſum addidit adverbio. Quod apud *Græcos* uſitatius eſt, quam apud Latinos. *Eraſm.*

3 *Legere*] Pro, ſumere, vel eligere. Sic infra, *legere voluptates.*

4 *Id in ſapientibus eſt ſolis*] Hæc ad Platonicas Ideas referenda ſunt, in cogitatione potius poſitas, quam ejuſmodi res, quæ ipſo opere cerni poſſint. Itaque ſapientes, & beati, Stoicorum ſomnia ſunt. *Wolf.*

5 *Quæ & ingenii bonitate*] Quæ tum naturali indole, tum ſtudio, & doctrina comparantur.

6 *Omnes numeros habet*] Cui nulla pars ad perfectionem conſtituendam deficit.

Cum

Cum autem aliquid actum eſt, in quo media officia [1] compareant, id cumulate videtur eſſe perfectum; [2] propterea quod vulgus, quid abſit à perfecto, [3] non fere intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat prætermiſſum. [4] quod item in poëmatibus, & picturis uſu evenit, in aliiſque compluribus, ut delectentur imperiti, laudentque ea, quæ laudanda non ſint; [5] ob eam (credo) cauſam, quod inſit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui iidem, [6] quid in unaquaque re vitii ſit, nequeant judicare. itaque, cum ſunt docti a peritis, facile deſiſtunt à ſententia.

4. Hæc igitur officia, de quibus his libris diſſerimus, quaſi [7] ſecunda quædam honeſta eſſe dicunt, non ſapientum modo propria, ſed cum omni hominum genere communia. [8] itaque his omnes, in quibus eſt virtutis indoles, [9] commoventur. Nec vero, cum [10] duo Decii, aut [11] duo Scipiones, fortes viri commemorantur, aut cum [12] Fabricius, [13] Ariſtideſve

1 *Compareant*] Appareant, cernantur, ut aliis locis multis apud Ciceronem, & apud Lucretium Lib. VI.

Nec tamen omnino temere illis ſolibus ulla
Comparebat avis.

Quod Thucydides Libro ſecundo dixit, ἐφανῆ γὰρ ἐκάστοις. *Fabric.*

2 *Propterea quod vulgus*] De unaquaque re judicant homines, quatenus ſuis aptatur notionibus. Imperitus itaque vulgus officium imperfectum, tanquam undique abſolutum, laudat, quia anguſtis, & minime adæquatis, quas concipit, perfectionis ideis omnino reſpondet.

3 *Non fere*] Hæc dictio pro, propemodum nunquam, vel plerumque non, frequenter apud bonos auctores occurrit. *Muſſ.*

4 *Quod item in poëmatibus*] Similitudine docet imperitos male judicare. Poetæ autem, & pictores (ut de Zeuxi ſcribit Plinius) exponebant nonnunquam opera ſua in pergula populo ſpectanda, ut, ſicubi foret erratum, reprehenderentur. *Eraſm.*

5 *Ob eam cauſam*] Affert ejus rei rationem. Quia his, quæ laudat vulgus, ineſt aliquid bonum, quod ſequitur, nec interim reſpicit, quid deſit. *Idem.*

6 *Quid in unaquaque re vitii ſit, nequeant judicare*] Quoniam non artis principia callent, ſed tantum exteriorem rerum ſuperficiem obſervant.

7 *Secunda quædam honeſta*] Quia non idem eſt officium, & honeſtum; ſed ex honeſto naſcitur officium. Metaphora à *ſecundario* pane, & *ſecundatis* vino. *Manut.*

8 *Itaque his*] Nam in his, qui officia media exercent, eſt imperfecta virtus: quæ tamen ſignum eſt perfectæ virtutis aliquando futuræ, ſi continuatione actionum habitus perfectus acquiratur. *Eraſm.*

9 *Commoventur*] Natura, & ratione adducuntur ad officia talia præſtanda.

10 *Duo Decii*] Pater, & filius; quibus pro ſalute exercitus Romani, & victoria comparanda mortem libenter oppetere dulce, & decorum viſum eſt.

11 *Duo Scipiones*] Cn. & Pub. fratres; qui ſecundo bello Punico in Hiſpania periere, cum corporibus ſuis adventum Carthaginienſium intercluderent. *Mat.*

12 *Fabricius*] *Juſtus* eſt appellatus, quia injuſte Pyrrhum interficere noluit, ejuſque aurum contempſit. *Eraſm.*

13 *Ariſtides*] In adminiſtratione pecuniæ publicæ eximiam præſtitit juſtitiam, & in cæteris rebus abſtinentiam. *Idem.* Maluit juſtitiam ſervare, quam totius Græciæ principatum obtinere. *Maturant.*

juſti

juſti nominantur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his juſtitiæ, tanquam à ſapientibus, petitur exemplum. nemo enim horum ſic ſapiens eſt, [1] ut ſapientem volumus intelligi. Nec ii, qui ſapientes habiti ſunt, & nominati, M. Cato, & C. Lælius, [2] ſapientes fuerunt; ne [3] illi quidem ſeptem: ſed [4] ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam gerebant, ſpeciemque ſapientum. Quocirca nec id, quod vere honeſtum eſt, fas eſt [5] cum utilitatis repugnantia comparari: nec id quidem, quod communiter appellamus honeſtum, quod colitur ab iis, qui bonos ſe viros haberi volunt, cum emolumentis unquam eſt comparandum: tamque id honeſtum, [6] quod in noſtram intelligentiam cadit, tuendum, conſervandumque eſt nobis, quam id, quod proprie dicitur, vereque eſt honeſtum ſapientibus. [7] aliter enim teneri non poteſt, ſi qua eſt ad virtutem facta progreſſio. Sed hæc quidem de iis, qui [8] conſervatione officiorum exiſtimantur boni. [9] Qui autem omnia metiuntur emolumentis, & commodis, neque ea volunt præponderari honeſtate, hi ſolent in deliberando honeſtum cum eo, quod utile putant, comparare: boni viri

1 *Ut ſapientem volumus intelligi*] Prout à Stoicis concipitur ſapiens, qui cum facultatibus pluſquam humanis ornatum fingunt.

2 *Sapientes fuerunt*] Id eſt, Perfectæ ſapientiæ exemplaria, juxta Stoicorum Ideas formata, & ad vivum exſculpta; viri divina prorſus ſcientia imbuti; quales nuſquam gentium extiterunt.

3 *Illi quidem ſeptem*] Quorum doctrina Græciam, quorum fama mundum peragravit.

4 *Ex mediorum officiorum frequentia*] Id eſt, Cum plerumque honeſte dicerent, agerentque, viri ſapientes, & boni habiti, & appellati ſunt; quamvis alicubi errarent, atque ab officio nonnihil deflecterent. *Wolf.*

5 *Cum utilitatis repugnantia*] Pro, cum utili repugnante. *Manut.*

6 *Quod in noſtram intelligentiam cadit*] Ex quo medium oritur officium. *Idem.* Cujus Ideam habemus adæquatam, cujus aſſequendi, obſervandique ſumus capaces.

7 *Aliter teneri non poteſt*] Id eſt, Niſi quis ſubinde ſeſe exercuerit repurgandis erroribus, & vitiis, augendiſque virtutibus, id etiam, quod conſecutus fuerat, amittet. *Wolf.* Non poſſumus aliter in ſapientiæ via conſiſtere; excidemus etiam plane ſapientiæ ſectatorum numero: actum eſt cum ſapientiæ ſtudioſis, ſi, cum jam profecerint, propoſita utilitatis, & emolumenti ſpe, ab officii, & honeſti cultu avocari ſe patiuntur. *Teneri non poteſt* eſt tale loquendi genus, quale id, quod ſæpe apud Livium occurrit, *ſiſti non poteſt*; quod eſt, Reſp. ſalva eſſe non poteſt, periit, actum eſt de Republica. *Grav.*

8 *Conſervatione officiorum*] Ex eo, quod à recte, honeſteque agendi norma volentes nunquam deflectunt.

9 *Qui autem*] Argumentum indocit ab opinione Epicuri ad excuſationem Panætii. Nam Epicuri ſecta, cujus eras dogma, ſapientem debere omnia ſuis commodis metiri, multos ad ſe traxerat. His autem videtur utilitas nonnunquam pugnare cum honeſtate. *Erafm.*

non ſolent. [1] Itaque exiſtimo Panætium, cum dixerit, homines ſolere in hac comparatione dubitare, hoc ipſum ſenſiſſe, quod dixerit, ſolere modo, non etiam oportere. etenim non modo [2] pluris putare, quod utile videatur, quam quod honeſtum: ſed hæc etiam inter ſe comparare, & in his addubitare, turpiſſimum eſt. quid eſt ergo, quod nonnunquam dubitationem afferre ſoleat, conſiderandumque videatur? Credo, ſi quando dubitatio accidit, [3] quale ſit id, de quo conſideretur. [4] Sæpe enim tempore fit, ut, quod plerumque turpe haberi ſoleat, inveniatur non eſſe turpe. Exempli cauſa, ponatur aliquid, [5] quod pateat latius. Quod poteſt majus eſſe ſcelus, quam non modo hominem, ſed etiam familiarem hominem occidere? [6] Num igitur ſe adſtrinxit ſcelere, ſi quis tyrannum occidit, quamvis familiarem? Populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus præclaris factis [7] illud pulcherrimum exiſtimat. [8] Vicit ergo utilitas honeſtatem: [9] imo vero honeſtas utilitatem ſecuta eſt. Itaque, ut ſine ullo errore dijudicare poſſimus, ſi quando cum illo, quod honeſtum intelligimus, pugnare id videbitur, quod appellamus utile, [10] formula quædam con-

1 *Itaque exiſtimo*] Tandem eruit optimam interpretationem, quam confirmat Panætii verbis, hoc ſenſu: Utilitas, & honeſtas non pugnant, ſed putant eas homines pugnare. *Eraſm.*

2 *Pluris putare*] Præferendum exiſtimare.

3 *Quale ſit id*] Cohæreatne cum honeſtate, an ab ea ſegregetur honeſtas. *Manut.* Cum res aliqua nobis utilis eſſe videtur, & tamen de ejus honeſtate dubitamus, an eam rem agere debemus, hæſitamus. *Eraſm.*

4 *Sæpe tempore fit*] Hoc eſt, Ratio temporis, & ſtatus rerum, ſeu (ut vulgo loquuntur) circumſtantiæ rerum, & hominum faciunt, ut res, quæ alias turpis eſſet, non ſit turpis. Hinc Silio Pompejus apud Senecam IV. Controv. 25. *Quædam, quæ licent, tempore, & loco mutato, non licent. Grav.*

5 *Quod pateat latius*] Quod multis rebus accommodari poteſt.

6 *Num ſe adſtrinxit ſcelere*] Hoc videtur innuere: Numquid ab officio diceſſit Brutus, cum Cæſarem familiarem occidit?

7 *Illud pulcherrimum*] Quia cæde Tyranni reſtitutam ſibi putabat libertatem, qua nihil habebat antiquius. *Manut.* Tyrannicidis præmia ſunt conſtituta maxima olim in liberis Rebuſpub. tam apud Græcos, quam Romanos. *Grav.* Romæ ſancita lex eſt, ut Tyrannum indicta cauſa occidere liceret.

8 *Vicit ergo*] Argumentum à parte opponentis. Quaſi dixerat, Interfectus igitur eſt J. Cæſar, non quod honeſta, ſed quod Reip. utilis evaſit cædes.

9 *Imo vero*] Reſpondet Cicero: Et quidem cædes honeſtatem cum utilitate uno quaſi communi vinculo copulatam complexa eſt. Tyrannum ſane occidere, utile: patriam vero à ſervitute liberare, non minus honeſtum eſt. Quid enim honeſtius, quid Naturæ convenientius, quam, uno de medio ſublato, qui jura omnia pro libidine fundius everterat, Rempub. integram conſervare?

10 *Formula*] Regula, modus, & norma, quæ doceat, quid ſequi debemus. *Maturant.*

ſtituenda

ſtituenda eſt: quam ſi ſequemur in comparatione rerum, [1] ab officio nunquam recedemus. Erit autem hæc formula Stoicorum rationi, diſciplinæque maxime conſentanea: quam quidem his libris propterea ſequimur, quod, quanquam à veteribus Academicis, & à Peripateticis veſtris, [2] qui quondam iidem erant, qui Academici, quæ honeſta ſunt, anteponuntur iis, quæ videntur utilia: tamen [3] ſplendidius hæc ab eis diſſeruntur, quibus quidquid honeſtum eſt, idem utile videtur; nec utile quidquam, quod non honeſtum; quam [4] ab iis, quibus honeſtum aliquid non utile, aut utile non honeſtum. Nobis autem [5] noſtra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcunque [6] maxime probabile occurrat, id noſtro jure liceat defendere.

5. Sed redeo ad formulam. Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, [7] magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. nam principio [8] tollit convictum humanum, & ſocietatem. ſi enim ſic erimus affecti, ut propter ſuum quiſque emolumentum ſpoliet, aut violet alterum, [9] diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maxime eſt ſecun-

1 *Ab officio nunquam recedemus*] Omnia recte faciemus, omnem juſtam reprehenſionem cavebimus. *Wolf.*

2 *Qui quondam iidem*] Iidem fuerunt Academici, & Peripatetici, vivente Platone. Cujus diſcipuli, Ariſtoteles, Peripateticorum auctor, Xenocrates Academicorum parens fuit, teſte Cicerone Lib. III. de Orat. cap. 17. *Gronov.*

3 *Splendidius ab eis diſſeruntur*] Magniloquentia quadam ſublimi, & Heroica à Stoicis tractantur.

4 *Ab iis*] Peripateticis, & veteribus Academicis.

5 *Noſtra*] Cui eloquentiam, doctrinamque noſtram acceptam debemus.

6 *Maxime probabile*] Veriſimilia ſola ſequuntur Academici, nihil certo ſciri pronuntiantes, ideoque nullis adſtricti legibus.

7 *Magis eſt contra naturam, quam mors*] Hoc eſt, Magis adverſatur rectæ rationi. Quia nempe paupertas, dolor, mors, ut plurimum ſunt fortuita: per vim autem, & injuriam aliquid eripere, voluntarium, ideoque ſemper culpandum eſt. *Gronov.* Præterea multi viri optimi, & ſapientiſſimi fuerunt pauperes, multis, & magnis conflictati ſunt doloribus, & morte injuſta extincti; ut Socrates, Epictetus, ne dicam de Servatore noſtro Chriſto, & ejus Sectatoribus, Apoſtolis: neque tamen quiſquam ſanæ mentis negat, illos convenienter Naturæ vixiſſe, & ab officio non receſſiſſe; cum qui alteri nocet ſuorum commodorum cauſa, à malis etiam male, & contra boni viri officium feciſſe cenſeatur. *Grav.*

8 *Tollit convictum humanum*] Quia *detrahere aliquid alteri* ſuſpicionum, ſimultatum, diſcordiarum, odiorum cauſa eſt, quæ ſocietatem diſſolvunt. Quis enim cum eo ſocietatem colat, qui, ut ſuis inſerviat commodis, aliis, quibuſcunque modis poteſt, detrahet, & nocebit? *Idem.*

9 *Diſrumpi neceſſe eſt eam*] Finis ſocietatis eſt utilitatum communio, & mutuum auxilium, ſine quibus conſiſtere

dum naturam, humani generis ſocietatem. [1] Ut, ſi unumquodque membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri [2] valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari, & interire totum corpus neceſſe eſt: ſic, ſi unuſquiſque noſtrum rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahatque, quod cuique poſſit, emolumenti ſui gratia, ſocietas hominum, & communitas evertatur neceſſe eſt. nam, [3] ſibi ut quiſque malit, quod ad uſum vitæ pertineat, quam alteri acquirere, conceſſum eſt, non repugnante natura. Illud natura non patitur, ut aliorum ſpoliis noſtras facultates, copias, opes augeamus. Neque vero hoc ſolum natura, id eſt, jure gentium, ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis civitatibus reſp. [4] continetur, eodem modo conſtitutum eſt, ut [5] non liceat ſui commodi cauſa nocere alteri. hoc enim ſpectant leges, hoc volunt; [6] incolumem eſſe civium conjunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinclis, damno coercent, atque hoc multo magis exigit ipſa naturæ ratio, quæ eſt [7] lex divina, & humana: cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui ſecundum naturam volent vivere) nunquam committet, ut alienum appe-

ſiſtere nequeat. Si itaque homines hominibus non tantum non opitulantur, ſed etiam injuriis ſe invicem laceſſunt, in ſylvas, in montes, in loca deſerta, juxta veterum inopem, miſeram, vitamque prope belluinam, redeundum eſt.

1 *Ut, ſi unumquodque membrum*] Injuriæ naturam, & perniciem eleganti ſimilitudine declarat. Nota eſt fabula de membrorum humanorum ventris inertiæ ſuccenſentium diſcordia, qua Menenius Agrippa plebem, quæ irata patribus ſeceſſerat, ad obſequium, & officium revocavit apud Livium Dec. I. Lib. II. Cap. 32. *Grav.*

2 *Valetudinem*] Hæc vox non raro in malam, hic vero in bonam accipitur partem.

3 *Sibi ut quiſque malit, quam alteri acquirere, conceſſum eſt.*] Hæc enim poſtulat noſtri conſervatio. Et verum eſt, quod vulgo dicitur, *Proximus egomet mihi*. Hoc eſt, Quiſque ſe plus, quam cæteros, amat, & ſui ipſius emolumentum prius, quam alienum, proſpicit. *Grav.*

4 *Continetur*] Id eſt, Conſtat, ſuſtentatur, adminiſtratur.

5 *Non liceat nocere alteri*] Fons enim legum, unde cæteræ manant, eſt, *neminem ladere. Grav.*

6 *Incolumem eſſe civium conjunctionem*] Hoc eſt, Ut poſſint tuto, & commode una vivere cives. *Wolf.*

7 *Lex divina, & humana*] *Divina*, utpote divinitus inſita mentibus hominum; *Humana*, quia conſenſu generis humani comprobata. *Idem.* Naturæ nimirum humanæ, ſeu ſocialis, ratio oſtendit, & præcipit, nihil committendum eſſe, quod ſocietatem lædat, ac violet: lædit autem, qui inſonti nocet, ut ſibi profit, ut ſuis ſerviat commodis. Hanc naturam omnibus hominibus inſevit Deus, qui eſt Naturæ parens, & auctor. Ideo lex ab hac Natura humana profluens, *Nulli nocendum eſſe*, eſt *Divina*. Sed præterea, præcipiunt hoc ipſum quoque, quod ex Natura hauſimus, & didicimus, leges humanæ, cum civiles, tum gentium. *Grav.*

tat,

tat, & id, quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat. Etenim multo magis eſt [1] ſecundum naturam excelſitas animi, & magnitudo: itemque comitas, juſtitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiæ: quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere comparantem cum utilitate communi, magni animi, & excelſi eſt. [2] Detrahere autem alteri ſui commodi cauſa, magis eſt contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cætera generis ejuſdem: itemque magis eſt ſecundum naturam, [3] pro omnibus gentibus (ſi fieri poſſit) conſervandis, aut juvandis maximos labores, moleſtiaſque ſuſcipere, [4] imitantem Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio cœleſtium collocavit: quam vivere in ſolitudine, non modo ſine ullis moleſtiis, ſed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis; ut excellas etiam pulchritudine, & viribus. Quocirca optimo quiſque, & ſplendidiſſimo ingenio longe [5] illam vitam huic anteponit. Ex quo [6] efficitur, hominem naturæ obedientem homini nocere non poſſe. Deinde, qui alterum [7] violat, ut ipſe aliquid commodi conſequatur, aut [8] nihil ſe exiſtimat contra naturam facere; [9] aut magis fugiendam cenſet mortem, paupertatem,

1 *Secundum naturam*] Scilicet univerſam, & incorruptam. *Wolf. Secundum naturam vivere* eſt, ita vivere, ut vult, & docet hominum Natura rationalis, & ſocialis. *Grav.*

2 *Detrahere autem*] Tota iſta periodus mihi ſuſpecta eſt, tanquam repetita à ſciolo de capitis hujus principio. *Gruter.* Idem ſupra dictum repetit, ut præceptum maxime neceſſarium animis lectorum infigat. *Wolf.*

3 *Pro omnibus gentibus*] Quo pluribus, & quo majori opera, ac ſtudio, opitulari poſſumus, eo convenientius Naturæ, hoc eſt, rationi, & honeſtati vivimus. Si quis igitur, Herculis ad inſtar, beneficiis nullas non gentes ſibi devincire poſſet, is uti optime viveret, ita ſane ſolitarium vitæ genus, quo bene merendi occaſio præripitur, utpote officiorum communicationi inimicum, maxime averſaretur. *Rachel.*

4 *Imitantem Herculem*] More Herculis viventem, quem dicunt terras, & maria à monſtris liberaſſe. Sic Lucan.

--- Terras monſtris, aquorque levantem
Magnanimum Alciden.

Ob hanc cauſam in Deorum numerum receptus eſt. *Maturant.*

5 *Illam vitam huic*] Id eſt, Vitam laborum ſane, & periculorum plenam, ſed humano generi benefaciendi ſtudioſam, vitæ ſegregi, obſcuræ, ſolitariæ.

6 *Efficitur*] Pro, Argumentis colligitur. *Eraſm.*

7 *Violat*] Verbum *violare* uſurpat Cicero, non pro, *vim inferre*, ſed pro, *injuriam facere. Eraſm.*

8 *Nihil ſe exiſtimat contra naturam facere*] Quaſi ſcilicet Natura unumquodque animal ſuæ ſolius utilitatis ſtudioſum formaſſet; ideoque quiſquis ſibi inſerviret, utcunque altero jacturam patiente, Naturæ leges nondum violaret.

9 *Aut magis fugiendam cenſet*] Hoc eſt genus modeſtioris malitiæ in illis, qui non quidem commodi ſui perſequendi, ſed incommodi vitandi cauſa,

nocere

dolorem, amiſſionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuipiam injuriam. ſi nihil exiſtimat contra naturam fieri hominibus violandis, quid cum eo diſſeras, qui omnino [1] hominem ex homine tollat? ſin fugiendum id quidem cenſet, ſed & multo illa pejora, mortem, paupertatem, dolorem, errat in eo, quod ullum aut corporis, aut fortunæ vitium animi vitiis gravius exiſtimat.

6. Ergo unum debet eſſe omnibus propoſitum, ut eadem ſit utilitas uniuſcujuſque, & univerſorum: quam ſi ad ſe quiſque rapiat, diſſolvetur omnis humana conſortio. Atque, ſi etiam hoc natura præſcribit, ut homo homini, quicunque ſit, [2] ob eam ipſam cauſam, quod is homo ſit, conſultum velit, neceſſe eſt ſecundum eandem naturam omnium utilitatem eſſe communem. quod ſi ita eſt, [3] una continemur omnes, & eadem lege naturæ: idque ipſum ſi ita eſt, certe violare alterum lege naturæ prohibemur. verum autem primum; verum igitur & extremum. Nam illud quidem abſurdum eſt, quod quidam dicunt, parenti ſe, aut fratri nihil detracturos commodi ſui cauſa: aliam rationem eſſe civium reliquorum: hi ſibi nihil juris, & nullam ſocietatem, communis utilitatis cauſa, ſtatuunt eſſe cum civibus: quæ ſententia omnem ſocietatem diſtrahit civitatis. Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis ſocietatem: qua ſublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, juſtitia funditus tollitur: quæ qui tollunt, etiam [4] adverſus Deos immortales impii judicandi ſunt. [5] ab iis enim conſtitutam inter homines ſocieta-

nocere ſe jure poſſe alteri fas putant. *Gronov.*

1 *Hominem ex homine tollat*] Id eſt, Id neget, quod hominis proprium eſt: intelligere ſcilicet, quid Natura humana poſtulet. *wolf.*

2 *Ob eam cauſam, quod homo ſit*] Ob Naturam communem, figuram corporis, rationis, & orationis uſum, ſimileſque affectiones animorum, & corporum. *Idem.* Propter cognationem illam à Natura inter homines conſtitutam. *Grav.*

3 *Una continemur*] Id eſt, Eundem auctorem vitæ habemus Deum, ex iiſdem elementis conſtamus, iiſdem commodis, atque incommodis afficimur, eadem conditione venimus in lucem, iiſdem cuſibus, morbis, morti denique æque obnoxii ſumus omnes. *wolf.*

4 *Adverſus Deos*] Quamvis enim contra eos, quos injuriis affecerunt, *immediate* peccant, *primario* tamen in Deum delinquunt, quatenus violantur Naturæ leges, quas ipſe menti humanæ inſeverat.

5 *Ab iis conſtitutam ſocietatem*] Hæc ſocietas dicitur à Diis conſtituta, quia, ut ait Lucretius,

— Cœlefti ſumus omnes ſemine oriundi.
Omnibus ille idem pater eſt. Grav.

tem

tem evertunt: cujus ſocietatis arctiſſimum vinculum eſt, magis arbitrari eſſe contra naturam, hominem homini detrahere ſui commodi cauſa, quam omnia incommoda ſubire vel [1] externa, vel [2] corporis, vel etiam ipſius animi, [3] quæ vacent juſtitia. hæc enim una virtus omnium eſt domina, & regina virtutum. Forſitan quiſpiam dixerit: Nonne igitur ſapiens, ſi fame ipſe conficiatur, abſtulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili? [4] Minime vero. [5] Non enim mihi eſt vita mea utilior, quam animi talis affectio, neminem ut violem commodi mei gratia. Quid? ſi [6] Phalarim, crudelem tyrannum, & immanem, vir bonus, ne ipſe frigore conficiatur, veſtitu ſpoliare poſſit, nonne faciat? Hæc ad judicandum ſunt facillima. nam, ſi quid ab homine [7] ad nullam partem utili tuæ utilitatis cauſa detraxeris, inhumane feceris, contraque naturæ legem. [8] ſin autem is tu ſis, qui multam utilitatem reip. atque hominum ſocietati, ſi in vita remaneas, afferre poſſis; ſi quid [9] ob eam cauſam

1 *Externa*] Quæ ſunt extra nos; ut infamiam, inopiam, cæteraque ejuſmodi.

2 *Corporis*] Dolores, malam valetudinem, & conſimilia.

3 *Quæ vacent juſtitia*] Satis clare diſputat Tullius ſe arbitrari magis eſſe contra Naturam, ſi homo homini detrahat ſui commodi cauſa, quam ſi patiatur ſe vel in bonis, vel in animo læsi per injuriam: quod videbatur pati non debere ob duas maxime cauſas; primo, quia ſibi quiſque eſt junctiſſimus, & Natura ipſum ſibi maxime commendavit; ſecundo, quod utique injuriam pati non cogatur. Hæc ſunt igitur incommoda, *quæ vacent juſtitia*. Quæ verba non dicuntur reſpectu ſubeuntis, ſed inferentis, & ſubire cogentis. *Gronov.* Quidam codices legunt, *quæ non vacent*, ut ſit ſententia: Iis ſolis animi incommodis, id eſt, vitiis, exceptis, quæ, perinde ac ipſum *homini detrahere*, contra juſtitiam peccant. Judicet Lector.

4 *Minime vero*] Aliter ſentit Grotius Lib. II. de Jure Belli, & Pacis Cap. 2. qui cenſet in graviſſima neceſſitate reviviſcere jus illud priſtinum rebus utendi, tanquam ſi communes manſiſſent; quia in omnibus legibus humanis, ac proinde & in lege dominii, ſumma illa neceſſitas videtur excepta. *Grav.*

5 *Non enim mihi*] Ipſa vita pro nihilo potius habenda eſt, quam violanda ſocietas humana, qua homines inter ſe naturaliter conjunguntur.

6 *Phalarim*] Agrigentinorum Tyrannum, cui Periillus, faber Athenienſis, fabricatum à ſe æneum taurum dedit, in quo ſubjecto igne cruciarentur homines, taurinoſque mugitus imitarentur.

7 *Ad nullam partem utili*] Qualis Margites quidam ab Homero deſcriptus eſſe fertur, qui ſit τρόπον ἄχθος ἀρούρης, telluris inutile pondus, tantum fruges conſumere natus. *Wolf.*

8 *Sin autem is tu ſis*] Qui in Cicerone reprehendunt hanc diſtinctionem, non cogitant illum loqui de perfecto ſapiente, qui novit, quid cuique ſit tribuendum, & in omnibus reſpicit cum utilitatem communem ſocietatis humanæ, tum illius, in qua vivit, Reipublicæ, cujus ſalutem, dignitatem, & commoda ſuis præfert. Itaque ſi ſciat talem ſe eſſe, non propter ſe, ſed propter Remp. detrahet in extrema neceſſitate alteri minus utili civi. *Grav.*

9 *Ob eam cauſam*] Publicam nimirum utilitatem, non privatam. *Idem.*

alteri

alteri detraxeris, non ſit reprehendendum. [1] Sin autem id non ſit ejuſmodi, [2] ſuum cuique incommodum ferendum eſt potius, quam de alterius commodis detrahendum. Non igitur magis eſt contra naturam morbus, aut egeſtas, aut quid hujuſmodi, quam detractio, aut appetitio alieni. Sed communis utilitatis derelictio contra naturam eſt, eſt enim injuſta. itaque lex ipſa naturæ, quæ utilitatem hominum conſervat, & continet, decernit profecto, ut ab homine inerti, atque inutili ad ſapientem, [3] bonum, fortemque virum transferantur res ad vivendum neceſſariæ: qui ſi occiderit, multum de communi utilitate detraxerit: modo hoc ita faciat, ut [4] ne ipſe de ſe bene exiſtimans, ſeſeque diligens, hanc [5] cauſam habeat ad injuriam. ita ſemper officio fungetur, utilitati conſulens hominum, & ei, quam ſæpe commemoro, humanæ ſocietati. Nam, quod ad Phalarim attinet, perfacile judicium eſt. [6] nulla enim nobis ſocietas cum tyrannis, ſed potius ſumma [7] diſtractio eſt: neque eſt contra naturam, ſpoliare eum, ſi poſſis, [8] quem honeſtum eſt necare:

1 *Sin id non ſit ejuſmodi*] Id eſt, Si tu Reip. multum commodare non poſſis: ſi ſis homo plebeius, & unus de multis. *Manut.*

2 *Suum cuique incommodum ferendum*] Sanctius ſane, & verius veteres, quam qui nuper ex Schola Malmsburienſi propter conſervationem ſui quidvis in quemvis licere docent. Nos nobis conciliaſſe Naturam, ut nobis nihil ſit carius, certiſſimum eſt: ſed eadem nos docuit, non ita nos amare nos debere, ſi convenienter ei vivamus, ut ad noſtra incommoda declinanda aliis ejuſdem naturæ conſortibus ſit nocendum. Nollemus enim nobis id fieri, ſi eo eſſemus loco, quo is eſt, cujus incommodo, aut morte noſtram utilitatem, aut vitam redimere conſtituimus; niſi is exuerit hominem, &, inſtar belluæ, in ſui generis participes ſæviat, ut Tyrannus, latro, pirata. *Grav.*

3 *Ad bonum, fortemque virum transferantur*] Propter utilitatem Reip. quam quilibet bonus ſuæ præfert. Et veriſſima eſt ſententia, ſi recte perpendatur. Quæ alia cauſa eſt, cur recte, non ſolum pro boni Regis, Principis, Imperatoris, ſed & ſapientis, & utilis civis ſalute, & vita, ſuam vitam exponant multi periculo? Sic viginti millia civium pro ipſo Tullio contra Clodium erant dimicaturi, ſi Tullius permiſiſſet. *Idem.*

4 *Ne ipſe de ſe bene exiſtimans, ſeſeque diligens*] Modo ne φιλαυτία nos decipiat, & elatius de nobis ipſi ſentientes, quam revera ſumus, alios afficiamus injuria propter nos, non propter utilitatem publicam. *Idem.*

5 *Cauſam*] Id eſt, Prætextum, & commentitiam defenſionem.

6 *Nulla ſocietas*] Voluntaria certe nulla eſt, ſed neceſſaria, & violenta. *Wolf.*

7 *Diſtractio*] Diſtractionem eſſe cum Tyrannis ideo dicit, quod animis, conſiliiſque maxime inter ſeſe diſſident; cum alteri libertatem ſpectent, leges defendant, & diſciplinam civitatis; alteri ſervitutem introducant, per vim leges opprimant, omnemque licentiam ſibi ſumant. *Wolf.*

8 *Quem honeſtum eſt necare*] Hæc conſtans fuit Rerumpub. veterum ſententia, quam Magiſtri Recentes acriter impugnant, ac ſi nullus hodie Tyrannus inveniatur. *Grav.* Hanc propoſitionem Cicero pro confeſſo ſumit ob Græcorum,

atque hoc omne genus peſtiferum, atque impium ex hominum communitate exterminandum eſt. Etenim, ut membra quædam [1] amputantur, [2] ſi & ipſa ſanguine, & tanquam ſpiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: ſic iſta in figura hominis feritas, & immanitas belluæ à communi [3] tanquam humanitate corporis ſegreganda eſt. [4] Hujus generis ſunt quæſtiones omnes eæ, in quibus ex tempore officium exquiritur.

7. Ejuſmodi igitur credo res Panætium perſecuturum fuiſſe, niſi aliqui caſus, aut occupatio conſilium ejus [5] peremiſſet: ad quas ipſas conſultationes ex ſuperioribus libris ſatis multa præcepta ſunt, quibus perſpici poſſit, quid ſit propter turpitudinem fugiendum: quid ſit id, quod idcirco fugiendum non ſit, quia omnino turpe non eſt. Sed quoniam operi inchoato, & prope jam abſoluto, tanquam [6] faſtigium imponimus: ut geometræ ſolent non omnia docere, ſed poſtulare, ut quædam ſibi concedantur, [7] quo facilius, quæ volunt, explicent: ſic ego à te poſtulo, mi Cicero, ut mihi concedas, [8] ſi potes, nihil, præter id, quod honeſtum

rum, & Romanorum inveteratum odium in Tyrannos. *Wolf.*

1 *Amputantur*] Sic Ovidius Lib. I. Metam.

— Immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

2 *Si ſanguine, & ſpiritu*] Si mortua fuerint, & putrefacta. *Maturant.*

3 *Tanquam humanitate corporis*] Quid eſt *humanitas corporis*? aut legendum, *tanquam humanitatis corpore*: aut eſt Hypallage, ut apud Juſtin. Lib. 12. cap. 2. *antiquitatis fata veneratur*, pro, *fatorum antiquitatem*: & Lib. 14. cap. 1. *fidei ſacramento*, pro *ſacramenti fidei*. *Grav.* Sed videndum, an non *humanitatem* nunc vocet id, quod contrarium eſt immanitati belluinæ, non vero ſocietatem hominum: atque adeo humanitas conſideretur in corpore, & cœtu hominum idem, quod ſanguis, & ſpiritus in corpore, quod ex carne, & membris conſtat. Nam, ut hoc non poteſt conſiſtere ſine ſanguine, & ſpiritu, ſic & humanæ ſocietatis proprietas, & ratio, ad quam Natura illam voluit produci, collabitur, & degenerat, ſi humanitas, & illa emendata ſuavitas, quam ignorant, abigunt, & corrumpunt Tyranni, evanuerit. *Gronov.*

4 *Hujus generis ſunt quæſtiones*] Id eſt, Quæſtiones, quæ varias ex diverſis temporum circumſtantiis ſolutiones ſortiuntur, ejuſdem ſunt naturæ cum iis, quas modo poſui: de ſpoliando ſcilicet homine inutili, & Tyranno.

5 *Peremiſſet*] Id eſt, Penitus, & in perpetuum impediviſſet, atque oppreſſiſſet. *Fabrit.* Id eſt, ſuſtuliſſet. Sic in Orat. pro Plancio: *reditum perimere.* Pro Sextio: *niſi mors peremiſſet. Manut.*

6 *Faſtigium*] Id eſt, Summam manum. Vox ab ædificiis tranſlata, quibus perfectis conus aliquis imponitur in ſummo. *Eraſm.*

7 *Quo facilius, quæ volunt, explicent*] Quo facilius auditor rudis, ſubtilium rationum nondum capax, inſtituatur, doctrinam intelligat. *Manut.*

8 *Si potes*] Si per Cratippum hoc tibi licet, & ſectam Peripateticam, cui tu nomen dediſti. *Wolf.*

ſit, propter ſe eſſe expetendum. ſin hoc non licet [1] per Cratippum, at illud certe dabis, quod honeſtum ſit, id eſſe maxime propter ſe expetendum. [2] Mihi utrumvis ſatis eſt: & [3] cum hoc, tum illud probabilius videtur, [4] nec præterea quidquam probabile. Ac primum Panætius in hoc defendendus eſt, quod non utilia cum honeſtis pugnare aliquando poſſe dixerit ([5] neque enim ei fas erat) ſed ea, quæ videntur utilia. Nihil vero utile, quod non idem honeſtum; nihil honeſtum, quod non idem utile ſit, ſæpe teſtatur: negatque ullam peſtem majorem in vitam hominum invaſiſſe, quam eorum opinionem, [6] qui iſta diſtraxerint. Itaque non, ut aliquando anteponeremus utilia honeſtis, ſed, ut ea ſine errore dijudicaremus, ſi quando incidiſſent, induxit eam, quæ videretur eſſe, non quæ eſſet, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus, nullius adminiculis, ſed (ut dicitur) [7] Marte noſtro. neque enim quidquam de hac parte poſt Panætium explicatum eſt, quod quidem mihi probaretur de iis, quæ in manus meas venerunt.

8. Cum igitur aliqua ſpecies utilitatis objecta eſt, [8] commoveri neceſſe eſt. ſed ſi, cum animum attenderis, turpitudinem videas adjunctam ei rei, quæ ſpeciem utilitatis attulerit, tunc [9] non utilitas relinquenda eſt, ſed intelligendum,

1 *Per Cratippum*] Qui Peripateticæ doctrinæ addictus non putat (juxta Stoicorum Axioma) honeſtum ſolum, ſed maxime propter ſe expetendum.

2 *Mihi utrumvis ſatis eſt*] Et Peripatetica ratione, & Stoica ſemper honeſtas utilitati præferenda. *Manut.*

3 *Cum hoc, tum illud*] Utriuſque ſectæ Philoſophorum placitum.

4 *Nec præterea quidquam probabile*] Scilicet in hoc genere diſputationum, ubi de finibus bonorum agitur. Excludit ergo Epicuri, Hieronymi Rhodii, aliorumque de ſummo bono opiniones. *Wolf.* Hoc, tanquam Academicus, dicit. Academici enim de omnibus dubitabant. *Grav.*

5 *Neque enim ei fas erat*] Id eſt, Sibi ipſe repugnaſſet: non conſtitiſſet ſibi; deſciviſſet à ſuo ipſius dogmate. *Wolf.* Ex Stoicis enim fuit Panætius, qui in honeſtate ſita eſſe bona omnia affirmarunt.

6 *Qui iſta diſtraxerint*] Qui honeſtum, & utile à ſe invicem ſecerni poſſe exiſtimarunt.

7 *Marte noſtro*] Proverbialiter à militia tranſlatum, ubi ſuo Marte rem gerere dicebantur, qui nullis auxiliaribus copiis adjuti prælium committerent. *Eraſm.*

8 *Commoveri neceſſe eſt*] Non poſſumus eam rem non expetere, quæ vel vires, vel voluptates corporis auctura ſit, vel incrementa opum, & dignitatis allatura. *Manut.*

9 *Non utilitas relinquenda eſt*] Hoc ſignificat Cicero: Si, cum ſpecies utilitatis objecta eſt, re attente conſiderata, videas turpitudinem adjunctam ei rei, quæ ſpeciem utilitatis objecerit, non eſt ita ſtatuendum, utilitatem propter illam turpitudinis adjunctionem relinquere, id eſt, repudiare, atque aſpernari oportere: ſed intelligendum, ac ſciendum eſt, ubicunque inſit aliqua turpitudo, ibi utilitatem eſſe non poſſe. *Lambin.*

ubi

ubi turpitudo ſit, ibi utilitatem eſſe non poſſe. Quod ſi nihil eſt tam contra naturam, quam turpitudo ([1] recta enim, & [2] convenientia, & [3] conſtantia naturæ deſiderat, aſpernaturque contraria) nihilque tam ſecundum naturam, quam utilitas: certe in eadem re utilitas, & turpitudo eſſe non poteſt. itemque, ſi ad honeſtatem nati ſumus, eaque aut ſola expetenda eſt (ut [4] Zenoni viſum eſt) aut certe [5] omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia, quod Ariſtoteli placet; neceſſe eſt, quod honeſtum ſit, id eſſe [6] aut ſolum, aut ſummum bonum; quod autem bonum, id certe utile; ita quidquid honeſtum, id utile. quare error hominum non proborum, cum aliquid, quod utile viſum eſt, arripuit, id continuo [7] ſeceſſit ab honeſto. [8] Hinc ſicæ, hinc venena, hinc falſa teſtamenta naſcuntur: hinc furta, [9] peculatus, expilationes, direptioneſque ſociorum, & civium: hinc opum nimiarum potentiæ [10] non ferendæ: poſtremo etiam in liberis civitatibus regnandi exiſtunt cupiditates, qui-

1 *Recta*] Cum prudentia, & juſtitia conſentientia. *Manut.*

2 *Convenientia*] Scilicet excellentiæ Naturæ humanæ. *Grav.* Τὸ πρέπον, quod in temperantia maxime cernitur, intelligo. *Wolf.*

3 *Conſtantia*] Hoc ad animi magnitudinem, ſeu fortitudinem pertinet. Nihil igitur aliud dicit his verbis, quam Naturam eborum omnium virtutum deſiderare, & vitia omnia aſpernari. *Idem.* Intelligit vitæ harmoniam, actionum concentum. In quo ſenſu Horatius de Arte Poetica:

— Servetur ad imum,
Qualis ab incœpto proceſſerit, & ſibi conſtet.

Merito ergo à Criticis arguitur Euripides, quod Iphigeniam in Aulide, repugnante Natura, à ſuis moribus recedentem, atque à ſeipſa prorſus alienam fingat. Quippe quæ primo timide mortem deprecatur, deinde vero, Achille pro ea exorante, animoſam ſeſe repente exhibet, dicitque pro ſalute Græcorum paratam ſponte mactari.

4 *Zenoni*] Diſciplinæ Stoicæ auctori, cognomine Cittico, à Cittio, Cypri oppido, unde ortum duxit.

5 *Omni pondere gravior*] Videtur ad Critolai Peripatetici Librum alludere, cujus dictum ſupra retinuimus. *Wolf.* Vide Notam primam Cap. 3. Lib. 3.

6 *Aut ſolum, aut ſummum bonum*] Prius Stoicorum, poſterius placitis Peripateticorum convenit.

7 *Deceſſit ab honeſto*] Nihil penſi habet, quantumvis turpe, & flagitioſum ſit. *Manut.*

8 *Hinc ſicæ*] Hinc, inquit, videmus homines improbos, ſimulatque cogitarunt, aliquid ſe juvare poſſe, idque ſtatim appetunt nullo honeſti, aut inhonesti diſcrimine (qui eſt ſolennis hominum error) huc progredi, ut ſicis, & dolonibus, ut venenis petant innoxios, quo bonis potiantur; ut teſtamenta ſuppoſuerint, & veris hæredibus exclaſis, ſe pro hæredibus gerant. *Grubov.*

9 *Peculatus*] Pompejus Feſtus *peculatum*, furtum publicum dicit eſſe, & à *pecore* dictum opinatur, ſicut *pecunium*, ex eo, quod antiqui Romani nihil, præter pecora, habebant. Unde *peculari*, & *peculatus*.

10 *Non ferenda*] Propter ditiſſimorum hominum inſolentiam, & inſolentiam.

bus nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari poteſt: emolumenta enim rerum [1] fallacibus judiciis vident: pœnam, non dico legum, [2] quas ſæpe perrumpunt, ſed [3] ipſius turpitudinis, [4] quæ acerbiſſima eſt, non vident. Quamobrem hoc quidem deliberantium genus pellatur è medio (eſt enim totum ſceleratum, & impium) qui deliberant, utrum id ſequantur, quod honeſtum eſſe videant, an ſe ſcientes ſcelere contaminent: [5] in ipſa enim dubitatione facinus ineſt, etiamſi ad id non pervenerint. Ergo deliberanda omnino non ſunt, in quibus eſt turpis ipſa deliberatio. atque etiam ex omni deliberatione celandi, & occultandi ſpes, opinioque removenda eſt. ſatis enim nobis (ſi modo in philoſophia aliquid profecimus) perſuaſum eſſe debet, ſi omnes [6] Deos, hominesque celare poſſimus, nihil tamen avare, nihil injuſte, nihil libidinoſe, nihil incontinenter eſſe faciendum.

9. Hinc ille Gyges inducitur [7] à Platone: qui, [8] cum terra

1 *Fallacibus judiciis vident*] Sententia eſt: Falſo judicant hanc, vel illam rem ſibi utilem futuram, cum non ſit. *Grev.*

2 *Quæ ſæpe perrumpunt*] Ad Anacharſidis dictum alludit, Solonis leges telis aranearum comparantis. *Manut.* Ut muſcæ majores telas perrumpunt, dum captantur, & retinentur minores; ſic potentiores nunc vi, nunc gratia, nunc muneribus legum ſupplicia effugiunt, dum ſoli inopes plectuntur nebulones.

3 *Ipſius turpitudinis*] Intelligit malæ conſcientiæ morſus.

4 *Quæ acerbiſſima eſt*] Optime Seneca Epiſt. 93. *Prima illa, & maxima peccantium eſt pœna, peccaſſe: nec ullum ſcelus impunitum eſt, quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt.* Sic Juvenalis Sat. 13:

Extemplo quodcunque malum commiſit autor, ipſi
Diſplicet auctori: prima eſt hæc ultio, quod, ſe
Judice, nemo nocens abſolvitur, improba quamvis
Gratia fallaci Prætoris vicerit urna.
--- Cur tamen hoc tu
Evaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo ſæviet illa,
Quam aut Cadmus gravis invenit, aut Rhadamanthus,
Noctes, diesque ſuum geſtare in pectore teſtem.

5 *In ipſa enim dubitatione*] Sic Glaucus Lacedæmonius oraculum conſulens, an perjurio depoſitum abnegaret, Pythia, interim generis comminata, veniam petenti reſpondit: Τὸ παραυτίκα καὶ δοκοῦν, ἄ γενεῆς, ἶσον ἐόντα. *Wolf.*

6 *Deos, hominesque celare poſſimus*] *Celamus eos* aliquid, quibus etiam eſſe volumus, quod agimus. *Eraſm.* Delictis igitur, etiam occultis, abſtinendum eſt. *Manut.* Si enim contra honeſtum agere ſit maximum malum, actionis inhoneſtæ malignitatem non minuant latebræ.

7 *A Platone*] Sumpta eſt fabula ex Platonis de Rep. Lib. 2.

8 *Cum terra diſceſſiſſet*] Id eſt, Diviſa eſſet, dirupta eſſet. Sic enim Plato, unde hæc ſumpta ſunt: ῥαγῆναί τι τῆς γῆς, καὶ χάσμα γενέσθαι ἕδραθεν, hoc eſt, ruptam eſſe terram, & hiatum factum. Sic Virgil. Æneid. 9.

--- Video medium diſcedere cœlum.
Lambin.

diſceſ-

diſceſſiſſet magnis quibuſdam imbribus, in illum hiatum deſcendit, æneumque equum (ut ferunt fabulæ) animadvertit, cujus in lateribus fores eſſent: quibus apertis, mortui vidit corpus magnitudine inuſitata, annulumque aureum in digito: quem ut detraxit, ipſe induit: (erat autem regius paſtor) tum in concilium paſtorum ſe recepit. ibi cum [1] palam ejus annuli ad palmam converterat, à nullo videbatur, ipſe autem omnia videbat. idem rurſus videbatur, cum [2] in locum annulum inverterat. Itaque hac opportunitate annuli uſus [3] reginæ ſtuprum intulit: eaque adjutrice regem dominum interemit, ſuſtulit, quos obſtare arbitrabatur: nec in his eum quiſquam facinoribus potuit videre. ſic repente annuli beneficio rex exortus eſt Lydiæ. Hunc igitur ipſum annulum ſi habeat ſapiens, nihil plus ſibi licere putet peccare, quam ſi non haberet. honeſta enim bonis viris, non occulta quæruntur. Atque hoc loco philoſophi quidam, minime mali illi quidem, ſed [4] non ſatis acuti, fictam, & commentitiam fabulam dicunt prolatam à Platone: quaſi vero ille aut factum id eſſe, aut fieri potuiſſe defendat. Hæc eſt vis hujus annuli, & hujus exempli: ſi nemo ſciturus, nemo ne ſuſpicaturus quidem ſit, cum aliquid divitiarum, potentiæ, dominationis, libidinis cauſa feceris, ſi id Diis, hominibuſque futurum ſit ſemper ignotum, ſiſne facturus? negant id fieri poſſe: [5] quanquam poteſt id quidem. ſed quæro, quod negant poſſe, id ſi poſſet, quidnam facerent? Urgent [6] ruſtice ſane. negant enim poſſe, & in eo perſtant: hoc verbum quid valeat, non vident. Cum enim quærimus, ſi poſſint celare, quid facturi ſint: non quærimus, poſſintne

1 *Palam*] Pundam, vacuum illud in annulo, quo gemma includitur. *Manut.*

2 *In locum*] Id eſt, In ſuum locum. Sic *loco*, pro, ſuo loco Cornif. Lib. 4. ad Herennium: *Hæc res, ſicut in amicitia, ita in dicendo, ſi loco ſit, maxime facit, ut & illi, qui audiunt, à culpa abſint.* *Grav.* Eſt autem annuli *locus*, ut pala extra palmam ſit, atque emineat. Itaque Plato dicit, ἐπίλιθον ἔξω τοῦ σφενδονίου, id eſt, palam annuli extra convertere. *Fabrit.*

3 *Reginæ*] Candaulis, Lydiæ regis, uxori.

4 *Non ſatis acuti*] Ingenio minime perſpicaci. Quippe qui non intelligunt, quam vim, quam moralem interpretationem habeat hæcce fabula Platonica. Exempli gratia enim ſæpe aliquid fingitur, ut exinde alicujus rei eliciatur veritas.

5 *Quanquam poteſt id quidem*] Reſiſtit inſitiationi adverſariorum Cicero, correctione affirmans fieri poſſe, quod illi negabant. *Fabrit.* Ut enim Academicus, dubitanter de providentia, & natura Divina loquitur. *Guilielm.*

6 *Ruſtice*] Id eſt, Obſtinate, ruſticorum more. *Maturant.*

celare;

celare; ſed tanquam tormenta quædam adhibemus, ut, ſi reſponderint ſe, impunitate propoſita, facturos, [1] quod expediat, facinoroſos ſe eſſe fateantur; ſi negent, omnia turpia per ſeipſa fugienda eſſe concedant.

10. Sed jam ad propoſitum revertamur. Incidunt ſæpe multæ cauſæ, quæ conturbent animos utilitatis ſpecie; non, cum hoc deliberetur, relinquendane ſit honeſtas propter utilitatis magnitudinem (nam id quidem improbum eſt) ſed illud, poſſitne id, quod utile videatur, fieri non turpiter. Cum [2] Collatino collegæ Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id injuſte. fuerat enim [3] in regibus expellendis ſocius Bruti, conſiliorum etiam adjutor. cum autem [4] conſilium hoc principes cepiſſent, cognationem Superbi, nomenque Tarquiniorum, & memoriam regni eſſe tollendam: quod erat utile, patriæ conſulere, id erat ita honeſtum, ut etiam [5] ipſi Collatino placere deberet. Itaque utilitas valuit propter honeſtatem, ſine qua [6] ne utilitas quidem eſſe potuiſſet. At [7] in eo rege, qui urbem condidit, non ita. ſpecies enim utilitatis animum pepulit ejus: cui cum viſum eſſet utilius, ſolum, quam cum altero, regnare, fratrem interemit. [8] Omiſit hic & pietatem, & humanitatem, ut id, quod utile videbatur, neque erat, aſſequi poſſet: & tamen [9] muri cauſam oppoſuit, ſpeciem honeſtatis neque probabilem, neque ſatis

1 *Quod expediat*] Quod ſibi profuturum putant, quicquid ad emolumentum, fuamve voluptatem dirigi videatur.

2 *Collatino*] L. Tarquinius Collatinus, Lucretiæ violatæ maritus, in conſulatu Bruti collega, propter Tarquinium nomen, Romanis inviſum, abdicare ſe conſulatu, & in exilium ire juſſus eſt.

3 *In regibus expellendis*] Unicum ſane Regem, Tarquinium nempe Superbum, *actu* expulit Brutus, ſed in poſterum eam penitus ſuſtulit regiminis ſpeciem, quæ Monarchia nuncupatur.

4 *Conſilium hoc cepiſſent*] Publicæ ſecuritatis cauſa: ne vel aliqui è Regia familia ipſi etiam regnum affectarent: vel proditione pulſos Reges in urbem revocarent: vel injuriam majoribus ſuis illatam per occaſionem ulciſcerentur. *muſſ.*

5 *Ipſi Collatino*] Utpote civi patriæ ſtudioſo. *Manut.*

6 *Ne utilitas eſſe potuiſſet*] Non *reala* ſcilicet, ſed tantum *apparens*.

7 *In eo rege, qui urbem condidit, non ita*] Confert inter ſe duo exempla contraria. Brutus, cum Collatinum collegam pelleret, utilitatem ob honeſtatem ſecutus eſt. At vero Romulus, Romæ conditor, in occidendo Remo fratre utilitatis duntaxat rationem habuit.

8 *Omiſit hic pietatem*] Perrupit omnia amoris fraterni vincula.

9 *Muri cauſam oppoſuit*] Edixerat Romulus, ne quis ſua mœnia nova tranſiliret: quorum angustias irridens Remus ludibrio fratris tranſiliit. Qua occaſione, & prætexta uſus eſt Romulus, ut ſub ſpecie juſtitiæ fratrem interficeret.

idoneam.

idoneam. Peccavit igitur, pace [1] vel Quirini, vel Romuli dixerim. [2] Nec tamen noſtræ nobis utilitates omittendæ ſunt, aliiſque tradendæ, cum his ipſi egeamus: ſed ſuæ cuique utilitati, quod ſine alterius injuria fiat, ſerviendum eſt. Scite [3] Chryſippus, ut multa: Qui ſtadium, inquit, currit, eniti, & contendere debet, quam maxime poſſit, ut vincat: [4] ſupplantare eum, quicum certet, aut [5] manu depellere, nullo modo debet. ſic in vita ſibi quemque petere, quod pertineat ad uſum, non iniquum eſt; alteri deripere, jus non eſt. Maxime autem [6] perturbantur officia in amicitiis: quibus & non tribuere, quod recte poſſis, & tribuere, quod non ſit æquum, contra officium eſt. Sed hujus generis totius breve, & non difficile præceptum eſt. quæ enim videntur utilia, honores, divitiæ, voluptates, cætera generis ejuſdem, hæc amicitiæ nunquam anteponenda ſunt. At neque contra jusjurandum, ac fidem amici cauſa vir bonus faciet; ne ſi judex quidem erit de ipſo amico. [7] ponit enim perſonam amici, cum induit judicis. Tantum dabit amicitiæ, ut veram amici cauſam eſſe malit, ut orandæ liti [8] tempus, quoad per leges liceat, accommodet. cum vero [9] jurato ſententia

1 *Vel Quirini, vel Romuli*] Ex rim ſupplicantium, qui, ne in nomine errarent, plura ſolent enunciare. Sic Hor.

Sive te Lucina probas vocari,
Seu Genitalis. Lang.

Poſt mortem Romulus, quem inter Deos receptum fingunt, Quirinus vocabatur. Unde Quirites dicti ſunt Romani.

2 *Nec tamen noſtra*] Quaſi dixerat, Non ſuam cuique rem negligendam eſſe præcipio, quum nemini fraudem, aut injuriam fieri jubeo. *Wolf.*

3 *Chryſippus*] Stoicorum facile princeps, adeo in Dialectica inſignis, ut plerique dicerent, Si apud Deos uſus eſſet Dialecticæ, non futuram aliam, quam Chryſippeam. *Manutius.*

4 *Supplantare*] Hoc verbum Nonius ſcribit dictum eſſe, quaſi pedem ſupponere. Græce ὑποσκελίζειν dicunt. Locum illuſtrat Seneca Lib. 2 Epiſt. *Ille, qui ſupplantatus adverſarium vero tulit corpore, nec projecit animum projectus. Fabrit.*

5 *Manu depellere*] Idas tamen apud Statium Parthenopæum arreptum capillis proſtravit, & ita curſu ſuperavit. *Lang.* Hac ſimilitudine oſtendit Chryſippus, nihil vel dolo, vel vi faciendum eſſe.

6 *Perturbantur officia*] Id eſt, Propter amicos plurimum delinquitur. *Wolf.*

7 *Ponit enim perſonam amici*] Quod non fecit Chilon, qui amicum, in quem judex ſedebat, damnavit quidem ipſe, ſed aliis judicibus perſuaſit, ut eum abſolverent. De quo vide Gellium Lib. 1. Noct. Attic. cap. 3. *Grav.* Metaphora eſt ab Hiſtrionibus ſumpta, qui modo hanc, modo illam perſonam induunt.

8 *Tempus, quoad per leges liceat*] Communior ſententia de clepſydratum numero hunc locum exponit. Malo tamen illis ſubſcribere, qui de ampliatione, hoc eſt, de prorogando tempore ſententiam pronunciandi, intelligendum volunt. Juxta Alconium, viginti dies accuſatori, totidemque defenſori dabantur.

9 *Jurato*] In ſingulis cauſis apud Romanos Prætor, poſtquam judices ſortitus erat,

dicenda ſit, meminerit, Deum ſe [1] adhibere teſtem, id eſt (ut arbitror) [2] mentem ſuam, qua nihil homini dedit Deus ipſe [3] divinius. Itaque præclarum à majoribus accepimus morem rogandi judicis ([4] ſi eum teneremus) quæ [5] ſalva fide facere poſſit. Hæc rogatio ad ea pertinet, quæ paulo ante dixi honeſte amico à judice poſſe concedi. nam, ſi omnia facienda ſint, quæ amici velint, non amicitiæ tales, ſed conjurationes putandæ ſunt. Loquor autem de communibus amicitiis, nam in ſapientibus viris, perfectiſque [6] nihil poteſt eſſe tale. [7] Damonem, & Phintiam, Pythagoreos, ferunt [8] hoc animo inter ſe fuiſſe, ut, cum eorum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinaviſſet, & is, qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies [9] commendandorum ſuorum cauſa poſtulaviſſet, [10] vas [11] factus eſt alter ejus ſiſtendi, ut, ſi ille non revertiſſet, moriendum eſſet ipſi. qui cum ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem tyrannus petivit, ut ſe ad amicitiam tertium adſcriberent. Cum igitur id, quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honeſtum eſt, comparatur, [12] jaceat utilitatis ſpecies, valeat honeſtas. cum autem in amicitia, quæ honeſta non ſunt, poſtulabuntur, reli-

erat, eos adigebat, ut ex animo, ſecundum leges, & æquitatem, non præ amicitia, odio, aut ullo partium ſtudio ſententiam ſe pronuntiaturos jurarent.

1 *Adhibere teſtem*] Hoc eſt, Sententiæ ſuæ, quam juratus dicat, teſtem adjungere. *Fabrit. Teſtem*, id eſt, Conſcium: nec conſcium tantum, ſed etiam vindicem. *Wolf.*

2 *Mentem ſuam*] Mens, anima, ſive conſcientia noſtra, ſecundum veteres, eſt quaſi Numen quoddam pectoribus inſitum. Hinc Atheos myſtice vocavit Plato, qui Deum in ipſis habitantem, id eſt, rationem, corrumpunt, & vitiorum ſuorum contubernio polluunt.

3 *Divinius*] Hinc Horatius mentem *divina particulam aura* vocat. *Wolf.*

4 *Si eum teneremus*] Si morem illum obſervare vellemus: ſi non propter ſæculi corruptelam exoleviſſet.

5 *Salva fide*] Juramento non violato.

6 *Nihil poteſt eſſe tale*] Homines enim perfecta ſapientia præditi honeſta ſola ab amicis petunt, nec, niſi honeſta petentibus, favent.

7 *Damonem, & Phintiam*] Nobile amicorum par, quos ſæpe antiqui celebrant ſcriptores.

8 *Hoc animo inter ſe fuiſſe*] Ut dicimus, *nevimus inter nos, amant inter ſe*, id eſt, alter alterum: ita hic dictum eſt, *hoc animo inter ſe fuiſſe*, pro, utrumque in alterum. *Eraſm.*

9 *Commendandorum ſuorum cauſa*] Ut amicis ſuos commendaret. *Manut. Commendare* idem eſt, quod *valedicere. Gifan.*

10 *Vas*] Hanc vocem ſic definit Feſtus: Vas eſt ſponſor in re capitali.

11 *Factus eſt ejus ſiſtendi*] Id eſt, Seſe obtulit, ut amici perſonam repræſentaret, idem ſupplicium ſubiturus, ſi non in diem compareat.

12 *Jaceat*] Negligatur, pro nihilo habeatur utilitatis umbra; colatur, & ei longe anteponatur honeſtas.

gio,

gio, & fides anteponatur amicitiæ: ſic [1] habebitur is, quem exquirimus, delectus officii.

11. Sed utilitatis ſpecie in repub. ſæpiſſime peccatur; ut [2] in Corinthi diſturbatione noſtri. durius etiam Athenienſes, [3] qui ſciverunt, ut Æginetis, qui claſſe valebant, pollices præciderentur. hoc viſum eſt utile. nimis enim imminebat, propter propinquitatem, [4] Ægina [5] Piræeo: ſed nihil, quod crudele, utile. eſt enim [6] hominum naturæ, quam ſequi debemus, maxime inimica crudelitas. Male etiam, qui peregrinos [7] urbibus uti prohibent, eoſque [8] exterminant, ut Pennus apud patres noſtros, Papius nuper. Nam [9] eſſe pro cive, qui civis non ſit, rectum eſt non licere: quam tulerunt legem ſapientiſſimi conſules, Craſſus, & Scævola: uſu vero urbis prohibere peregrinos, ſane [10] inhumanum eſt. Illa præ-

1 *Habebitur delectus officii*] Id eſt, Si religionem, fidemque tenaces ſervabimus, quoties utile cum honeſto pugnare videbitur, verum officium deligere facile cognoſcemus.

2 *In Corinthi diſturbatione noſtri*] In Corintho delenda falſa utilitatis ſpecies Romanos ſeſellit. *Eraſm.*

3 *Qui ſciverunt*] Qui legem ſanxerunt, ut Æginetarum, tanquam navigandi peritorum, amputarentur pollices, ne remos impellere poſſent.

4 *Ægina*] Inſula in ſinu Saronico è regione Atticæ.

5 *Piræeo*] Athenarum portui, & Emporio.

6 *Hominum natura inimica*] Vel, aliena ab humanitate: vel, hominibus perniciosa, qui atrocibus ſuppliciis ad paucitatem rediguntur. *Wolf.* Homines ad mutuum amorem, auxiliumque nati ſunt. Cum vero in ſe invicem ſæviunt, in feras degenerantes humanitatem exuunt. Optime Seneca de Clementia: *Ferina rabies eſt, ſanguine gaudere, ac vulneribus, & abjecto homine, in ſylveſtre animal tranſire.*

7 *Urbibus uti*] Vel, ne in eas veniant, vel, ſedem, & domicilium ibi collocent. *Wolf.*

8 *Exterminant*] E finibus ſuis ejiciunt. *Eraſm.* Nos in hac Repub. non modo peregrinos non exterminamus, ſed à religione noſtra averſos, hoc eſt, hoſtes publicos, Judæos, perjurii damnatos, monetarios etiam civitate impertimur. *Lang.* Caute agitur, Langi:

—— Quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos.

Eodem honore, quo vos Judæos, nos etiam Rebelles Fugitivorum Hugenottarum greges ſuis Regibus longe humaniores proſequimur.

9 *Eſſe pro cive*] Jus civitatis uſurpare, petere honores, & eadem omnia, quæ civibus permiſſa ſunt, licere ſibi velle. *Wolf.* Apud Romanos non poterant peregrini frui jure Quiritium, hoc eſt, ex teſtamento civis Romani legata capere, aut hæredem eſſe, aut filiam ducere, aut honores ambire. Apud Athenienſes peregrinitatis reus, qui fraude, & malis artibus ſibi jus civitatis arrogarat, vendebatur pro mancipio. *Grav.*

10 *Inhumanum eſt*] Semper enim in humanitatis officiis numeratum eſt, admittere, & benigne habere peregrinos. Contra, decretum Achæorum, quo finibus ſuis interdixerunt Macedonibus, *execrabilis deſertis juris humani* vocatur apud Livium. *Grav.* De urbe tamen Lycurgus peregrinos lege ejecit, cum ob factionum periculs, tum ne externis ſe moribus oblineret populus. *Lang.* Quanto majori cum ſagacitate in iſta agitur Republica, ubi Indigenæ, imo PATRIÆ PATRES, in capitale diſcrimen adducti, in exilium propelluntur, Alienigenæ ſummis dignitati-

clara, in quibus publicæ utilitatis ſpecies præ honeſtate contemnitur. Plena exemplorum eſt noſtra reſpub. cum ſæpe, tum maxime bello Punico: quæ, [1] Cannenſi calamitate accepta, majores animos habuit, quam unquam rebus ſecundis. nulla timoris ſignificatio, nulla mentio pacis. tanta vis eſt honeſti, ut ſpeciem utilitatis obſcuret. Athenienſes cum Perſarum impetum nullo modo poſſent ſuſtinere, ſtatuerentque, ut, urbe relicta, conjugibus, & liberis [2] Troezene depoſitis, [3] naves conſcenderent, libertatemque Græciæ claſſe defenderent, Cyrſilum quendam, ſuadentem, ut in urbe manerent, Xerxemque reciperent, [4] lapidibus obruerunt. Atque ille utilitatem ſequi videbatur: ſed ea nulla erat, repugnante honeſtate. Themiſtocles [5] poſt victoriam ejus belli, quod cum Perſis fuit, dixit in concione, ſe habere conſilium reip. ſalutare, ſed [6] id ſciri opus non eſſe. poſtulavit, ut aliquem populus daret, quicum communicaret; datus eſt Ariſtides. Huic ille, claſſem Lacedæmoniorum, quæ ſubducta eſſet ad [7] Gytheum, clam incendi poſſe: quo facto frangi Lacedæmoniorum opes neceſſe eſſet. Quod Ariſtides cum audiſſet, in concionem magna expectatione venit: dixitque, perutile eſſe conſilium, quod Themiſtocles afferret, ſed [8] minime honeſtum. Itaque Athenienſes, quod honeſtum non eſſet, id ne utile quidem putaverunt: totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Ariſtide, re-

bus, honoribuſque tantum non Divinis afficiuntur!

1 *Cannenſi calamitate*] A Cannis, vico Apuliæ, ubi Paulus Æmilius fuit cum innumerabili civium, & ſociorum Romanorum multitudine cæſus. *Eraſm.*

2 *Troezene*] Urbe Peloponneſi in ſinu Argolico. *Eraſm.*

3 *Naves conſcenderent*] Suadente Themiſtocle, qui, cum oraculum ſciſcitantibus Athenienſibus reſponſum eſt, ſe tutos eſſe poſſe, ſi ſalutem ſuam muris ligneis committerent, claſſem paſſandam eſſe interpretatus eſt.

4 *Lapidibus obruerunt*] Sic ſic accipiendi erant, qui nunc Tyrannis Noſtris omnia vel turpiſſima ſuadent, modo quæſtuoſa. *Eraſm.*

5 *Poſt victoriam*] Apud Inſulam Salaminem partam.

6 *Id ſciri opus non eſſe*] Quia difficulter tacetur, quod plures norunt. *Wolf.* Id impleri non poſſe, niſi eſſet quam occultiſſimum. *Maturant.*

7 *Gytheum*] Nobile Lacedæmoniorum navale.

8 *Minime honeſtum*] Primum, quia ſocietatis fides violata fuiſſet: deinde, quod fraude, & inſidiis petere adverſarios, alienum erat magnitudine animorum, qua tum Athenienſes gloriabantur. *Wolf.*

pudiaverunt.

pudiaverunt. Melius hi, quam nos, qui [1] piratas immunes, [2] ſocios vectigales habemus.

12. [3] Maneat ergo, quod turpe ſit, id nunquam eſſe utile: ne tum quidem, cum id, quod eſſe utile putes, adipiſcare. Hoc enim ipſum [4] utile putare, quod turpe ſit, calamitoſum eſt. Sed incidunt (ut ſupra dixi) ſæpe cauſæ, cum repugnare utilitas honeſtati videatur, ut animadvertendum ſit, repugnetne plane, an poſſit cum honeſtate conjungi. Ejus generis hæ ſunt quæſtiones: Si (exempli gratia) vir bonus [5] Alexandria Rhodum magnum frumenti [6] numerum advexerit in Rhodiorum inopia, & fame, ſummaque annonæ caritate: ſi idem ſciat, complures mercatores Alexandria [7] ſolviſſe, naveſque in curſu frumento onuſtas, petentes Rhodum, viderit, dicturuſne ſit id Rhodiis, an ſilentio ſuum quam plurimo venditurus? Sapientem, & bonum virum fingimus: de ejus deliberatione, & conſultatione quærimus: qui celaturus Rhodios non ſit, ſi id turpe judicet, ſed dubitet, an turpe non ſit. In hujuſmodi cauſis aliud Diogeni Babylonio videri ſolet, magno, & gravi Stoico, aliud Antipatro, diſcipulo ejus, homini acutiſſimo. Antipatro omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor noverit, emptor ignoret: Diogeni venditorem, [8] quatenus jure civili conſtitutum ſit, dicere vitia oportere, cætera ſine infidiis agere, &, quoniam vendat, velle quam optime ven-

1 *Piratas immunes*] Notatur Pompejus, quod ex piratis à ſe victis aliquot millia per colonias diviſit. *Eraſm.* Hoc Pompejo Cæſar objicit apud Lucanum Lib. I.

An melius fient, pirata, Magne, colani?

2 *Socios vectigales*] Notatur Cæſar, qui Campanorum agros diſtribuit militibus. *Eraſm.* Videntur potius hic intelligi Maſſilienſes, & Delotarus rex Gallo-Græciæ, aliique, qui cum Pompejo ſenſerant, & à Cæſare victore aut libertate privati, aut tributo onerati erant. *Gronov.*

3 *Maneat ergo*] Id eſt, Concludamus igitur, utilitatis ſpeciem, cum honeſto pugnantem, nunquam revera utilem fore, licet emolumentum propoſitum adipiſcamur.

4 *Utile putare, quod turpe ſit, calamitoſum*] Sicuti vera felicitas, & ſummum bonum in animi moribus ad honeſtatem compoſitis conſiſtit, & in virtute: ita vera miſeria, ac calamitas extrema hominum in turpitudine. vide Ariſtot. 1. ad Nicom. 10. *Gron.*

5 *Alexandria*] Ægypti Metropoli, ab Alexandro magno condita.

6 *Numerum*] Quantitatem, copiam, abundantiam.

7 *Solviſſe*] *Solvere* eſt, ſolutis anchoris navigationi ſe committere: cui opponitur *appellere*. *Manut.*

8 *Quatenus jure civili*] *Jus civile* apud Ciceronem non tam late patet, quam *jus Naturæ, & gentium*: ſed reſtringendum eſt ad leges XII. tabularum. Idem itaque ſonat, quod *jus municipale*, ſive (ut vulgo loquimur) *commune*.

dere. [1] Advexi, expoſui, vendo meum non pluris, quam cæteri, fortaſſe etiam minoris, cum major eſt copia. cui fit injuria? Exoritur Antipatri [2] ratio ex altera parte: Quid ais? tu cum hominibus conſulere debeas, & ſervire humanæ ſocietati, eaque lege natus ſis, & [3] ea habeas principia naturæ, quibus parere, & quæ ſequi debeas, ut utilitas tua communis utilitas ſit, viciſſimque communis utilitas tua ſit, celabis homines, quid iis adſit commoditatis, & copiæ? Reſpondebit Diogenes fortaſſe ſic: Aliud eſt [4] celare, aliud tacere: neque ego nunc te celo, ſi tibi non dico, quæ natura Deorum ſit, quis ſit finis bonorum, quæ tibi plus prodeſſent cognita, quam tritici utilitas: ſed non, quidquid tibi audire utile eſt, id mihi dicere neceſſe eſt. Imo vero (inquiet ille) neceſſe eſt, ſi quidem meminiſti eſſe inter homines natura conjunctam ſocietatem. Memini, inquiet ille, ſed num iſta ſocietas talis eſt, ut nihil ſuum cujuſque ſit? quod ſi ita eſt, ne vendendum quidem quidquam eſt, ſed donandum.

13. Vides in hac tota diſceptatione non illud dici, quamvis hoc turpe ſit, tamen, quoniam expedit, faciam: ſed ita expedire, ut turpe non ſit: ex altera autem parte; ea re, quia turpe ſit, non eſſe faciendum. Vendat ædes vir bonus propter aliquâ vitia, quæ ipſe norit, cæteri ignorent: peſtilentes ſint, & habeantur ſalubres: ignoretur in omnibus cubiculis apparere ſerpentes: [5] male materiatæ, ruinoſæ: ſed hoc præter dominum nemo ſciat. quæro, ſi hoc emptoribus venditor non dixerit, ædeſque vendiderit pluris multo, quam ſe venditurum putarit, num id injuſte, an improbe fecerit? [6] Ille vero, inquit Antipater. Quid enim eſt

1 *Advexi*] Per Proſopopœiam inducit Cicero Diogenem, ſeu forſan mercatorem quendam, his verbis ratiocinantem.

2 *Ratio ex altera parte*] Validior eſt Antipatri argumentatio. Diogenis enim à jure civili ſumitur: hujus vero à jure naturali. Naturalis autem ratio poſtulat, ut communi hominum utilitati, poſthabita privata, conſulamus.

3 *Ea habeas principia naturæ*] Hoc eſt, Id te natura tua doceat, ut nihil putemus nobis utile, quod aliis noceat: aliter violari jus humanæ ſocietatis, ad quod colendum nati ſimus. *Grav.*

4 *Celare*] Philoſophus per hanc vocem videtur velle, dolo aliquid ſubticere.

5 *Male materiata*] Hoc eſt, Mala materiâ conſtructæ: videlicet calce reſolubili, lapide fragili, lignis putridis. *Manutius.*

6 *Ille vero*] Hoc eſt, Certe improbe fecerit. *Grav.*

aliud,

aliud, erranti viam non monſtrare (quod [1] Athenis [2] execrationibus publicis ſanctum eſt) ſi hoc non eſt, emptorem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? plus etiam eſt, quam viam non monſtrare. nam eſt [3] ſcientem in errorem alterum inducere. Diogenes contra: Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem eſt? ille, quod non placebat, [4] proſcripſit: tu, quod placebat, emiſti. quod ſi qui proſcribunt, [5] villam bonam, beneque ædificatam, [6] non exiſtimantur fefelliſſe, etiam ſi illa nec bona eſt, [7] nec ædificata ratione; multo minus, qui domum non laudarunt. [8] Ubi enim judicium emptoris eſt, ibi fraus venditoris quæ poteſt eſſe? ſin autem dictum non omne præſtandum eſt, quod dictum non eſt, id præſtandum putas? Quid vero eſt ſtultius, quam venditorem ejus rei, quam vendat, vitia narrare? quid autem tam abſurdum, quam ſi domini juſſu [9] ita præco prædicet? Domum peſtilentem vendo. Sic ergo in quibuſdam cauſis dubiis ex altera parte defenditur honeſtas, ex altera ita de utilitate dicitur, ut id, quod utile videatur, non modo facere honeſtum ſit, ſed etiam [10] non facere turpe. Hæc eſt illa, quæ videtur utilium fieri cum honeſtis ſæpe, diſſenſio. Quæ dijudicanda ſunt. non enim, [11] ut quæ-

1 *Athenis*] Apud hanc urbem ſacerdotes eorum capita publice diris omnibus devovebant, qui erranti viam monſtrare recuſarunt.

2 *Execrationibus publicis*] De quibus vide Plutarch. & Corn. Nep. in Vita Alcibiadis.

3 *Scientem*] Conſulto, & voluntarie.

4 *Proſcripſit*] *Proſcribere* eſt, palam, ac publice propoſito libello, aut præconis voce, vendendum aliquid ſignificare.

5 *Villam bonam, beneque ædificatam*] Verba ſunt libelli, in quo proponuntur ædes vendendæ.

6 *Non exiſtimantur fefelliſſe*] Non judicantur quoad jus civile emptorem dolo malo circumveniſſe. Nam (ut aiunt Jurisconſulti] *Simplex commendatio non obligat.*

7 *Nec ædificata ratione*] Nec affabre extructa, nec bene materiata; ſed male facta, ſed ruinoſa.

8 *Ubi judicium emptoris eſt*] Ad Elenchum huncce reſpondendum eſt, quod licet non decipitur emptor, ubi judicium à venditore ipſi in re omnino manifeſta eſt relictum; ſi tamen vitia occulta reticeantur, omnino à venditore emptor turpiter circumvenitur. *Rachel.*

9 *Ita præco prædicet*] Etſi neceſſum non eſt, ut ipſa proſcriptio, vel proclamatio rei venalis vitia contineat; emptori tamen illa reticeri non debent, ſi lateant. Nefas ſane non eſt etiam vitioſam rem vendere, ſi modo emptor de rei vitio monitus fuerit. *Rachel.*

10 *Non facere turpe*] Turpe eſt, quidquid virtuti repugnat. Ut contra juſtitiam agit, qui aliquem circumvenit; ſic contra prudentiam, qui rationibus ſuis, nemini injuria illata, conſulere negligit.

11 *Ut quæreremus*] Ut quæſtionem in medio non explicatam relinqueremus. *Manut.* Quaſi dicat, Hactenus Academicum egi, nunc Stoico more pronuntiandum eſt. *Wolf.*

reremus,

reremus, expoſuimus, ſed, ut explicaremus. Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodios, nec hic ædium venditor celare emptores debuiſſe. Neque enim id eſt celare, quidquid reticeas: ſed cum, quod tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſa velis eos, quorum interſit id ſcire. Hoc autem celandi genus quale ſit, & cujus hominis, quis non videt? certe non aperti, non ſimplicis, non ingenui, non juſti, non viri boni; [1] verſuti potius, [2] obſcuri, [3] aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, [4] veteratoris, vafri. hæc tot, & alia plura nonne inutile eſt [5] vitiorum ſubire nomina?

14. Quod ſi vituperandi ſunt, qui reticuerunt, quid de iis exiſtimandum eſt, qui [6] orationis vanitatem adhibuerunt? C. Canius, eques Romanus, nec infacetus, & ſatis literatus, cum ſe Syracuſas otiandi (ut ipſe dicere ſolebat) non negotiandi cauſa, contuliſſet, dictitabat, ſe hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, & ubi ſe oblectare ſine [7] interpellatoribus poſſet. quod cum percrebuiſſet, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracuſis, venales quidem ſe hortos non habere, ſed licere uti Canio, ſi vellet, ut ſuis: & ſimul ad cœnam hominem in hortos invitavit in poſterum diem. cum ille promiſiſſet, tum Pythius, qui eſſet (ut argentarius) apud omnes ordines gratioſus, piſcatores ad ſe convocavit, & ab his petivit, ut ante ſuos hortulos poſtridie piſcarentur, dixitque, [8] quid eos facere vellet. Ad cœnam tempore venit Canius: [9] opipare à Pythio

1 *Verſuti*] *Verſutus* eſt, cujus mens crebro ad malitiam vertitur, auctore Feſto.

2 *Obſcuri*] Qui perplexa, æquivocaque utitur oratione, ut animi ſenſus perſpici non poſſit.

3 *Aſtuti*] Ab ἕστια, quod ſignificat *oppidum*: in quo qui verſantur aſſidue, cauti, atque acuti eſſe videntur. *Maturant.*

4 *Veteratoris*] *Veteratus* dictus eſt à multa rerum gerendarum vetuſtate, ut placet Feſto.

5 *Vitiorum ſubire nomina*] Antipatri igitur ſententiam probat Cicero, dum mercatoris, & ædium venditoris diſſimulationem tam graviter accuſat. *Rachel.* Hanc quæſtionem decidit ſecundum Stoicorum dogmata, ſed illum rigorem à communi vitæ conſuetudine alienum eſſe Cicero ipſe non uno loco ait. *Grav.*

6 *Orationis vanitatem adhibuerunt*] Falſum dixerunt. *Manut. Vanitatem* dixit, ut pugnet cum veritate; cum vulgo putemus *vanitatem* eſſe jactantiam; fortaſſis ob id, quod fere mentiuntur multa glorioſuli. *Eraſm.*

7 *Interpellatoribus*] *Interpellator* is eſt, qui dicenti, facientique aliquid impedimento eſt. *Maturant.*

8 *Quid eos facere vellet*] Ut ſcilicet ante ſuos pedes captos piſces projicerent. *Idem.*

9 *Opipare*] Abundanter, copioſe, ab *ope*, & *paro*: unde *opiparum apparatum* dicit Feſtus, magnarum opum apparatum. *Idem.*

apparatum

apparatum convivium: cymbarum ante oculos multitudo. [1] pro se quisque, quod ceperat, afferebat: ante pedes Pythii pisces abjiciebantur. Tum Canius, Quæso, inquit, quid est hoc, Pythi, tantumne piscium, tantumne cymbarum? Et ille, Quid mirum? inquit, [2] hoc loco est, Syracusis quidquid est piscium: hic aquatio: hæc villa isti carere non possunt. Incensus Canius cupiditate contendit à Pythio, ut venderet. [3] Gravate ille primo. quid multa? impetrat, emit homo cupidus, & locuples tanti, quanti Pythius voluit, & emit [4] instructos: [5] nomina facit, negotium conficit. invitat Canius postridie familiares suos. venit ipse mature. scalmum nullum videt. quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quod eos nullos videret. Nullæ, quod sciam, inquit ille: sed hic piscari nulli solent. itaque heri mirabar, quid accidisset. [6] Stomachari Canius. Sed quid faceret? nondum enim [7] Aquilius, collega, & familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas: in quibus ipsis cum ex eo quæreretur, quid esset dolus malus: respondebat, cum esset aliud [8] simulatum, aliud actum. Hoc quidem sane luculenter, ut ab homine perito definiendi. Ergo & Pythius, & omnes aliud agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi sunt. Nullum igitur factum eorum potest utile esse, cum sit tot vitiis inquinatum.

15. Quod si Aquiliana definitio vera est, ex omni vita

1 *Pro se quisque*] Id est, Pro sua virili parte. Sic Virgil. *Pro se quisque viri. Grav.*

2 *Hoc loco*] Attulerant secum pisces: nec falso Pythius dixerat, *hoc loco* esse, Syracusis quicquid esset piscium. Sed fraus fuit in demonstratione: *hoc loco* non est, in hac piscina, sed in his scaphis, aut cymbis. *Lang.*

3 *Gravate*] Id est, Speciem præ se tulit vendere nolentis.

4 *Instructos*] Videlicet hortulos cum supellectili, & omni instrumento, atque apparatu. *Maturant.* Quibus nihil, quod usui, & ornamento sit, deesset. *Manut.*

5 *Nomina facit*] Hoc est, Canius scribit, & in tabulas refert, se Pythio propter hortorum venditionem certam pecuniam debere, atque ita scriptura se venditori obligat. *Fabrit. Nomina facit*, qui se debitorem constituit: unde & bonæ fidei debitores bona *nomina* dicuntur. *Erasm.*

6 *Stomachari*] Indignatus est, quum se deceptum esse suboluit.

7 *Aquilius collega*] Fuit Ciceronis collega in prætura, vir jurisprudentia insignis, Mutii Scævolæ Pont. Max. discipulus, quem Cicero multis in locis prædicat. *Grav.*

8 *Simulatum*] Hoc autem ad eam simulationem restringendum videtur, quæ cum malitia, & fraudandi alterum intentione conjungitur. Datur enim simulatio sine dolo malo, qua, ad res nostras ab improbis tuendas, sæpè etiam alias ob causas, honeste uti conceditur.

simulatio,

ſimulatio, diſſimulatioque [1] tollenda eſt. ita nec, ut emat melius, nec, ut vendat, quidquam ſimulabit, aut diſſimulabit vir bonus. Atque iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus (ut [2] tutela XII tabulis, & [3] circumſcriptio adoleſcentium lege Lætoria) & [4] ſine lege judiciis, in quibus additur, [5] ex fide bona agitur. Reliquorum autem judiciorum hæc verba maxime excellunt, [6] in arbitrio rei uxoriæ, melius æquius: in [7] fiducia, ut inter bonos bene agier. Quid ergo? aut in eo, quod melius æquius, poteſt ulla pars ineſſe fraudis? aut, cum dicitur, [8] inter bonos bene agier, quidquam agi doloſe, aut malitioſe poteſt: Dolus autem malus ſimulatione, ut ait Aquilius, continetur. tollendum eſt igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. Non [9] licitatorem venditor, [10] nec, qui contra ſe liceatur, emptor

1 *Tollenda eſt*] Simulatio nimirum, quæ ſit dolo malo, alterius lædendi cauſa. Si is dolus abeſt, & ſimulatur, aut diſſimulatur, aut ut nobis ipſi ſine alterius detrimento, aut ut aliis, aut Reipub. proſimus, licitum utique eſt. Vide de his diſputantem Grotium Lib. 3. de Jure Belli, & Pacis cap. 1. necnon Pufendorfium de Jure Naturæ, & Gentium Lib. 4. cap. 1. *Grav.*

2 *Tutela* XII. *tabulis*] Id eſt, Tutorem, ſi pupilli bona in ſe doloſe tranſtuliſſet, etiam ante formulam Aquilianam puniebant leges XII tabulis inſcriptæ.

3 *Circumſcriptio adoleſcentium*] Id eſt, Si quis adoleſcentes decepiſſet, atque *in fraudem illexiſſet*, ut ait Terentius. *Wolf.*

4 *Sine lege judicia*] Intelligit ea judicia, quæ non deſcendunt ex 12 tabulis, aut lege per populum lata, ſed in quibus prætor ſupplet, quod deeſt juri civili. *Gronov.*

5 *Ex fide bona*] Convenientiſſime hanc formulam interpretatur Paulus, quando dicit bonam fidem eſſe contrariam fraudi, & dolo. *Rachel.*

6 *In arbitrio rei uxoriæ*] Adfertur alia formula, in rei uxoriæ arbitrio uſurpata, qua omnis inhoneſte lucrum captandi ratio, ac techna excluditur. Eſt vero uxoriæ rei actio, quoties poſt divortium de dote contentio eſt. Dos enim licet, matrimonio conſtante, in bonis viri ſit, eſt tamen in uxoris jure, & poſt divortium, tanquam res uxoria, peti poteſt. *Idem.*

7 *Fiducia*] Hæc vox accipitur pro pignore, quod creditori mancipatur, aut in jure ceditur, ea lege, ut, ſoluta ad diem pecunia, remancipetur; non ſoluta, creditori pleno jure committatur. *Idem.*

8 *Inter bonos bene agier*] Verba ſunt ſolennia, quibus in negotiis fiduciæ utebantur. *Eraſm.*

9 *Licitatorem*] *Licitator* eſt, qui ſubornatus venditori ſervit, pretiumque rei vendendæ auget. *Grav.* Solent interdum venditores in auctionibus *licitatorem* aliquem *apponere*, qui ſe emere velle ſimulet, & pluris liceatur ea, quæ venum expoſita ſunt, quam quanti ſunt, ut eo modo cæteri emptores inducantur. *Muret.*

10 *Nec, qui contra ſe liceatur, emptor apponet*] Qui contra licentur, augent pretium, & efficiunt, ut carius venditur, aut conducatur. Emptor autem cur, quæſo, quemquam, *qui contra ſe liceatur*, apponat? Id enim ſi faciat, obſtabit ſibi: neque hoc dubium eſt, quin qui emere aliquid vult, illud potius optare debeat, ut nemo, qui contra liceri velit, reperiatur. Quare ſi, qui contra ſe liceatur, apponat, non ſibi conſulet, ſed venditori. Legendum itaque eſt, *qui contra aſſe liceatur*. Ut enim venditor doloſe apponit, qui pluris liceantur, ita emptor, qui minoris; ut ſibi

facilius

apponet: uterque, [1]si ad eloquendum venerit, [2]non plus, quam ſemel eloquetur. Q. quidem Scævola, P. filius, cum poſtulaſſet, ut ſibi fundus, cujus emptor erat, [3]ſemel indicaretur, idque venditor ita feciſſet, dixit, ſe pluris æſtimare: addidit centum millia. nemo eſt, qui hoc boni viri fuiſſe neget, ſapientis negant. [4]ut, ſi minoris, quam potuiſſet, vendidiſſet. [5]Hæc igitur eſt illa pernicies, quod alios bonos, alios [6]ſapientes exiſtimant. ex quo Ennius: Nequicquam ſapere ſapientem, qui ſibi ipſe prodeſſe non quiret. Vere id quidem, ſi, quid eſſet prodeſſe, mihi cum Ennio conveniret. Hecatonem quidem Rhodium, diſcipulum Panætii, video in iis libris, quos de officiis ſcripſit Q. Tuberoni, dicere, Sapientis eſſe, nihil contra mores, leges, inſtituta facientem, habere rationem rei familiaris. neque enim ſolum nobis divites eſſe volumus, ſed liberis, propinquis, amicis, maximeque reipublicæ. ſingulorum enim facultates, & copiæ, divitiæ ſunt civitatis. Huic Scævolæ factum (de quo paulo ante dixi) placere nullo modo poteſt. etenim omnino tantum ſe negat facturum [7]compendii ſui

facilius res addicatur. *Aſſem* autem pro minimo pretio veteres ſæpe dicebant: eoque nomine in rebus extenuandis, & abjiciendis utebantur. Sic Catullus: *Omnes unius æſtimemus aſſis.* Et Horatius: *In triviis fixum cur ſi demittit ob aſſem.* *Aſſe* igitur licere eſt, pretium rei extenuare, & abjicere; quod qui faciat, ſi emptor apponat, improbe cum facturum Cicero putat. Hæc Muretus: quæ ſunt certiſſima. Emptor cum apponit in auctione, qui rem à venditore indicatam viliſſimo pretio licetur, tanquam res eſſet parvi æſtimanda, is ſane ſæpe cauſa eſt, ut minori pretio quid vendatur, cum emki perſuadeantur, non tanti rem eſſe, quin tanti vile pro ea pretium offeratur. *Gron.*

1 *Si ad eloquendum venerit*] Si pacifcatur pretium pro mercibus perſolvendum.

2 *Non plus, quam ſemel, eloquetur*] Hoc eſt, Simpliciter dicant animi ſententiam. *Maturant.* Venditor quam minimum rei pretium ſtatuit. Emptor quoque in dictum pretium, exteris paribus, conſentiat; nec ambagibus, aut tergiverſationibus, aut illuſionibus venditorem circumſcribere ſtudeat. *Rachel.*

3 *Semel indicaretur*] Id eſt, Ut uno verbo abſque ullis ambagibus fundi pretium patefieret. *Maturant.* Ut ſtatim ſummum pretium eloqueretur. *Indicari* dixit pro, *æſtimari.* *Eraſm.*

4 *Ut, ſi minoris*] Id eſt, Quemadmodum negarent, ſi proprium fundum minoris vendidiſſet, quam poſſet. *Maturant.* *Ut* hic habet ſignificationem exempli. Confert enim factum cum facto. Qui pluris emit, cum licuiſſet minoris emere, vir bonus eſt judicatur, at non ſapiens. *Ut*, hoc eſt, Perinde eſſet, ſi minoris vendidiſſet, quod potuiſſet pluris vendere. *Eraſm.*

5 *Hæc igitur eſt*] Hinc illa peſtis humanæ ſocietatis nata eſt, quod diſtinguuntur boni, ſapientesque, quos nullo diſcrimine conjunxerat Natura.

6 *Sapientes*] Ii vulgo *ſapientes* perhibentur, qui ſunt ad rem ſuam attenti, ſuorum commodorum ſtudioſi.

7 *Compendii ſui cauſa, quod non liceat*] Quaſi diceret, utilitatis ſuæ gratia eum dolum, quem leges non vindicant, licere interponere. Sed *augeſtæ imbecillitatis eſt, ad legem bonum eſſe*, ut ait Seneca de Ira Lib. 2. cap. 27. *Gronov.*

cauſa, quod non liceat. [1] Huic nec laus magna tribuenda, nec gratia eſt. Sed ſive [2] ſimulatio, & diſſimulatio dolus malus eſt; perpaucæ res ſunt, in quibus dolus iſte malus non verſetur: ſive vir bonus eſt is, qui prodeſt, quibus poteſt, nocet nemini, certe iſtum virum bonum non facile reperiemus. Nunquam igitur eſt utile peccare, quia [3] ſemper eſt turpe: &, quia ſemper eſt honeſtum, virum bonum eſſe, ſemper eſt utile.

16. Ac de jure quidem prædiorum ſancitum eſt apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quæ nota eſſent venditori. Nam, cum ex XII tabulis ſatis eſſet [4] ea præſtari, quæ eſſent [5] lingua nuncupata, quæ qui inficiatus eſſet, dupli pœnam ſubiret: à jureconſultis etiam [6] reticentiæ pœna eſt conſtituta. Quidquid enim eſſet in prædio vitii, id ſtatuerunt, ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, præſtari oportere. Ut, cum [7] in arce augurium augures acturi eſſent, juſſiſſentque T. Claudium Centumalum, qui ædes in Cœlio monte habebat, demoliri [8] ea, quorum altitudo officeret auſpiciis: Claudius [9] proſcripſit [10] inſulam,

1 *Huic nec laus*] *Huic*, id eſt, Hecatoni, qui diſcedens à lege Naturæ jus civile tantum ſervat, idque ſatis eſſe putat: cum Scævola legem etiam Naturæ, quæ multo patet latius, quam jus civile, ſervandam in emendo cenſuerit. *Manut.* Recte Cicero Hecatonis dictum reprehendit, tanquam quod adverſetur ſanctitati Stoicæ doctrinæ, quæ præcipiat, ſapientem ſibi ipſi legem eſſe. Non facit quidem, quæ ſunt contra leges, ſed plura facit ſapiens, & vir bonus, quam legibus præſcribitur, nec tamen negligit rem familiarem. Per leges licet mihi emere illo pretio, quo à venditore res indicatur. Vir bonus vero, videns venditorem pretium rei non noſſe, ei ſignificabit rem iſtam majoris eſſe pretii, & carius vendendam; ut fecit Scævola; quod ſapiens Hecatonis non feciſſet. Hoc eſt, quod in Hecatonis ſententia Cicero improbat. *Grav.*

2 *Simulatio, & diſſimulatio*] Simulantur res fictæ, diſſimulantur veræ.

3 *Semper eſt turpe*] Quia, licet maleficia occulte, & ſine teſte commiſſa non proſequatur dedecus, & infamia, peccatorum tamen interna labe maculatur conſcientia.

4 *Ea præſtari*] Ea vitia emendari, tecta ruitura inſtaurari.

5 *Lingua nuncupata*] A venditore agnita, & confeſſa, quærente emptore.

6 *Reticentiæ pœna*] Id eſt, Juriſconſultorum Formulis cautum eſt, ut non modo quærenti, ſed & non quærenti emptori prædiorum vitia aut ultro indicet venditor, aut propter ſilentium doloſum pœnam ſubeat. Ea pœna *actio redhibitoria* appellatur.

7 *In arce*] Intelligit arcem Capitolinam, in qua ſolebant augures auguria captare, ſive (ut hic loquitur) agere. *Grav.*

8 *Ea, quorum*] Id eſt, Eas ædificii partes, quæ ob altitudinem proſpectum augurum impedirent.

9 *Proſcripſit*] *Proſcribitur* domus, quæ venalis ſcripto proponitur. *Eraſm.*

10 *Inſulam*] *Inſulam* vocat domum undique ſemotam ab aliis ædibus, quales fere ſunt magnatum. *Eraſm.* Inſulæ dictæ proprie, quæ non junguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque publico, aut privato cinguntur:

vendidit: emit P. Calpurnius Lanatius. huic ab auguribus illud idem denuntiatum eſt. Itaque Calpurnius cum demolitus eſſet, cognoſſetque Claudium ædes poſtea proſcripſiſſe, quam eſſet ab auguribus demoliri juſſus, [1] arbitrum illum adegit, [2] quidquid ſibi dare, facere oporteret [3] ex fide bona. M. Cato ſententiam dixit, hujus [4] noſtri Catonis pater. ut enim cæteri ex patribus, ſic hic, qui [5] lumen illud progenuit, ex filio eſt nominandus. Is igitur judex ita pronuntiavit: cum in venundando rem eam ſciſſet, & non pronuntiaſſet, [6] emptori damnum præſtari oportere. Igitur ad fidem bonam ſtatuit pertinere, notum eſſe emptori vitium, quod noſſet venditor. Quod ſi recte judicavit, non recte [7] frumentarius ille, non recte ædium peſtilentium venditor tacuit. ſed hujusmodi reticentiæ jure civili omnes comprehendi non poſſunt: quæ autem poſſunt, diligenter tenentur. [8] M. Marius Gratidianus, [9] propinquus noſter, C. Sergio Oratæ vendiderat ædes eas, quas ab eodem ipſe paucis ante annis emerat. hæ Sergio [10] ſerviebant: ſed hoc [11] in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in judicium eſt. Oratam [12] Craſ-

tur: à ſimilitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus, ac mari imminent, ſuntque in ſalo poſitæ. *Feſtus.*

1 *Arbitrum illum adegit*] Id eſt, Judicis arbitrio rem committere Claudium coegit. *Manut.* Ad arbitrum Claudium egit, id eſt, vocavit, adduxit. Sæpe veteres præpoſitionem nomini ademptam verbo addiderunt. Sic Tacitus: *advolvi genua, aſſidere manu.* *Arbiter* autem antique pro Prætore capitur. Vide Feſtum & Nonium. *Lang.*

2 *Quidquid ſibi dare, facere*] Id eſt, Ut decerneret arbiter, quid ſibi Claudium *dare, facere oporteret.* Quæ ſunt antiquæ verba formulæ de dolo malo. Extant in Digeſtis exempla plurima hujuſmodi.

3 *Ex fide bona*] Quaſi Claudius in ædibus vendendis non *fide bona* ſecum egiſſet, vitio, quod ſciviſſet, occultato. *Manut.*

4 *Noſtri Catonis*] Qui ſe Uticæ ſua manu occiderat, ne ſervientem patriam adſpiceret. *Idem.*

5 *Lumen illud*] Id eſt, Clariſſimum virum. *Wolf.*

6 *Emptori damnum præſtari*] Id eſt, Venditorem, æſtimatione facta, emptori dare oportere, quanti ejus interſit, ne ædes demolirentur. *Gronov.* Judicavit Cato emptorem indemnem fieri, quod propter publicam utilitatem & proſpectus amœnitas, & aliquot conclavia ædibus decederent. *Wolf.*

7 *Frumentarius ille*] Qui olavit Rhodios, mercatores alios paulo poſt affuturos. De quo ſupra Cap. 12.

8 *M. Marius Gratidianus*] Hic M. Gratidii Arpinatis filius, qui, cum prætor eſſet, Syllana proſcriptione manu Catilinæ trucidatus eſt, effoſſis prius oculis, & præciſis manibus. *Lang.*

9 *Propinquus noſter*] Ciceronis enim avus Gratidiani ſororem matrimonio conjunctam habuit. *Manut.*

10 *Serviebant*] *Servitutes* appellantur à Juriſconſultis jura quædam, quibus obnoxia ſunt prædia, & ædificia.

11 *In mancipio*] In ædium dominio transferendo, cedendoque. *Manut.*

12 *Craſſus, Antonius*] Omnium conſenſu principes in eloquentia. Vide Lib. de claris oratoribus. *Idem.*

ſus, Gratidianum defendebat Antonius. jus Craſſus urgebat: quod vitii venditor non dixiſſet ſciens, id oportere præſtari: æquitatem Antonius: quoniam id vitium ignotum Sergio non fuiſſet, qui illas ædes vendidiſſet, nihil fuiſſe neceſſe dici: nec eum eſſe deceptum, qui id, quod emerat, quo jure eſſet, [1] teneret. Quorſum hæc? ut illud intelligas, non placuiſſe majoribus noſtris aſtutos.

17. Sed aliter leges, aliter philoſophi tollunt aſtutias: leges, quatenus [2] manu tenere poſſunt, philoſophi, quatenus ratione, & intelligentia. Ratio igitur poſtulat, ne quid inſidioſe, ne quid ſimulate, ne quid fallaciter. Sunt ne igitur inſidiæ, tendere plagas, etiam ſi [3] excitaturus non ſis, nec [4] agitaturus? ipſæ enim feræ nullo inſequente ſæpe incidunt. ſic tu ædes proſcribas, tabulam, tanquam plagam, ponas, domum propter vitia vendas; in eam aliquis incurrat imprudens. Hoc quanquam video propter depravationem conſuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege ſanciri, aut jure civili, tamen naturæ lege ſanctum eſt. ſocietas enim eſt (quod etſi ſæpe dictum eſt, dicendum tamen eſt ſæpius) latiſſime quidem quæ pateat, hominum inter homines: [5] interior eorum, qui ejuſdem gentis ſunt; propior eorum, qui ejuſdem civitatis. Itaque majores aliud [6] jus gentium, aliud [7] jus civile eſſe voluerunt. quod civile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile eſſe debet. Sed nos veri juris, germanæque juſtitiæ ſolidam, & expreſſam effigiem nullam tenemus: [8] umbra, & imaginibus utimur;

1 *Teneret*] Optime cognoſceret ædium emptarum conditionem, & ſervitutem.

2 *Manu tenere*] *Manu teneri* dicitur, quod ita eſt in promptu, & ante oculos poſitum, ut nullo negotio comprehendatur. *Fabrit.* Leges dicuntur *manu tenere*, ubi fraus nimis manifeſta eſt, ut ex factis à judice poſſit convinci. *Grev.* In hoc itaque ſitum eſt diſcrimen inter leges, & Philoſophiam: leges pœnis ſtatutis tantum aperta cohibent crimina: Philoſophia vero animos bene informando à vitiis vel cogitandis abſtinere docet, non pœnæ formidine, ſed virtutis amore.

3 *Excitaturus*] Feram ſcilicet in cubiculis latentem.

4 *Agitaturus*] Excitatam in plagas impulſurus.

5 *Interior*] Conjunctior: unde & *intime* conjuncti dicuntur, qui arctiſſima neceſſitudine copulati ſunt. *Eraſm.*

6 *Jus gentium*] Quod ratio naturalis conſtituit, id æque cuſtoditur apud omnes: hoc *jus gentium* appellatur, quod eo jure gentes omnes utantur. *Maturant.*

7 *Jus civile*] Eſt, quod unuſquiſque populus ſibi conſtituit, quaſi proprium ſuæ civitatis. *Idem.*

8 *Umbra, & imaginibus*] Tranſlatio eſt à pictoribus, qui ex re vera imaginem ducunt. *Idem.*

eas

eas ipſas utinam ſequeremur! [1] feruntur enim ex optimis naturæ, & veritatis exemplis. Nam quanti verba illa, [2] uti ne propter te, fidemve tuam captus, fraudatuſve ſiem? quam illa aurea! ut inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione? Sed, qui ſint boni, & quid ſit, bene agi, magna quæſtio eſt. Q. quidem Scævola, pontifex maximus, ſummam vim dicebat eſſe [3] in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur, ex fide bona: fideique bonæ nomen exiſtimabat manare latiſſime, idque verſari in tutelis, ſocietatibus, [4] fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, [5] conductis, locatis, quibus vitæ ſocietas continetur: [6] in his magni eſſe judicis, ſtatuere (præſertim cum [7] in pleriſque eſſent judicia contraria) [8] quid quemque cuique præſtare oporteret. Quocirca [9] aſtutiæ tollendæ ſunt, eaque malitia, quæ vult illa quidem videri ſe eſſe prudentiam, ſed abeſt ab ea, diſtatque plurimum. Prudentia eſt enim locata in delectu bonorum, & malorum: malitia (ſi omnia, quæ turpia ſunt, mala ſunt) [10] mala bonis ponit ante. Nec vero in prædiis ſolum [11] jus civile, ductum à natura, malitiam, fraudemque vin-

1 *Feruntur enim*] Significat notitias veri juris, *germanaque juſtitiæ* humanis mentibus inſitas, quamvis obſcuriores, & imperfectiores, tamen quaſi guſtum aliquem divinitatis retinere. *Wolf.*

2 *Uti ne propter te*] Eſt formula, qua utebantur, & ſibi cavebant in ſtipulando. Hæ formulæ autem fluxerunt ex jure Naturæ, tanquam rivuli ex ſuis fontibus. Jus enim Naturæ omnem fraudem, ac dolum deteſtatur. *Rachel.*

3 *In omnibus iis arbitriis*] Hoc eſt, In actionibus illis arbitrariis, quæ ab arbitrio, & poteſtate judicantis pendent, qui non ex naturâ rei, ſed ex accidentibus æſtimat. *Grav.*

4 *Fiduciis*] Hoc eſt, Pignoribus, ſeu hypothecis. *Idem.*

5 *Conductis*] *Conductio* eſt rei ad uſum alicujus acceptæ cum definitione mercedis: *locatio* vero, quæ ad uſum alicujus data eſt mercede conſtituta. *Maturant.*

6 *In his magni eſſe judicis*] Id eſt, Requiri hominem prudentiſſimum, & conſultiſſimum juris ad hujuſmodi controverſias rite dijudicandas, cum & jus ſcriptum ſæpe deficiat, & exemplis contrariis auto niti nemo poſſit. *Wolf.*

7 *In pleriſque judicia contraria*] In enumeratis contractibus utrinque præſtationes ſæpe debentur. Ita in tutelis pupillus adverſus tutorem habet actionem directam, tutor adverſus pupillum contrariam. Magni igitur judicis eſt, definire in his, quid utrinque debeat præſtari. Quia autem non in omnibus enumeratis contractibus locum habet actio contraria, ideo bene addit Cicero, *in pleriſque*. *Rachel.*

8 *Quid quemque cuique præſtare*] Senſu Juriſconſultorum eſt, quid cuipiam alius obſtrictus ſit facere, luere, ſarcire, ſi qua inæqualitas, aut læſio iniquè contigerit. *Idem.*

9 *Aſtutia tollenda ſunt, eaque malitia*] Aſtutiam, & malitiam prudentiæ opponit. Sicuti enim, prudentia ubi eſt, ibi quoque perfecta virtus, & bonitas reperitur: ita quoque aſtutia cum malitia perpetuo nexu cohæret. *Idem.*

10 *Mala bonis ponit ante*] Iniqua lucra æquitati præponit. *Wolf.*

11 *Jus civile, ductum à natura*] Neque enim aut leges, aut jura ſunt, quæ cum naturalibus notitiis non conſentiunt. Cujuſmodi Tauroſcytharum lex fuit:

dicat: ſed etiam in [1] mancipiorum venditione fraus venditoris omnis excluditur. [2] qui enim ſcire debuit, de ſanitate, de fuga, de furtis, præſtat edicto ædilium. [3] Hæredum alia cauſa eſt. Ex quo intelligitur, quoniam juris natura fons ſit, [4] hoc ſecundum naturam eſſe, neminem id agere, ut ex alterius prædetur inſcientia. nec ulla pernicies vitæ major inveniri poteſt, quam in malitia ſimulatio intelligentiæ: ex quo iſta innumerabilia naſcuntur, ut utilia cum honeſtis pugnare videantur. [5] quotus enim quiſque reperietur, qui, impunitate, & ignoratione omnium propoſita, [6] abſtinere poſſit injuria?

18. Periclitemur, ſi placet, in iis quidem exemplis, in quibus peccari vulgus hominum fortaſſe non putat. Neque enim de ſicariis, [7] veneficis, [8] teſtamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco differendum eſt: qui non verbis ſunt, & diſputatione philoſophorum, ſed vinculis, & carcere [9] fatigandi. ſed hæc conſideremus, quæ faciunt ii, qui habentur boni. L. Minutii Baſili, locupletis hominis, falſum teſtamentum quidam è Græcia Romam attulerunt: quod quo facilius obtinerent, ſcripſerunt hæredes ſecum, M. Craſſum, & Q. Hortenſium, homines ejuſdem ætatis [10] potentiſſimos: qui, cum illud falſum eſſe ſuſpicarentur, ſibi autem [11] nullius eſſent conſcii culpæ, alieni facinoris munuſculum

ſuit, de immolandis Dianæ hoſpitibus: aut Cypriorum, de proſtituendis ante nuptias virginibus, ut ſcilicet contaminatum corpus, & corruptum animum in ædes maritorum inferrent. *Idem.*

1 *Mancipiorum*] Id eſt, Servorum, & ancillarum, in quorum venditione quæri ſolebat, an ſana, an fugitiva, an furacia. *Eraſm.*

2 *Qui enim ſcire debuit*] Id eſt, Qui ſervum vendit, reticetque ſua vitia, quæ cognoſcere debet, & præſupponitur, emptorem indemnem reddere obſtringitur.

3 *Hæredum alia cauſa*] Hoc eſt, Hæredes in vendendis bonis defuncti non coguntur ſarcire, aut præſtare, ſi quid vitioſi ſit in mancipiis, aut aliis rebus, quas vendunt, quia creduntur ignorare vitia. *Grav.*

4 *Hoc ſecundum naturam eſſe*] Ratio eſt, quia Natura dictitat, proximo cuique idem faciendum eſſe, quod ſibi quiſque fieri velit. *Betul.*

5 *Quotus enim quiſque*] Perpauci ſunt, qui virtutis amore, non pœnæ formidine, oderunt peccare.

6 *Abſtinere poſſit*] Propter vehementem corruptæ naturæ appetitum, aut diuturnam peccandi conſuetudinem. *Wolf.*

7 *Veneficii*] Qui veneno necant homines, aut incantationibus eorum mentes pervertunt. *Maturant.*

8 *Teſtamentarii*] Qui ſupponunt teſtamenta, aut alioqui fraude invadunt. *Eraſm.*

9 *Fatigandi*] Id eſt, Cohibendi, comprimendi. *Nonius.*

10 *Potentiſſimos*] Craſſum divitiis, Hortenſium eloquentia. *Manut.*

11 *Nullius eſſent conſcii culpæ*] Scilicet in faciendo falſo teſtamento. Quaſi vero nulla culpa ſit, approbare alienum

ſcelus,

non repudiaverunt. Quid ergo? ſatin' hoc eſt, ut non deliquiſſe videantur? [1] mihi quidem non videtur: quanquam [2] alterum amavi vivum, alterum [3] non odi mortuum. Sed cum Baſilus M. Satrium, ſororis filium, nomen ſuum ferre voluiſſet, eumque feciſſet hæredem: (hunc, ait, [4] dico patronum agri Piceni, & Sabini: ô turpem notam temporum illorum!) num erat æquum, principes cives rem habere, ad Satrium nihil præter nomen pervenire? Etenim, ſi is, qui non [5] defendit injuriam, neque propulſat à ſuis, cum poteſt, injuſte facit, ut in primo libro diſſerui: qualis habendus eſt is, qui non modo non repellit, ſed etiam adjuvat injuriam? Mihi quidem etiam [6] veræ hæreditates non honeſtæ videntur, ſi ſint [7] malitioſis blanditiis officiorum; non veritate, ſed ſimulatione quæſitæ. Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honeſtum videri ſolet. Falſo: nam eadem utilitatis, quæ honeſtatis eſt [8] regula: qui hoc non perviderit, [9] ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. ſic enim cogitans: Eſt iſtuc quidem honeſtum, verum hoc expedit, res à natura copulatas audebit errore divellere: qui fons eſt fraudium, maleficiorum, ſcelerum omnium.

19. Itaque ſi vir bonus habeat hanc vim, ut, [10] ſi digitis concrepuerit, poſſit [11] in locupletium teſtamenta nomen ejus irrepere,

ſcelus, & ejus emolumento frui. *Wolf.*

1 *Mihi quidem non videtur*] Merito. Nam jus Naturæ præcipit, ut rem alienam, quam quis in ſua poteſtate habet, reddat domino. Nec enim ſine ſcelere retineri poteſt. *Grav.*

2 *Alterum amavi vivum*] Hortenſium æmulum, cujus mortem deplorat in libri procœmio, qui inſcribitur, Brutus. *Manut.*

3 *Non odi mortuum*] M. Craſſum, quem vivum oderat, & in Paradoxis etiam inſectatur. *Wolf.*

4 *Dico patronum*] Sunt verba ex Minutii teſtamento. *Patronus* autem honoris duntaxat appellatio eſt, & ad clientelas pertinens. *Lang.*

5 *Defendit injuriam*] Id eſt, Homines ab injuria protegit.

6 *Veræ*] Non confictæ, non adulterinæ, ſed teſtamento legatæ.

7 *Malitioſis blanditiis*] Hæredipetas damnat: quos exagitant Satyrici multis in locis. *Grav.* Unde Juv. Sat. 6. v. 39.

--- *Tollere dulcem*
Cogitat hæredem, cariturus turture magno,
Mullorumque jubis, & captatore macello.

8 *Regula*] Naturæ ſcilicet, rectæque rationis dictamina, quibus quicquid repugnat, idem nec utile, nec honeſtum eſt.

9 *Ab hoc nulla fraus aberit*] Reciprocavit loquendi formam, pro, Hic à nulla fraude aberit. *Eraſm.*

10 *Si digitis concrepuerit*] Nihil hoc eſt aliud, quam, nullo negotio, facillime. *Grav. Crepitus digitorum* fit ſine labore aliquo. *Maturant.* Unde proverbium, *ad digituli crepitum*, id eſt, minimo momento. *Manut.*

11 *In locupletium teſtamenta*] Ut vel hæres ſcribatur, vel legatum, ſeu munus aliquod accipiat ex teſtamento. *Wolf.*

irrepere, hac vi non utatur, ne ſi exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam ſuſpicaturum. At [1] dares hanc vim M. Craſſo, ut digitorum percuſſione hæres poſſet ſcriptus eſſe, qui re vera non eſſet hæres, [2] in foro (mihi crede) ſaltaret. homo autem juſtus, iſque, quem ſentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in ſe transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is ſe, quid ſit vir bonus, neſcire fateatur. At vero ſi quis voluerit animi ſui [3] complicatam notionem evolvere, jam ſe ipſe doceat, eum virum bonum eſſe, qui proſit, quibus poſſit, noceat nemini, [4] niſi laceſſitus injuria. Quid ergo? hic non noceat, [5] qui quodam quaſi veneno perficiat, ut veros hæredes moveat, in eorum locum ipſe ſuccedat? Non igitur faciat, dixerit quis, quod utile ſit, quod expediat? Imo intelligat, nihil nec expedire, nec utile eſſe, quod ſit injuſtum. hoc qui non didicerit, bonus vir eſſe non poterit. Fimbriam conſularem, audiebam de patre noſtro puer, judicem M. Lutatio Pinthiæ fuiſſe, equiti Romano ſane honeſto, cum is [6] ſponſionem feciſſet, [7] ni bonus vir eſſet. itaque ei dixiſſe Fimbriam, ſe illam rem nunquam judicaturum: ne aut ſpoliaret fama probatum hominem, ſi contra judicaſſet; aut ſtatuiſſe videretur, virum bonum aliquem eſſe, cum ea res innumerabilibus officiis, & laudibus contineretur. Huic igitur viro bono,

1 *Dares*] Vox infinite uſurpatur, pro, *ſi quis daret*. *Fabric.*

2 *In foro ſaltaret*] Hoc eſt, Rem viro gravi etiam indigniſſimam faceret, & utile cuivis decoro præponeret. *Lang.* Eum nullum probrum, & dedecus recuſaturum fuiſſe, tantis emolumentis propoſitis. *Wolf.* Saltatio enim apud veteres Romanos habita eſt turpiſſima: quod patet ex oratione Ciceronis noſtri pro Muræna, ubi ait: *Nemo ſaltat ſobrius*; affirmatque, eſſe *Omnium vitiorum extremum*, & *Umbram luxuriæ*.

3 *Complicatam notionem evolvere*] Id, quod animo inſitum eſt, & innatum, etſi obſcurius, & involutum, meditando acuere, & penitus recognoſcere: id reſpicere, quod mens ipſa, ſi excutiatur, & conſcientia dictitat. *Gronov.* Ex his notionibus, quas evolverunt viri ſapientes, nata eſt Philoſophia Moralis. Apud gentes barbaras, qui eas non explicuerunt, & excuſſerunt, manent etiam nunc complicatæ. *Grav.*

4 *Niſi laceſſitus injuria*] Non ulciſcendo, ſed ſe defendendo, & arcendo injuriam. *Idem.*

5 *Qui quodam quaſi veneno perficiat*] Qui blandiciis, aut muneribus efficiat, quaſi præſtigiis quibuſdam Magicis, ut, ſummotis veris, hæres ipſe nominetur.

6 *Sponſionem feciſſet*] Cum depoſuiſſet pretium, quod judicaretur bonus vir: cum promiſiſſet, facta ſponſione, ſe hoc probaturum. *Manutius.* Sponſio fit, quum de re controverſa inter duos litigantes, pecunia ab utraque parte apud Pontificem depoſita, agitur. Victor ſuam recepit, victi in ſacrorum uſum retinuit Pontifex.

7 *Ni vir bonus eſſet*] Hoc eſt, Se eſſe bonum virum; aut, ſi non eſſet, mulctam non recuſare. *Wolf.*

quem

[1] quem Fimbria etiam, non modo Socrates noverat, nullo modo videri poteſt quidquam eſſe utile, quod non honeſtum ſit. Itaque talis vir non modo facere, ſed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat prædicare. Hæc nonne eſt turpe dubitare philoſophos, quæ ne ruſtici quidem dubitent? à quibus natum eſt id, quod jam [2] tritum eſt vetuſtate proverbium: cum enim fidem alicujus, bonitatemque laudant, dignum eſſe dicunt, quicum [3] in tenebris mices. Hoc quam habet vim, niſi illam, nihil expedire, quod non deceat, etiam ſi id poſſis, nullo [4] refellente, obtinere? Videſne igitur, hoc proverbio neque Gygi illi poſſe veniam dari, neque huic, quem paulo ante fingebam digitorum percuſſione hæreditates omnium poſſe [5] convertere? Ut enim, quod turpe eſt, id quamvis occultetur, tamen honeſtum fieri nullo modo poteſt: ſic, quod honeſtum non eſt, id utile ut ſit, effici non poteſt, adverſante, & [6] repugnante natura.

20. At enim, cum permagna præmia ſunt, [7] eſt cauſa peccandi. C. Marius cum à ſpe conſulatus longe abeſſet, & jam [8] ſeptimum annum poſt præturam jaceret, neque petiturus unquam conſulatum videretur, Q. Metellum, cujus legatus erat, ſummum virum, & civem, cum ab eo, imperatore ſuo, Romam miſſus eſſet, apud populum Romanum criminatus

1 *Quem Fimbria noverat*] Pro, Quem ſtatuebat eſſe virum bonum. Significat, Fimbriam non populärem opinionem de viro bono ſecutum: ſed potius Philoſophice ſenſiſſe, & aliquid ſupra vulgi captum poſtulaviſſe. *Idem.*

2 *Tritum vetuſtate*] Frequens conſuetudine. Tranſlatio ſumpta eſt à veſtibus. *Maturant.*

3 *In tenebris mices*] Luſus genus erat *micatio*, digitis repente remotis. *Eraſm.* Sortitionis ſpecies eſt, quæ fit per digitos ſubito, & ſub certo numero expanſos. *Caſaub. Micare* vel ætate noſtra ferunt Italos, id eſt, erectis digitis, de paritate, aut imparitate numeri conjecturam facere. *In tenebris* itaque divinando facile fraudari poſſumus, ſi non cum honeſto ludimus.

4 *Refellente*] Prohibente. *Maturant.*

5 *Convertere*] Id eſt, A legitimis hæredibus ad ſe transferre. Alii legunt, *converrere*, voce à piſcatoribus tralata, qui genere quodam retis, quod *everriculum* appellant, magnam vim piſcium corripiunt. Poteſt etiam dici, tralationem eſſe à ſervis, qui verriculis quiſquilias, & ſordes domus unum in locum *converrunt*, ut poſtea in unum acervum congeſtas parvo negotio auferant. Eadem tralatione uſus eſt Horat. *Nec ſatis eſt cara piſces averrere menſa. Lambin.*

6 *Repugnante natura*] Quum *non honeſtum*, & *utile* ſint naturaliter ſibi invicem contraria. *Utile* enim cum ratione neceſſario cohæret. *Non honeſtum* vero legi illi divinæ animis humanis inſitæ, & inſculptæ ſemper adverſatur.

7 *Eſt cauſa peccandi*] Id eſt, Animo propenſo in vitia labimur: procliviori impetu nitimur in vetitum.

8 *Septimum annum*] Cum conſulatu biennio tantum prætura legibus diſtaret. *Manut.*

eſt, [1] bellum ducere: ſi ſe conſulem feciſſent, brevi tempore aut vivum, aut mortuum [2] Jugurtham ſe in poteſtatem populi Romani redacturum. Itaque factus eſt ille quidem conſul, ſed à fide, juſtitiaque diſceſſit, qui optimum, & graviſſimum civem, cujus legatus, & à quo miſſus eſſet, in invidiam falſo crimine adduxerit. Ne noſter quidem Gratidianus officio boni viri functus eſt tum, cum prætor eſſet, collegiumque prætorum tribuni plebis [3] adhibuiſſent, ut res nummaria de communi ſententia conſtitueretur. [4] jactabatur enim temporibus illis nummus ſic, ut nemo poſſet ſcire, quid haberet. Conſcripſerunt communiter edictum [5] cum pœna, atque judicio; conſtitueruntque, ut omnes ſimul in roſtra poſt meridiem [6] deſcenderent. & cæteri quidem alius alio; Marius è ſubſelliis in roſtra recta; idque, quod communiter compoſitum fuerat, ſolus edixit. & ea res (ſi quæris) ei magno honori fuit. omnibus vicis [7] ſtatuæ: adeas thus, & [8] cerei. quid multa? nemo unquam multitudini fuit carior. Hæc ſunt, quæ conturbant in deliberatione nonnunquam, cum id, in quo violatur æquitas, non ita magnum; illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur: ut Mario, præripere collegis, & tribunis plebis popularem gratiam, non ita turpe; conſulem ob eam rem fieri, quod ſibi tunc propoſuerat, valde utile videbatur. Sed omnium una regula eſt, quam tibi cupio eſſe notiſſimam: aut illud, quod utile videtur, turpe ne ſit: aut, ſi turpe eſt, ne videatur eſſe utile. Quid igitur? poſſumuſne aut [9] illum Marium, virum

1 *Bellum ducere*] Producere, de induſtria bellum ſui commodi cauſa protrahere. Quæ ars à Recentiſſimis Imperatoribus ſedulo exculta, & mirifice adaucta eſt.

2 *Jugurtham*] Numidiæ regem, Romanis diu infeſtum: à quo tandem victo Metellus Numidici cognomen meruit.

3 *Adhibuiſſent*] In conſilium vocaſſent.

4 *Jactabatur*] Hoc eſt, Nummi pretium variabatur, ut nunc pluris, nunc minoris æſtimaretur. *Manarant.*

5 *Cum pœna, atque judicio*] Ut, ſi quis prætorum edictum violare auſus eſſet, in judicium adductus plecteretur.

6 *Deſcenderent*] Ex ædibus ſcilicet. Quia plerique procerum habitabant in collibus, & fora eſſent humiliora, dicebantur Romæ *deſcendere*, cum prodirent in publicum, licet non habitarent in editioribus urbis locis. Sic aliis in locis loquitur Cicero: *Poſtridie mane deſcendit: Hodie non deſcendit Antonius. Græv.*

7 *Statuæ*] Subaudiuntur, *in honorem Marii collocatæ ſunt.*

8 *Cerei*] Id eſt, Præ gaudio accenſæ ſunt tædæ cereæ.

9 *Illum Marium*] Qui conſulatus adipiſcendi gratia Metellum falſo criminatus ab officio receſſit.

bonum

bonum judicare, aut [1] hunc? [2] Explica, atque excute intelligentiam tuam, ut videas, quæ sit in ea [3] species, forma, & notio viri boni. Cadit ergo in virum bonum mentiri emolumenti sui causa, [4] criminari, [5] præripere, fallere? nihil profecto minus. [6] Est ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni & splendorem, & nomen amittas? quid est, quod afferre tantum utilitas ista, quæ dicitur, possit, quantum auferre, si boni viri nomen eripuerit? fidem, justitiamque detraxerit? Quid enim interest, utrum ex homine se quis [7] conferat in belluam, an hominis figura immanitatem gerat belluæ?

21. Quid? qui omnia recta, & honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur, nonne idem faciunt, quod [8] is, qui etiam socerum habere voluit eum, cujus ipse audacia potens esset? Utile ei videbatur plurimum posse alterius invidia. id quam injustum in patriam, quam inutile, quam turpe esset, non videbat. Ipse autem socer in ore semper Græcos versus de Phœnissis habebat, quos dicam, ut potero, incondite fortasse, sed tamen, ut res possit intelligi:

[9] Nam, si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

1 *Hunc*] Gratidianum prætorem, qui populi gratiam, collegis debitam, ad se solum dolose transtulit.

2 *Explica*] Exerce, ut Marcellus interpretatur: sed melius est, si exponas, evolve. Sic supra: *Si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere. Maturant.*

3 *Species, forma, notio*] Tribus his nominibus significatur insita, & ante percepta cujusque formæ cognitio, quam Græci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. *Fabrit.*

4 *Criminari*] C. Marii ad instar, qui imperatorem suum de bello protrahendo accusavit.

5 *Præripere*] Hoc ad Gratidianum spectat. *Maturant.*

6 *Est ergo ulla res tanti*] Declarata turpitudine horum facinorum, nunc in contentionem adducit & fructum, & detrimentum eorundem. Quasi dicat, Plus infamiæ istis factis uterque Marius suscepit, quam dignitatis est consecutus. Itaque non solum improbi, sed etiam parum prudentes fuerunt. *Wolf.*

7 *Conferat*] Convertat. In quo sensu hoc verbo utitur Ovidius:

— Corpus Deus aquoris album
Contulit in volucrem.

8 *Is, qui socerum*] Notatur Pompeji turpe consilium, qui, cum audacem esse Cæsarem animadvertit, illius filiam Juliam uxorem duxit, ut apud socerum omnis esset invidia, apud se ipsum potestas.

9 *Nam, si violandum*]

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν· τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

[1] Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum, quod [2] omnium ſceleratiſſimum fuerat, exceperit. Quid igitur minuta colligimus, hæreditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui [3] rex populi Romani, dominuſque omnium gentium eſſe concupierit, idque perfecerit. Hanc cupiditatem ſi honeſtam quis eſſe dicit, amens eſt. probat enim legum, & libertatis interitum, earumque oppreſſionem tetram, & deteſtabilem, glorioſam putat. Qui autem fatetur, honeſtum non eſſe in ea civitate, quæ libera fuit, quæque eſſe debeat, regnare, ſed ei, qui id facere poſſit, eſſe utile, qua hunc objurgatione, aut quo potius convicio à tanto errore coner avellere? poteſt enim (Dii immortales!) cuiquam eſſe utile fœdiſſimum, & teterrimum parricidium patriæ, [4] quamvis is, qui ſe eo obſtrinxerit, ab oppreſſis civibus Parens nominetur? [5] Honeſtate igitur dirigenda utilitas eſt, & quidem ſic, ut hæc duo verbo inter ſe diſcrepare, re tamen [6] unum ſonare videantur. [7] Non habeo, ad vulgi opinionem, quæ major utilitas, quam regnandi, eſſe poſſit: nihil contra inutilius ei, qui id injuſte conſecutus ſit, invenio, cum ad veritatem cœpi revocare rationem. poſſunt enim cuiquam eſſe utiles [8] angores, ſollicitudi-

Sic leguntur in Euripidis Tragœdia de Eteocle, & Polynice, qui inſcribitur, Phœniſſæ. Primas enim illic partes habet chorus mulierum Phœniſſarum. *Maturant.*

1 *Capitalis*] Pœna capitis dignus. Deteſtatur Eteoclem Cicero, qui hoc prætextu uſus eſt ad matrem, cum illa hortaretur, ut fratrem in regnum reſtitueret. *Idem.*

2 *Omnium ſceleratiſſimum*] Nimirum tyrannis. *Grav.*

3 *Rex populi Romani*] *Regis*, & *regni* nomen in Rep. Romana fuit invidioſiſſimum, ut ſemper, cum de Romanis loquerentur, *Tyrannum*, & *tyrannidem* denotet. Hinc *regie*, & *crudeliter facere* apud Ciceronem eſt, more Tyrannorum. *Idem.* Notatur hic J. Cæſar, qui Senatum, Rempublicam, libertatemque Romanam funditus evertit.

4 *Quamvis Parens nominetur*] Turpitudinem non excuſat aſſentatio populi, non à vero judicio, ſed à metu profecta. *Wolf.*

5 *Honeſtate dirigenda utilitas*] Id tantum judicandum utile, quod eſt honeſtum: ſeu, Honeſtas eſt regula, & *κριτήριον* utilitatis. *Idem.*

6 *Unum ſonare*] Idem ſignificare. Sic lib. 2. de Finibus: *Epicurum non intelligere interdum, quid ſonet hæc vox, voluptas.* Id eſt, Quæ vis huic voci ſubjiciatur. *Lang.*

7 *Non habeo*] Id eſt, Non habeo dicere. *Grav.*

8 *Angores, ſollicitudines*] Exemplum ſuperius attulit ipſe non unum. His addatur, ut infinita præteream, inſigne Tiberii in epiſtola ad Senatum miſerimum ſuum ſtatum ſic ultro fatentis: *Quid ſcribam vobis, P. C. aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, Dii me, Deæque pejus perdant, quam quotidie perire ſentio, ſi ſcio.* Vide Suetonium in ejus vitæ cap. 76. *Idem.*

nes,

nes, diurni, & nocturni metus, vita inſidiarum, [1] periculorumque pleniſſima?

Multi iniqui, atque infideles regno, pauci ſunt boni,

inquit Accius. At cui regno? quod à Tantalo, & Pelope proditum [2] jure obtinebatur. [3] Nam quanto plures ei regi putas, qui exercitu populi Romani populum ipſum Romanum oppreſſiſſet, civitatemque non modo liberam, ſed etiam gentibus imperantem, ſervire ſibi coegiſſet? [4] Hunc tu quas conſcientiæ labes in animo cenſes habuiſſe? quæ vulnera? Cujus autem vita ipſi poteſt utilis eſſe, cum ejus vitæ ea conditio ſit, ut, qui illam eripuerit, in maxima [5] & gratia futurus ſit, & gloria! Quod [6] ſi hæc utilia non ſunt, quæ maxime videntur, quia plena ſunt dedecoris, ac turpitudinis, ſatis perſuaſum eſſe debet, nihil eſſe utile, quod non honeſtum ſit.

22. Quanquam [7] id quidem, cum ſæpe alias, tum Pyrrhi bello à C. Fabricio, conſule iterum, & à ſenatu noſtro judicatum eſt. Cum enim rex Pyrrhus populo Romano bellum [8] ultro intuliſſet, cumque de imperio certamen eſſet

1 *Periculorum*] Quæ Dionyſius Tyrannus Damocli cuidam, aſſentatori ſuo, callida commento demonſtravit. De quo Horat.

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Ceruice pendet, non Sicula dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem,
Non avium, citharæque cantus
Somnum reducent. Wolf.

2 *Jure*] Legitima ſucceſſione à patre ad filium quaſi per manus tranſmiſſum. *Manut.*

3 *Nam quanto plures*] Id eſt, Si infidos experiuntur amicos, qui Jure Hæreditario regnant, multo plures putemus expertum eſſe Cæſarem, qui Romam florentem ſuis viribus ruere, liberamque Remp. ſuis militibus ſervire coegit.

4 *Hunc tu quas conſcientiæ labes*] Intelligit maculas, ictus, lacerationes mentium Tyrannicarum. *Gronov.* Quaſi dixerat, Eſſi legum pœnas pertuleras Cæſar, tamen pœnam à Natura, & ipſo Deo conſtitutam, conſcientiam ſcelerum, & animi cruciatum effugere non potuit. *Wolf.* Sic Claudian. de Rufino:

— *En! pectus inuſta*
Deformans macula, vitiiſque inoleuit imago,
Nec ſeſe commiſſa tegunt. ---

5 *Et gratia futurus ſit, & gloria*] Sic Brutus, interfecto Cæſare, uberrima apud bonos omnes meruit Encomia. Sic plurimis aliis Tyrannicidis apud varias gentes ſtatuæ, ſummique honores ſunt decreti.

6 *Si hæc utilia non ſunt*] Si regnum male partum, quo nihil in humanis rebus beatius habetur, inutile, & perniciioſum eſt, quis quicquam aliud turpe, & injuſtum, utile eſſe ducat? *Wolf.*

7 *Id*] Videlicet, nihil eſſe utile, quod non ſit honeſtum. *Maturant.*

8 *Ultro*] Id eſt, Nulla injuria ſibi à Romanis illata.

cum

cum rege generoſo, ac potente, perfuga ab eo venit in caſtra [1] Fabricii, eique eſt pollicitus, ſi præmium ſibi propoſuiſſet, ſe, ut clam veniſſet, ſic clam in Pyrrhi caſtra rediturum, & eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum: idque factum ejus à ſenatu laudatum eſt. Atqui ſi ſpeciem utilitatis, opinionemque quærimus, magnum illud bellum perfuga unus, & gravem adverſarium imperii ſuſtuliſſet: ſed magnum dedecus, & flagitium, quicum laudis certamen fuiſſet, eum non virtute, ſed ſcelere ſuperatum. Utrum igitur utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis [2] Ariſtides Athenis fuit, vel ſenatui noſtro, qui nunquam utilitatem à dignitate ſejunxit, [3] armis cum hoſte certare, an venenis? Si gloriæ cauſa imperium expetendum eſt, ſcelus abſit, in quo non poteſt eſſe gloria. ſin ipſæ opes expetuntur [4] quoquo modo, non poterunt utiles eſſe cum infamia. [5] Non igitur utilis illa L. Philippi, Q. filii, ſententia: quas civitates L. Sylla, pecunia accepta, ex ſenatuſconſulto liberaviſſet, ut hæ rurſus vectigales eſſent: neque his pecuniam, quam pro libertate dederant, redderemus. Eſt ei ſenatus aſſenſus. turpe imperio. [6] piratarum enim melior fides, quam ſenatus. [7] At aucta vectigalia; utile igitur. Quouſque audebunt dicere quidquam utile, quod non honeſtum? Poteſt autem ulli imperio, quod gloria fultum eſſe debet, & benevolentia ſociorum, utile eſſe odium, & infamia? Ego etiam cum Catone meo ſæpe diſſenſi. nimis mihi [8] præfracte videbatur ærarium, vectigaliaque de-

1 *Fabricii*] De quo vide ſupra lib. 1. cap. 12, 13. itemque lib. 3. cap. 4.

2 *Ariſtides*] Qui optima vivendi ratione id Athenis conſecutus eſt, ut Juſtus cognominaretur. *Maturant.*

3 *Armis cum hoſte certare, an venenis*] Quem interficere licet, eum gladio, an veneno interimas, nihil intereſt, jus Naturæ quod attinet. At jure gentium jampridem nefas fuit hoſtem veneno interficere; ne pericula in bellis, quæ crebra eſſe cœperunt, nimium intenderentur. *Rachel.*

4 *Quoquo modo*] Per fas, & nefas. *Maturant.*

5 *Non igitur utilis*] Utpote turpis, & honeſtati repugnans. Merito autem vituperatur Philippus, qui, cum civitates ex S. C. immunes, ac liberas declaraſſet Sylla, eaſdem tamen contra datam à Senatu fidem vectigales iterum fieri, neque pecuniam, qua libertatem redemerant, reddendam [illegible] poſuit.

6 *Piratarum melior*] Quia piratæ captivos, pecunia, tanquam redemptionis pretio, accepta, libertate donant, dimittuntque.

7 *At aucta vectigalia*] Objectio ex parte Philippi.

8 *Præfracte*] Pertinaciter. Cicero *præfractos* vocat, qui à ſententia non poſſunt abduci. *Eraſm.* Aſpere, & ſevere. *Maturant.* Nonius *præfractum* interpretatur, durum, inflexibile. Vere damnat hic Cicero Catonis præfractum nimis vectigalia urgendi, & à publicanis exigendi

fendere, omnia [1] publicanis negare, multa [2] ſociis: cum in hos benefici eſſe deberemus, cum illis ſic agere, ut cum colonis noſtris ſoleremus, eoque magis, quo illa [3] ordinum conjunctio ad ſalutem reipub. pertinebat. Male etiam Curio, cum cauſam [4] Tranſpadanorum æquam eſſe dicebat: ſemper autem addebat, [5] Vincat utilitas. Potius diceret, non eſſe æquam, quia non eſſet utilis reipublicæ, quam, cum utilem eſſe diceret, non eſſe æquam fateretur.

23. Plenus eſt ſextus liber de officiis Hecatonis talium quæſtionum: Sitne boni viri, in maxima caritate [6] annonæ [7] familiam non alere? in utramque partem [8] diſputat: ſed tamen ad extremum utilitate putat officium dirigi [9] magis, quam humanitate. Quærit, ſi in mari jactura facienda ſit, equine pretioſi potius jacturam faciat, an ſervuli [10] vilis? hic alio res familiaris, [11] alio ducit humanitas. Si tabulam de naufragio ſtultus arripuerit, extorquebitne eam ſapiens, ſi potuerit? negat, [12] quia ſit injurium. Quid? dominus na-

exigendi ſtudium. Cum iis enim agendum, tanquam cum colonis, quibus, ſi calamitas quædam fundum infeſtavit, & proventum perdidit, remittimus aliquid de pacta mercede, aut vectigali, quod annuum nobis pro uſu ſoli pendunt: ſic & publicanis, ſi animoſe nimis vectigalia publica conduxerunt, & inopinata mala interceſſerunt, per quæ non poſſunt ſolvere, quantum ad Reip. ſolvendum ſe obſtrinxerunt, æquitas poſtulat, ut non nihil pecuniæ debitæ remittatur. Quod cum Cato nollet facere, ordinem equeſtrem à Senatu diſjunxit, & feneſtram aperuit Cæſari, & Pompejo Remp. opprimendi. *Grav.*

1 *Publicanis*] Ii ſunt, qui publica conducunt, redimuntque vectigalia.

2 *Sociis*] Tributorum remiſſionem petentibus, quoties aut bello vaſtabantur agri, ſive penuria, aut quavis alia neceſſitate laborabant.

3 *Ordinum*] Equitum, & Senatus, quorum diſſenſione fractæ ſunt opes Reipublicæ. *Manut.* Equites Romani fere populi vectigalia redimebant.

4 *Tranſpadanorum*] Qui jus civitatis Romanæ incaſſum petebant.

5 *Vincat utilitas*] Emolumentum adverſantem præponderet honeſtatem.

6 *Annonæ*] Non tantum frumenti, ſed quicquid ad victum attinet. *Manut.*

7 *Familiam*] Mancipia. *Idem.*

8 *Diſputat*] Id eſt, Rationes affert, cur & alenda, & deſerenda videatur. Ad alendum incitat humanitas, & æquitas: ad deſerendum impellit difficultas, periculum ne ipſe egeat, & major rei familiaris, quam ſervorum, & ancillarum jactura. *Wolf.*

9 *Magis, quam humanitate*] Id eſt, Vult, ut potius fame pereant ſervi, & ancillæ, ne ipſe aut inſigni detrimento afficiatur, aut cum ſuis liberis fame periclitetur, quam ut familia conſervetur propter naturalem ſocietatem rationis, & orationis, quæ ſervis etiam cum dominis intercedit. *Manut.*

10 *Vilis*] Qui non magno vendi poſſit. *Wolf.*

11 *Alio ducit humanitas*] Vincere debet humanitas, etiamſi viliſſimi pretii ſit mancipium. Etſi enim, qua ſervus eſt, nulla illi cum hero intercedit ſingularis amicitia, quatenus tamen homo & ipſe eſt, herus illi communionem rerum, & officia humanitatis omnino debet. *Rachel.*

12 *Quia ſit injurium*] Recte. Intereſt quidem Reip. magis, vivere ſapientem, quam ſtultum; nolit tamen propter perfectionem ſummam vitam ſuam alienæ

vis, eripietne ſuum? minime: non plus, quam ſi navigantem in alto ejicere de navi velit, quia ſua ſit. quoad enim perventum ſit eo, quo [1] ſumpta navis eſt, non domini eſt navis, ſed navigantium. Quid, ſi in una tabula ſint duo naufragi, æque ſapientes, ſibine uter rapiat, an alter cedat alteri? cedat vero: ſed ei, cujus magis interſit vel ſuæ, vel reipub. cauſa vivere. Quid, ſi hæc paria in utroque? nullum erit certamen, ſed quaſi [2] ſorte, aut micando victus, alteri cedat alter. Quid ſi pater fana expilet, [3] cuniculos agat ad ærarium: indicetne id magiſtratibus filius? [4] nefas id quidem eſt. quinetiam [5] defendat patrem, ſi arguatur. non igitur patria præſtat omnibus officiis? imo vero: ſed ipſi patriæ conducit, pios cives habere in parentes. Quid, ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater? filebitne filius? imo vero obſecrabit patrem, ne id faciat. ſi nihil proficiet, [6] accuſabit, minabitur etiam: ad extremum ſi ad pernicium patriæ res ſpectabit, [7] patriæ ſalutem anteponet ſaluti patris. Quærit etiam, ſi ſapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis; cum id reſciverit, ſoluturusne ſit eos, ſi cui debeat, pro bonis? Diogenes ait: Antipater negat: [8] cui potius aſſentior. Qui [9] vinum fugiens

lienæ vitæ jactura conſervare. Etſi enim ille ſit ſapiens, hic ſtultus, in hujus tamen vitam nullum jus iſte conſecutus videtur. *Rachel.* Certe injurium. Nam quamvis conſervationi mei imprimis ſervire me docuerit Natura, tamen non vult, ut cum injuria alterius me ſervem. Neque enim hoc mihi fieri velim: itaque nec alteri faciendum. *Grav.*

1 *Sumpta*] Navigandi cauſa conducta.

2 *Sorte*] Ut Jonas in ſacris literis. *Grav.*

3 *Cuniculos*] Foramina ſub terra occulta. *Maturant.*

4 *Nefas id quidem eſt*] Noſtris temporibus, & legibus non eſt tutum (& recte id quidem) hujuſmodi facinoris conſcium tacere, & non deferre ſontem; pietate ſcilicet non filium excuſante, ſed tum patrem, cum filium eodem crimine involvente. *Wolf.*

5 *Defendat patrem*] Id utique pietas liberorum in parentes requirit, ſi parentum crimina non ad interitum patriæ ſpectant. *Grav.*

6 *Accuſabit*] Reprehendet. Non enim hoc loco eſt, *accuſare* ad judices. *Manut.*

7 *Patriæ ſalutem anteponet*] Id eſt, Indicabit conatus patris magiſtratibus. Hic aliud decernit, quam in exemplo ſuperiore, quia materia diverſa, & longe majus eſt excidium, aut ſervitus patriæ, quam ærarii expilatio. *Wolf.*

8 *Cui potius aſſentior*] Dolus enim alterius, quo ego deceptus ſum, nullum mihi jus dat viciſſim decipiendi alterum. Vel igitur id age, ut pro adulterinis genuinos nummos recuperes, aut, ſi id non licet, tuæ vel imperitiæ, vel qualicunque infelicitati, aut ſceleri alterius imputa, nullo capto conſilio alios item fallendi. *Rachel.*

9 *Vinum fugiens*] Cujus vis, & virtus evanuerit. *Lambin.* Quod lentum incipit fieri. *Manut.* Quod durare, & retem ferre non poteſt, & cujus vis exoleſcit brevi tempore. *Grav.*

vendat

vendat ſciens, debeatne dicere. Non neceſſe putat Diogenes: Antipater viri boni exiſtimat. Hæc ſunt quaſi [1] controverſa jura Stoicorum. In mancipio vendendo dicendane vitia, non ea, quæ niſi dixeris, [2] redhibeatur mancipium jure civili: ſed hæc, [3] mendacem eſſe, aleatorem, furacem, ebrioſum? Alteri dicenda videntur, alteri non videntur. Si quis aurum vendens aurichalcum ſe putet vendere, indicetne ei vir bonus, aurum illud eſſe, an emat denario, [4] quod ſit mille denarium? Perſpicuum jam eſt, & [5] quid mihi videatur, & quæ ſit inter eos philoſophos, quos nominavi, controverſia.

24. [6] Pacta, & promiſſa ſemperne ſervanda ſint, quæ nec vi, nec dolo malo ([7] ut prætores ſolent) facta ſint? Si quis medicamentum cuipiam dederit [8] ad aquam intercutem, pepigeritque, ne illo medicamento unquam poſtea uteretur; ſi eo medicamento ſanus factus fuerit, & annis aliquot poſt inciderit in eundem morbum, nec ab eo, quicum pepigerat, impetret, ut item eo liceat uti, quid faciendum ſit? [9] Cum

1 *Controverſa jura Stoicorum*] Per *jus controverſum* Latini volunt jus ambiguum, quod opponitur certo, & de quo nulla controverſia eſt. *Lambin.* Sunt autem *controverſa jura Stoicorum* cauſæ, & conſultationes, de quibus Stoici inter ſe diſſentiunt. *Turneb.* Quæ tranſlatio ſumpta eſt à Juriſconſultis, apud quos *jura controverſa*, & dubia vocantur, de quibus inter Juriſconſultos eſt diſſenſio; ut cum aliud videtur Mucio, aliud Bruto, aliud Manilio. *Fabrit.*

2 *Redhibeatur*] Verbum eſt Juriſconſultorum. Fit autem *redhibitio*, cum venditor rem, tanquam vitioſam, emptor pretium recipit.

3 *Mendacem, aleatorem*] Mancipium ob hæc vitia animi, utpote edicto ædilitio non comprehenſa, non redhibetur. *Fabrit.*

4 *Quod ſit mille denarium*] Quod æſtimetur, vendatur mille denariis. *Eſſe* enim eſt, venalem eſſe, æſtimari. Sic in Orat. 3, in Verrem: *Quum in Sicilia ſeſtertii binis tritici modius eſſet.* Sic Livius: *Sextante ſal & Romæ, & per totam Italiam erat.* Sed *denarium* eſt, *denariorum. Gronov.*

5 *Quid mihi videatur*] Videlicet, indicandum hoc venditori ab emptore bono viro eſſe, quod minoris ſuum vendiderit. *Rachel.* Nam, licet hic talis ſit contractus, in quem ultro, citroque ſponte conſentitur; nemo tamen propter ignorantiam, ſine qua venditor in tam vile pretium non conſenſiſſet, fraudari debet. Honeſti igitur eſt, æquitatem emolumentis ſuis anteponere, & cum alterius jactura locupletari nolle.

6 *Pacta, & promiſſa*] Vide, quæ de hoc argumento diſputat Grotius de Jure Belli, & Pacis lib. 2 cap. 11. *Grav.*

7 *Ut prætores ſolent*] Subaudiur, *edicere. Idem.*

8 *Ad aquam intercutem*] Ad morbum hydropicum ſanandum.

9 *Cum ſit is inhumanus*] Talis promiſſor nexu ſuo liberari videtur, utpote contra humanitatem exacta à ſtipulante promiſſione. Quam barbarum enim eſt, alterius ſalutem conſervare nolle, cum ſine tua jactura poſſis! Præterea promiſſio, ut ait Grotius, vim accipit ex jure promittentis, nec ultra extendi poteſt. Jam vero non eſt in poteſtate promiſſoris, ſe rationem, curamque ſuæ ſalutis habere nolle.

ſit is inhumanus, qui non concedat, nec ei quidquam fiat injuriæ, vitæ, & ſaluti conſulendum. Quid? ſi quis ſapiens rogatus ſit ab eo, qui eum hæredem faciat, cum ei teſtamento ſeſtertium millies relinquatur, ut ante, quam [1] hæreditatem adeat, luce palam in foro ſaltet, idque ſe facturum promiſerit, quod aliter eum hæredem ſcripturus ille non eſſet: faciat, quod promiſerit, necne? [2] Promiſiſſe nollem, & id arbitror fuiſſe gravitatis. ſed quoniam promiſit, ſi ſaltare [3] in foro turpe ducet, [4] honeſtius mentietur, ſi ex hæreditate nihil ceperit: [5] niſi forte eam pecuniam in reip. magnum aliquod tempus contulerit: ut vel ſaltare eum, cum patriæ conſulturus ſit, [6] turpe non ſit.

25. Ac ne illa quidem promiſſa ſervanda ſunt, [7] quæ non ſunt iis ipſis utilia, quibus illa promiſeris. Sol Phaethonti filio (ut redeamus ad fabulas) facturum ſe eſſe dixit, quidquid optaſſet: optavit, ut in currum patris tolleretur: ſublatus eſt; atque inſanus [8] antequam conſtitit, [9] ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat, in hoc promiſſum patris non eſſe ſervatum? Quid, quod Theſeus exigit promiſſum à Neptuno? Cui cum tres optationes Neptunus dediſſet, optavit interitum Hippolyti, filii ſui, cum is patri ſuſpectus eſſet [10] de noverca: quo optato impetrato, Theſeus in maximis fuit luctibus. Quid? Agamemnon cum devoviſ-

1 *Hæreditatem adeat*] Id eſt, Pecuniam teſtamento legatam in ſuam poſſeſſionem recipiat.

2 *Promiſiſſe nollem*] Locutio elegans. Sic Epiſt. 14. ad Attic. *Tertulla abortum nollem*. Id eſt, Velim Tertullam non abortam fuiſſe. *Lang.* Id eſt, Utinam rem tam ineptam, & quæ virum gravem, ſapientemque maxime dedecet, non promiſiſſet!

3 *In foro*] Id eſt, Aut in civium omnium conſpectu: aut in loco rebus judiciariis, ſeriiſque negotiis accommodato.

4 *Honeſtius mentietur*] Optimum eſt conſilium, fidem promiſſis non præſtare. Talium nempe promiſſorum, quæ contra decorum peccant, tollitur obligatio.

5 *Niſi forte eam*] Niſi ſtatuit impendere pecuniam, ſub conditione palam in foro ſaltandi legatam, in id, quod grandem aliquam utilitatem Reip. conciliabit.

6 *Turpe non ſit*] Saltare enim in foro non peccat contra decorum juxta Naturæ legem, ſed tantum quoad hominum opinionem, & conſuetudinem. Patriæ autem conſulere juſtitia, & Naturæ norma poſtulat.

7 *Quæ non ſunt iis ipſis utilia*] Quæ noxia, pernicioſa ſunt.

8 *Antequam conſtitit*] Hoc eſt, Antequam ſe colligeret, & ſic componeret, ut ſtare poſſet. *Gronov.*

9 *Ictu fulminis deflagravit*] A Jove fulmine percuſſus, auditis mortalium tanto incendio laborantium precibus, in Eridanum fluvium collapſus eſt. Vide Ovid. Metamorph. lib 2.

10 *De noverca*] De ſtupro novercæ ſuæ Phædræ oblato. Vide Euripidis, & Senecæ Tragœdias Hippolyti nomine inſignitas.

ſet

ſet Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet illo anno, immolavit [1] Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. [2] promiſſum potius non faciendum, quam tam tetrum facinus admittendum fuit. Ergo & promiſſa non facienda nonnunquam: neque ſemper depoſita reddenda. Si gladium quis apud te ſana mente depoſuerit, repetat inſaniens, reddere peccatum ſit, non reddere officium. Quid? ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ, reddaſne depoſitum? non, credo: facias enim contra remp. quæ debet eſſe cariſſima. Sic multa, quæ honeſta natura videntur eſſe, [3] temporibus fiunt non honeſta. facere promiſſa, [4] ſtare conventis, reddere depoſita, [5] commutata utilitate, fiunt non honeſta. [6] Ac de iis quidem, quæ videntur eſſe utilitates contra juſtitiam ſimulatione prudentiæ, ſatis arbitror dictum. Sed quoniam à [7] quatuor fontibus honeſtatis primo libro officia duximus, [8] in eiſdem verſabimur, cum docebimus, ea, quæ videntur eſſe utilia, neque ſunt, quam ſint virtutis inimica. Ac de prudentia quidem, quam vult imitari malitia, itemque de juſtitia, quæ ſemper eſt utilis, diſputatum eſt. Reliquæ ſunt duæ partes honeſtatis, quarum altera in animi excellentis magnitudine, & præſtantia cernitur, altera in conformatione, & moderatione continentiæ, & temperantiæ.

26. Utile videbatur Ulyſſi, ut quidem poetæ tragici prodiderunt; nam apud Homerum, optimum auctorem, talis

1 *Iphigeniam*] Filiam ſuam. Vide Eurip. Iphig. in Aulide.

2 *Promiſſum potius non faciendum*] Promiſſa, vota, juramenta de re illicita ideo non ſervanda ſunt, quia nemo virtute juramenti tenetur ad id præſtandum, cujus contrarium exigit antecedens, eademque validior obligatio. Peccavit igitur Agamemnon, quod Iphigeniam juramento licet aſtrictus immolavit, quoniam lex Naturalis, & Divina victimas humanas, tanquam facinus atrociſſimum, prohibet.

3 *Temporibus fiunt non honeſta*] Alia ſunt officia *ſine temporis ratione*, alia *ex tempore*. Priora ſunt per ſe honeſta, ſemperque præſtanda ſunt: poſteriora, licet ſua natura honeſta, fiunt tamen propter temporis circumſtantias non honeſta. De quibus hoc loco diſputat Cicero. *Grav.*

4 *Stare conventis*] Pro, ſervare pacta. *Eraſm.*

5 *Commutata utilitate*] Cum ceſſat emolumentum, & in perniciem, ſeu damnum eorum, quibus promiſeris, convertitur.

6 *Ac de iis quidem*] Tranſitio à quæſtionibus prudentiæ, ac juſtitiæ ad controverſias fortitudinis, & temperantiæ, cum illæ virtutes utilitati repugnare videntur. *Wolf.*

7 *Quatuor fontibus*] Cardinalibus virtutibus.

8 *In eiſdem verſabimur*] Hoc eſt, Tenebimus, & exequemur propoſitum, & inſtitutum ordinem. *Gronov.*

de Ulyſſe [1] nulla ſuſpicio eſt: ſed inſimulant eum tragœdiæ [2] ſimulatione inſaniæ militiam ſubterfugere voluiſſe. non honeſtum conſilium. at utile (ut aliquis fortaſſe dixerit) regnare, & [3] Ithacæ vivere otioſe cum parentibus, cum uxore, cum filio. Ullum tu decus in quotidianis periculis, & laboribus cum hac tranquillitate conferendum putas? Ego vero [4] iſtam contemnendam, & abjiciendam: quoniam, [5] quæ honeſta non ſit, ne utilem quidem eſſe arbitror. Quid enim auditurum putas fuiſſe Ulyſſem, ſi in illa ſimulatione perſeveraſſet? qui, cum [6] maximas res geſſerit in bello, tamen hæc audiat ab Ajace:

[7] *Cuju' ipſe princeps* [8] *jurisjurandi fuit,*
Quod omnes ſcitis, ſolus neglexit fidem.
Furere aſſimulavit, [9] *ne coiret, inſtitit.*
Quod ni Palamedis perſpicax prudentia
Iſtius [10] *percepſet malitioſam audaciam,*
[11] *Fide ſacratum jus perpetuo falleret.*

Illi vero non modo cum hoſtibus, verum etiam cum fluctibus, [12] id, quod fecit, dimicare melius fuit, quam deſerere conſentientem Græciam ad bellum [13] barbaris inferendum. Sed dimittamus & fabulas, & externa; ad [14] rem factam,

1 *Nulla ſuſpicio eſt*] Artificioſe quidem reticetur ab Homero ſimulata Ulyſſis inſania. Cum enim laudes Ulyſſis celebret, abſurde feciſſet, ſi puſillanimitatem, aut quicquam viro Heroico indignum commemoraſſet.

2 *Simulatione inſaniæ*] Ulyſſes, ne ad Trojam iret, furorem ſimulavit agrum proſciſſum ſale ſerens. Palamedes, odoratus illius aſtutiam, filium ejus, qua ſulcus ducendus erat, objecit. Ulyſſes arte aratrum ſuſpendit, atque ita detecta fraus. *Eraſm.*

3 *Ithacæ*] Inſulæ in mari Ionio, cujus rex fuit Ulyſſes.

4 *Iſtam*] Tranquillitatem. *Manut.*

5 *Quæ honeſta non ſit*] Utpote quæ puſillum animum, fortitudinis officiis adverſantem, denotet.

6 *Maximas res geſſerit*] Rheſum, Thraciæ regem, occiderit, Palladium ſurripuerit. Vide Ovid. Metamorph. Lib. 13.

7 *Cuju' ipſe*] Verſus excerpti ex quadam Pacuvii Tragœdia de Ajace, & Ulyſſe, pro armis Achilleis contendentibus.

8 *Jurisjurandi*] Græciæ principes juramento ſeſe obſtrinxerunt, ne quis domum reverteretur, donec injuriam Menelao illatam vindicaſſent.

9 *Ne coiret*] Ne cum reliquis Græcis ad Trojam proficiſceretur. *Fabric.*

10 *Percepſet*] Pro, percepiſſet. *Eraſm.*

11 *Fide ſacratum jus*] Sic Virgilius:
Fas mihi Graiorum ſacrata reſolvere jura.

[Fluctibus,
12 *Id, quod fecit*] Poſt everſam Trojam per decem annos mari jactatus.

13 *Barbaris*] Trojanis. Sic autem omnes exteras gentes appellarunt tum Græci, tum Romani.

14 *Ad rem factam*] Non fabuloſam, non figmenta poetica, qualia fere ſunt omnia, quæ de bello Trojano commemorantur.

factam,

factam, noſtraque veniamus. M. Atilius Regulus, cum conſul iterum in Africa ex inſidiis captus eſſet, [1] duce Xantippo Lacedæmonio, imperatore autem, patre Hannibalis, Hamilcare, juratus miſſus eſt ad ſenatum, ut, niſi redditi eſſent Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipſe Carthaginem. is cum Romam veniſſet, utilitatis ſpeciem videbat, ſed eam (ut res declarat) [2] falſam judicavit: quæ erat talis: manere in patria, eſſe domi ſuæ cum uxore, cum liberis: quam calamitatem accepiſſet in bello, communem fortunæ bellicæ judicantem, tenere conſularis dignitatis gradum. quis hæc neget eſſe utilia? quem cenſes? [3] magnitudo animi, & fortitudo negat.

27. Num [4] locupletiores quæris auctores? Harum enim eſt virtutum proprium, nil extimeſcere, omnia humana deſpicere, nihil, quod homini accidere poſſit, intolerandum putare. itaque quid fecit? In ſenatum venit, mandata expoſuit, ſententiam ne diceret, recuſavit: quamdiu jurejurando hoſtium teneretur, [5] non eſſe ſe ſenatorem. Atque illud etiam (ô ſtultum hominem, dixerit quiſpiam, & repugnantem utilitati ſuæ!) reddi captivos negavit eſſe utile: illos enim adoleſcentes eſſe, & bonos duces, ſe jam confectum ſenectute. cujus cum valuiſſet auctoritas, captivi retenti ſunt: ipſe Carthaginem rediit: [6] neque eum caritas patriæ retinuit, nec ſuorum. Neque vero tum ignorabat, ſe ad crudeliſſimum hoſtem, & ad exquiſita ſupplicia proficiſci: ſed jusjurandum conſervandum putabat. Itaque tum,

1 *Duce Xantippo*] Qui dux Pœnorum electus eſt primo bello Punico. Differentiam autem hoc loco conſtituit Cicero inter *ducem*, & *imperatorem*.

2 *Falſam*] Inanem utilitatis umbram. Nulla quippe vera datur utilitas, quæ honeſto, animique magnitudini repugnat.

3 *Magnitudo animi*] Remp. otio privato præferentis. *Manut.*

4 *Locupletiores*] Quam animi magnitudinem, & fortitudinem. Sic Supra: *Teſtis locuples Poſidonius*. In Bruto Thucydidem *locupletem auctorem* dicit. Ad Q. Fr. *Locuples tabellarius*, id eſt, cui literæ recte credi poſſint. *Manut.*

5 *Non eſſe ſe ſenatorem*] Adhuc enim captivus erat, nec jure poſtliminii priſtinam receperat dignitatem, cum eſſet hoſtium mancipium.

6 *Neque eum caritas patriæ retinuit, nec ſuorum. Neque vero tum ignorabat*] Eodem modo Reguli virtutem, fidem, conſtantiam depingit Horatius:

Fertur pudica conjugis oſculum,
Parvoſque natos, ut capitis minor,
Ab ſe removiſſe, & virilem
Torvus humi poſuiſſe vultum;
Donec labantes conſilio patres
Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interque mœrentes amicos
Egregius properaret exul.
Atqui ſciebat, quæ ſibi barbarus
Tortor pararet.

cum

cum [1] vigilando necabatur, [2] erat in meliore cauſa, quam ſi domi ſenex captivus, perjurus, conſularis remanſiſſet. At ſtulte, qui non modo non cenſuerit captivos remittendos, verum etiam diſſuaſerit. Quomodo ſtulte? etiamne ſi reipub. conducebat? poteſt autem, quod inutile reipub. ſit, [3] id cuiquam civi utile eſſe?

28. Pervertunt homines ea, quæ ſunt [4] fundamenta naturæ, cum utilitatem ab honeſtate ſejungunt. omnes enim expetimus utilitatem, ad eamque rapimur, nec facere aliter ullo modo poſſumus. nam quis eſt, qui utilia fugiat? aut quis potius, qui ea non ſtudioſiſſime perſequatur; ſed quia nuſquam poſſumus, niſi in laude, decore, honeſtate utilia reperire, propterea illa prima, & ſumma habemus: utilitatis nomen non tam ſplendidum, quam [5] neceſſarium ducimus. Quid eſt igitur, dixerit quis, in jurejurando? num iratum timemus Jovem? At hoc quidem commune eſt omnium philoſophorum, [6] non eorum modo, qui Deum nihil habere ipſum negotii dicunt, & nihil exhibere alteri, ſed [7] eorum etiam, qui Deum ſemper agere aliquid, & moliri volunt,

1 *Vigilando*] Recifis utrinque palpebris, ut oculis inconniventibus Solem intueri cogeretur.

2 *Erat in meliore cauſa*] Id eſt, Rectius fecit, meliorem cauſam habuit: felicior erat; ſiquidem ex honeſto felicitas provenit. *Manut.* Meliorem habuit conditionem. Sic infra Q. Pompejum in eadem cum Mancino cauſa eſſe dicit, hoc eſt, pari ignominia. Alioquin *in cauſa eſſe* ſignificat, cauſam præbuiſſe. *Betul.*

3 *Id cuiquam civi utile eſſe*] Sicut nemini poteſt eſſe utile, quod inutile generi eſt humano: ſic nec civi poteſt prodeſſe, quod nocet civitati, quia pars eſt civitatis: quod toties inculcat M. Antoninus. *Grav.* Hinc (ſi Ariſtoteli credimus) nemo ſibi recte conſulere, ſuiſque rebus proſpicere poteſt, niſi etiam prudentia Oeconomica, & civili ſit præditus, omnemque ſuarum rerum curam cum fine familiæ, & potiſſimum civilis ſocietatis conjungat, & eo omnia præcipue referat. *Raebel.*

4 *Fundamenta naturæ*] Primum principium à Natura nobis inſitum eſt, ut unuſquiſque ſuam felicitatem, tanquam ſummum bonum, & utilitatem maximam, appetat. Hæc autem cum in virtute, ſeu honeſtate ſita ſit, principium hoc naturale pervertunt, quotquot utilitatem ab honeſtate ſejungunt, dum fingunt divitias, potentiam, aut quid ab honeſtate alienum, ſummum hominis bonum eſſe.

5 *Neceſſarium*] Propter humanam indigentiam. *Grav.*

6 *Non eorum modo*] Epicureorum ſcilicet, qui Deorum providentia mundum gubernari negant. Juxta hoc placitum Lucretius:

Omnis enim per ſe Divum natura neceſſe eſt,
Immortali ævo ſumma cum pace fruatur,
Semota à noſtris rebus, ſejunctaque longe.

7 *Eorum etiam*] Stoicorum, Peripateticorum, Academicorum, qui Deos res terreſtres curare volunt. Ariſtoteles tamen vult providentiam Divinam ad corpora tantum cœleſtia pertinere.

nunquam

nunquam [1] nec iraſci Deum, [2] nec nocere. Quid autem iratus Jupiter plus nocere potuiſſet, quam nocuit ſibi ipſe Regulus? nulla igitur vis fuit religionis, quæ [3] tantam utilitatem præverteret. An ne turpiter faceret? Primum, [4] minima de malis. Num igitur tantum mali turpitudo iſta habebat, quantum ille cruciatus? deinde illud etiam apud Accium,

[5] *Fregiſti fidem.* [6] *neque dedi, neque do infideli cuiquam.*

Quanquam ab impio rege dicitur, luculente tamen dicitur. Addunt etiam, quemadmodum nos dicamus, videri quædam utilia, quæ non ſint: ſic ſe dicere, videri quædam honeſta, quæ non ſint: ut hoc ipſum videtur honeſtum, conſervandi jurisjurandi cauſa ad cruciatum revertiſſe: ſed fit non honeſtum: quia, quod [7] per vim hoſtium eſſet actum, ratum eſſe non debuit. Addunt etiam, quidquid valde utile ſit, id fieri honeſtum, etiam ſi antea non videretur. Hæc fere contra Regulum. Sed [8] prima videamus.

29. Non fuit Jupiter metuendus, ne iratus noceret, qui

1 *Nec iraſci*] Nunquam ſane commovetur, nec *quoad affectum*, ſed *quoad effectum* (ut loquuntur Scholaſtici) iraſcitur Deus. Id eſt, Juramentis violatis, aliiſve criminibus commiſſis perinde offenditur, ac ſi hominum ad inſtar iracundia perturbaretur.

2 *Nec nocere*] Pœnæ ſcilicet, quibus divinitus plectuntur homines, iis non nocent, ſed maxime proſunt, quatenus lapſos à peccatis ad virtutem colendam abſtrahit formido. Hæc explicatio videtur Stoicorum placitis conſentanea.

3 *Tantam utilitatem præverteret*] *Prævertere* eſt, prævenire, ut Nonius exemplis demonſtrat. Sententia eſt: Religio non potuit Regulum à diris ſuppliciis evitandis, vitaque ſua conſervanda impedire.

4 *Minima de malis*] Subauditur, *eligenda ſunt*. Hæc autem regula omnino de *malis pœna* intelligenda eſt. Duobus etenim *malis culpa* propoſitis, neutrum eligendum eſt.

5 *Fregiſti fidem*] Sic de fratre ſuo conqueritur Thyeſtes apud Accii Tragœdiam.

6 *Neque dedi, neque do infideli cuiquam*] His verbis reſpondet Atreus, & objectionem Thyeſtis diluere conatur. Vis autem argumenti hæc eſt: Non valet juſjurandum infido datum (qualis fuit Thyeſtes, qui uxorem fraternam vitiavit) ideoque minime conſervandum eſt. Hoc idem dixiſſe potuiſſet Regulus, quia infidi fuerunt Pœni, contra fœdera populo Romano bellum inferentes. Contra hanc ſententiam contendit Grotius, hoſtibus etiam perfidis ſervandam eſſe fidem. Atque hoc nomine Regulum laudans ſic compellat Silius:

Qui, longum ſemper fama gliſcente per ævum,
Infidis ſervaſſe fidem memorabere Pœnis.

7 *Per vim hoſtium*] Regulus enim non ſponte, ſed à Pœnis coactus ſe rediturum juraverat.

8 *Prima videamus*] Conſideremus, quantam vim habeat argumentum primum, nempe quod Deus ſit iræ expers.

neque

[1] neque iraſci ſolet, neque nocere. Hæc quidem ratio non magis contra Regulum, quam contra omne jusjurandum valet. Sed in jurejurando, non [2] qui metus, ſed quæ vis ſit, debet intelligi. eſt enim jusjurandum affirmatio religioſa. quod autem affirmate, quaſi Deo teſte, promiſeris, id tenendum eſt. jam enim non ad iram Deorum, quæ nulla eſt; ſed ad juſtitiam, & ad fidem pertinet. nam præclare Ennius:

O fides alma, [3] apta pinnis, & [4] jusjurandum Jovis!

Qui igitur jusjurandum violat, is Fidem violat, quam in Capitolio vicinam Jovis Opt. Max. (ut in Catonis oratione eſt) majores noſtri eſſe voluerunt. At enim ne iratus quidem Jupiter plus Regulo nocuiſſet, quam ſibi nocuit ipſe Regulus. Certe, ſi nihil malum eſſet, [5] niſi dolere. Id autem non modo non ſummum malum, ſed nec malum quidem eſſe, [6] maxima auctoritate philoſophi affirmant: quorum quidem teſtem non mediocrem, ſed haud ſcio, an graviſſimum, Regulum, nolite, quæſo, vituperare. quem enim locupletiorem quærimus, quam principem populi Romani, qui retinendi officii cauſa cruciatum ſubierit voluntarium? Nam quod aiunt, minima de malis, id eſt, [7] ut turpiter potius, quam calamitoſe: an eſt ullum majus malum turpitudine? quæ ſi in deformitate corporis habet aliquid offenſionis, quanta illa depravatio, & fœditas turpificati animi debet videri? Itaque,

1 *Neque iraſci ſolet*] Ut ſcilicet homines ſolent iraſci: ſed iraſcitur, ut judex, qui ſine ira punit nocentes. *Græv.*

2 *Qui metus*] Quæ pœnæ formido propter juramentum violatum infligendæ.

3 *Apta*] Undique concinnata. Sic Virgil.

Axem humero torquet Stellis ardentibus aptum.

Dicitur, cum quid ita contextum eſt gemmis, aut ſimilibus, ut inter ſeſe contingant. Nam ab ἅπτομαι Latina vox ducta videtur. *Eraſm.* *Apta pinnis*, id eſt, templis collocari digna. Pleriſque ſimulacris Deorum, ut Victoriæ, ut Famæ, affingebant alas, ut Deos ubique præſto eſſe indicarent. *Muret.*

4 *Jusjurandum Jovis*] Jovi tribuitur κατ' ἐξοχήν, quia Jupiter credebatur vindex eſſe jurisjurandi. Sic Silius: *Juratumque Jovi fœdus. Gronov.* Per Jovem mortales, Diique inferiores, Jupiter autem per fidem promiſſorum ſuorum non violandam juravit.

5 *Niſi dolere*] Juxta Epicureos, quibus ſummum malum eſt dolor. *Manut.*

6 *Maxima auctoritate Philoſophi*] Stoici ſcilicet, qui nil malum, niſi vitium, voluerunt: dolorem vero, inopiam, cæteraſque corporis, aut Fortunæ calamitates inter indifferentia collocarunt.

7 *Ut turpiter potius, quam calamitoſe*] Ut rem turpem potius perpetrare, quam calamitatem ſubire velimus.

[1] nervoſius

[1] nervosius qui ista differunt, solum audent malum dicere id, quod turpe sit: qui autem [2] remissius, hi tamen non dubitant summum malum dicere. Nam illud quidem,

Neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam:

idcirco recte à poeta, quia, cum tractaretur Atreus, [3] personæ serviendum fuit. Sed [4] si hoc sibi sument, nullam esse fidem, quæ infideli data sit, videant, ne quæratur [5] latebra perjurio. Est autem jus etiam bellicum, fidesque jurisjurandi sæpe cum hoste servanda. [6] Quod enim ita juratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est: quod aliter, id si non feceris, nullum est perjurium. [7] ut, si prædo-

1 *Nervosius*] Ut Stoici. Metaphora vel à corporis nervis, quibus deficientibus corpus languet: vel ab instrumentis musicis; nam sicut cithara, ita oratio perfecta non est, nisi ab imo ad summum omnibus intenta nervis consentiat. *Betul.*

2 *Remissius*] Ut Peripatetici, & Academici.

3 *Persona serviendum fuit*] Ex ratione decori poetici impio regi sententia impia accommodanda fuit.

4 *Si hoc sibi sumunt*] Si hanc propositionem defendendam suscipiunt.

5 *Latebra*] Prætextus, occasio.

6 *Quod enim ita juratum*] Si ita jurabis, ut jurando mente destines id faciendum, quod juras, & postea non faciat, perjurium erit. At vero, si ita juraveris, ut mente aliter sentias, sed aliqua honesta ratione ita juraveris, perjurium non est. *Maurant.* Servandum est, quicquid recte juratum esse ipsa ratio convincet. *Mass.* Locum sic explicat Rachelius: Jusjurandum debet ad mentem, & sensum illius præstari, qui illud defert, & quicum juranti negotium est. Nam dicta ipsius testem adhibens Deum, debet dicta facere vera, quo modo potuit à deferente illa intelligi. Pace vero tanti viri non necessarium videtur, ut juramentum præstetur ad mentem, sensumque deferentis, qui fortasse quid illicitum exigat, aut jus non habeat juramento aliorum obstringendi: imo interdum impossibile est alienos conceptus pervestigare. Fortasse igitur ad hunc modum interpretari liceat: Si, quod juravi, id fieri oportere monet conscientia tua, eo infecto, pejerabis, alioqui *nullum est perjurium*. Judicet Lector.

7 *Ut, si prædonibus*] Ponit exemplum ejus, quod aliter juramento promissum esse, aliter mente conceptum. Si in prædones incideris, & ipsi te juratum dimiserint, ut cum pretio redemptionis redeas; si contra jusjurandum feceris, non erit perjurium, quia metu coactus juravi. *Maurant.* Cum enim prædones toti humano generi insidiantur, & infesti sunt, jus hominum eos juvare non debet. *Mass.* Ciceroni suffragatur Pufendorfius lib. 4. de jure Naturæ, & gentium cap. 2. Sect. 9. *Quæritur*, inquit, *Si quis in latronem incidens ad redimendam vitam cogatur jurare silentium perpetuum, & ipsi, quantum in se est, cavere ut impunitate, an id juramentum sit servandum? Id, quod nobis negandum videtur: siquidem ex eo silentio pluribus periculum sit creaturum. Nam pro se quidem impunitatis dare, non est illicitum: non tamen, si inde nostri innocentibus exitium sit proventurum. Imo etiamsi res, quæ promittitur, in se non sit illicita; non tamen valebit jusjurandum, si per id impediatur major bonum morale, seu ubi per id finis prohibendi obire aliquod officium humanitatis, ac pietatis.* Apud Guntherum Ligurinum l. 8. Fredericus ita fancit:

Juramenta metu, mortisve dolore coacta
Nullius meriti, vel pendenda esse jubemus.

Huc addatur M. Ant. Majoragii sententia Ciceronem contra Caium Calegarium

nibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus eſt, ne ſi juratus quidem id non feceris.[4] nam pirata non eſt [1] perduellium numero definitus: ſed [2] communis hoſtis omnium. cum hoc [3] nec fides debet, nec jusjurandum eſſe commune. [4] Non enim falſum jurare, perjurare eſt: ſed, [5] quòd ex animi tui ſententia juraris, [6] ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere perjurium eſt. Scite enim [7] Euripides:

Juravi lingua, mentem injuratam gero.

accuſationem nugatoriam defendentis: *Eodem animo* (inquit) *debemus in pradones eſſe, quo ſumus in Tyrannos, quos Reipub. gratia quoquo modo de medio tollere ſemper gloriosiſſimum fuit. Non eſt igitur contra officium, fidem Tyrannis, ac pradonibus datam fallere, cum quibus nulla poteſt eſſe pax, aut ſocietas.* Et paulo poſt: *Pejerare eſt, conſulto, ac dedita opera perperam, & contra leges, ac juſtitiam, in alterius fraudem jurare. Non eſt igitur perjurium pradones fallere: non enim hoc eſt contra leges, ac juſtitiam.*

1 *Perduellium numero definitus*] In numerum juſtorum hoſtium relatus.

2 *Communis hoſtis omnium*] Cum ſcilicet nullam habeat cauſam invadendi alios, præter cupiditatem ſuam, & animi libidinem: cum nemini indicat bellum, ſed obviis quibuſque inferat, nullis injuriis laceſſitus. *Wolf.*

3 *Nec fides debet, nec jusjurandum eſſe commune*] Quod & de Tyranno dictum eſt à Bruto apud Appianum: Οὐδὲν πιστὸν ἦν Ῥωμαίοις πρὸς Τυράννους, οὐδ' ὅρκος: *cum Tyrannis Romanis nulla fides, nulla jurisjurandi religio.*

4 *Non enim falſum jurare, perjurare eſt*] Eſt ſane inter hæc aliquod diſcrimen. Si enim aliquis non ex ſententia deferentis juret, ſine ullo ſuo dolo, aut culpa, is ſane falſum jurat; non enim ipſius mens cum mente deferentis convenit: ſed non pejerat. *Rachel.* Sæpe accidere poteſt, ut quis falſum juret, neque tamen ſit perjurus: ut, ſi deceptus ab adverſario quiſpiam juret, patet id perjurium non eſſe. Et ſi juraveris, te daturum alicui pecunias, quas domi numeratas in arca te poſſidere putes; & domum reverſus effractam arcam, & furto ſublatam repereris pecuniam, hic quidem nullum eſt perjurium; cum tamen falſum ſit jusjurandum. Et quemadmodum ſæpenumero fit, ut ea dicendo affirmemus, quæ vera eſſe arbitramur, nec ſunt; non tamen ideo mendaces habemur: ita ſæpe falſum juramus, à minima quidem perjurii ſuſpicione alieni.

5 *Quod ex animi tui ſententia juraris*] Quum id, quod juraveris, mente etiam facere deſtinaveris. *Maturant.* Potius vero intelligendum videtur, Quod ex mente tua, intimiſque conſcientiæ illibatæ monitis te juratum jure promittere arbitraris.

6 *Verbis concipitur more noſtro*] Solenne fuit apud Romanos, ut jurantes adderent, *ex animi ſententia.* Talis enim erat *verborum conceptio*, id eſt, formula, & expreſſio. Ab illa conſuetudine argumentatur Cicero, ut, ſi falſum juraris lingua, non aſtipulante animo, perjurium non ſit.

7 *Euripides*] Sic legimus in Hippolyto coronato:

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δ' ἄνομον ἐπίσταται.

Eodem pertinent illa Cydippes ad Acontium apud Ovid. Epiſt.

Quid tibi nunc prodeſt jurandi formula juris,
Linguaque præſentem teſtificata Deam?
Qua jurat, mens eſt; nil conjuravimus illa,
Illa fidem dictis addere ſola poteſt.
Conſilium, prudenſque animi ſententia juras,
Et, niſi judicii, vincula nulla valent.

Regulus

Regulus vero non debuit conditiones, pactioneſque bellicas, & hoſtiles perturbare perjurio. cum juſto enim, & legitimo hoſte res gerebatur; adverſus quem & totum jus fœciale, & multa ſunt jura communia. quod ni ita eſſet, nunquam [1] claros viros ſenatus vinctos hoſtibus dedidiſſet.

30. At vero L. Veturius, & Sp. Poſtumius, cum iterum conſules eſſent, quia, cum male pugnatum [2] apud Caudium eſſet, legionibus noſtris [3] ſub jugum miſſis, pacem cum Samnitibus fecerant, dediti ſunt his: [4] injuſſu enim populi, ſenatuſque fecerant. eodemque tempore Ti. Numicius, Q. Mælius, qui tum tribuni plebis erant, quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti ſunt, ut pax Samnitium repudiaretur. Atque hujus deditionis ipſe Poſtumius, qui dedebatur, ſuaſor, & auctor fuit. quod idem multis annis poſt C. Mancinus, qui ut Numantinis, quibuſcum ſine ſenatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem ſuaſit eam, quam L. Furius, & Sex. Atilius ex s. c. ferebant: qua accepta, eſt hoſtibus deditus. Honeſtius hic, quam Q. Pompejus, quo, cum [5] in eadem cauſa eſſet, deprecante, accepta lex non eſt. hic ea, quæ videbatur utilitas, plus valuit, quam honeſtas: apud [6] ſuperiores utilitatis ſpecies falſa ab honeſtatis auctoritate ſuperata eſt. At [7] non debuit ratum eſſe, quod erat actum per vim. [8] Quaſi vero forti viro vis poſſit

1 *Claros viros*] Conſules, imperatores, qui fœdera cum hoſtibus, injuſſu Senatus, populique, pepigerant.

2 *Apud Caudium*] Apuliæ vicum. *Manut.*

3 *Sub jugum miſſis*] Armis relictis, cum ſingulis veſtimentis extra vallum exire coactis.

4 *Injuſſu enim populi*] Hinc habebatur magis à Senatu pro ſponſione, quam pro pactione, aut fœdere. Ideoque ſponſores non locupletes dediderunt hoſtibus. Quod autem ſit diſcrimen inter ſponſionem, pactionem, & fœdus, docet Grotius de Jure Belli, & Pacis Lib. 2. cap. 15. *Grav.*

5 *In eadem cauſa eſſet*] Quippe qui paulo ante cum iiſdem Numantinis æque infame fœdus pepigit. *Manut.*

6 *Superiores*] Intelligit Poſtumium, Mancinum, cæteroſque paulo ante memoratos.

7 *Non debuit ratum eſſe, quod erat actum per vim*] Argumentum tertium contra Regulum: videlicet, non ſtandum eſſe promiſſis, quæ metu facta ſunt. *Maturant.* Huc pertinet Martialis lib. XI. epigramm. 59.

Quid ſi me tonſor, cum ſtricta novacula ſupra eſt,
Tunc libertatem, divitiaſque roget?
Promittam: nec enim rogat illo tempore tonſor,
Latro rogat. Res eſt imperioſa timor.
Sed fuerit curva cum tuta novacula theca,
Frangam tonſori crura, manuſque ſimul.

8 *Quaſi forti viro vis poſſit adhiberi*] Stoice refutatur objectio. *Wolf.* Aliter ad argumentum hoc modo reſpondendum videtur: Per jus bellicum ratum eſſe debere, quicquid cum juſto, & legi-

adhiberi. [1] Cur igitur ad ſenatum proficiſcebatur, cum præſertim [2] de captivis diſſuaſurus eſſet? [3] quod maximum in eo eſt, id reprehenditis. [4] non enim ſuo judicio ſtetit, ſed ſuſcepit cauſam, [5] ut eſſet judicium ſenatus: [6] cui niſi ipſe auctor fuiſſet, captivi profecto Pœnis redditi eſſent. ita incolumis in patria Regulus reſtitiſſet. quod quia patriæ non utile putavit, idcirco ſibi honeſtum, & [7] ſentire illa, & [8] pati credidit. Nam quod aiunt, quod valde utile ſit, id fieri honeſtum: [9] imo vero eſſe, non fieri. eſt enim nihil utile, quod idem non honeſtum; nec, quia utile, honeſtum eſt; ſed, quia honeſtum, utile. Quare ex multis mirabilibus exemplis, haud facile quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius, aut præſtantius.

31. Sed ex tota hac laude Reguli unum illud eſt admiratione dignum, quod captivos retinendos cenſuerit. nam quod rediit, nobis nunc mirabile videtur, illis quidem temporibus aliter facere non potuit. itaque iſta laus non eſt hominis, ſed temporum. nullum enim vinculum ad adſtringendam fidem jurejurando majores arctius eſſe voluerunt. id indicant leges in XII. tabulis, indicant [10] ſacratæ, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides: indicant [11] notiones, animadverſioneſque cenſorum; qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicabant. L. Manlio, A. filio, cum dicta-

timo hoſte pepigeras, licet vi, aut metu mortis coactus fueris paciſci, quod aliter non feciſſes. Hoſti enim jus, & fas eſt hunc metum mihi intentandi. Quod ſi cogi nolo, patior, quod intentat. Si pati nolo, paciſcor cum eo ad avertendum, & declinandum, quod intentat. Aliter ſe res habet cum latrone, & pirata; de quibus ſuperius. *Grav.*

1 *Cur igitur ad Senatum*] Quarum Epicureorum argumentum, quo Regulus ſive inconſtantiæ, ſive ſtultitiæ arguitur. Sententia eſt: Aut non proficiſci Romam, aut non diſſuadere id, cujus impetrandi cauſa mittebatur, Regulum debuiſſe. *Wolf.*

2 *De captivis diſſuaſurus*] Certus de captivis Punicis non remittendis conſilium dandi.

3 *Quod maximum*] Quod ſummas depoſcit laudes.

4 *Non ſuo judicio ſtetit*] Sui animi ſententia non contentus fuit, opinioni ſuæ confidere noluit; videlicet, ſatius eſſe captivos non reddi, quod plures, juvenes, robuſti; ipſe unus, & ſenex erat.

5 *Ut eſſet judicium Senatus*] Ut P. C. decernerent, utrum ſit Reip. utilius.

6 *Cui niſi ipſe auctor fuiſſet*] Niſi hoc conſilium Senatui dediſſet Regulus.

7 *Sentire illa*] Eam ſententiam habere, ut captivi non redderentur. *Matur.*

8 *Pati*] Quæ ſibi barbarus tortor pararet.

9 *Imo vero eſſe, non fieri*] Reſpondet Cicero, Utile ſua natura eſſe honeſtum, quod utilitas, & honeſtas perpetuo cohæreant, nominibus diſcrepantes, re ipſa vero congruentes: nihil autem turpe, maximæ utilitatis ſpecie propoſita, fieri, ſeu efficī honeſtum.

10 *Sacratæ*] Leges in monte Sacro latæ inter Patricios, & plebeios tumultuantes.

11 *Notiones, animadverſioneſque cenſorum*] Id eſt, Judicia, & pœnæ cenſoriæ.

tor

tor fuisset, M. Pomponius, tribunus plebis, diem dixit, quod is [1] paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset: criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est [2] Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset, & rurí habitare jussisset, quod cum audivisset adolescens filius [3] negotium exhiberi patri, accurrisse Romam, & [4] cum prima luce Pomponii domum veniisse dicitur. cui cum esset nuntiatum; quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit à lectulo, [5] remotisque arbitris ad se adolescentem jussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium distrinxit, juravitque, se illum statim interfecturum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. Juravit hoc coactus terrore Pomponius. rem ad populum detulit: docuit, cur sibi causa desistere necesse esset: Manlium [6] missum fecit. tantum temporibus illis jusjurandum valebat. Atque hic T. Manlius is est, qui ad [7] Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen invenit: cujus tertio consulatu Latini ad [8] Veserim fusi, & fugati. magnus vir in primis, & qui perindulgens in patrem, idem [9] acerbe severus in filium.

32. Sed, ut laudandus Regulus in conservando jurejurando, sic [10] decem illi, quos post Cannensem pugnam juratos ad senatum misit Hannibal, in castra redituros ea, quorum potiti erant Pœni, nisi de redimendis captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes

1 *Paucos dies ad dictaturam gerendam addidisset*] *Quod, occasione bene faciendi belli dulcis, abstinendi legitimum imperii tempus evasisset.* Val. Max. Fuit autem legitimum dictaturæ tempus, sex mensis. *Manut.*

2 *Torquatus appellatus*] A torque Gallo detracto apud Anienem fluvium bello Gallico, ut Cicero paulo infra narrat.

3 *Negotium exhiberi*] Id est, Molestiam fieri. *Maturant.*

4 *Cum prima luce*] Sic loquitur Virgilius Æneid. 7.

— *Primo lati cum lumine Solis.*

5 *Remotis arbitris*] Omnibus, quotquot aderant, è cubiculo abire jussis.

6 *Missum fecit*] Exagitare, in jus vocare destitit.

7 *Anienem*] Italiæ fluvium, qui Tiberim influit.

8 *Veserim*] Veseris fluvius est non procul à Vesuvio monte.

9 *Acerbe severus in filium*] Quem securi percussit, quod, victoria licet relata, injussu imperatoris cum Latinis pugnasset. Unde in proverbium abierunt *Imperia Manliana*, pro severis, & acerbis.

10 *Decem illi*] De quibus vide Librum primum, necnon Livii lib. 27. Cap. 61.

uno

uno modo. nam [1] Polybius, [2] bonus auctor in primis, ſcribit, ex decem nobiliſſimis, qui tum erant miſſi, novem revertiſſe, à ſenatu re non impetrata: unum ex decem, qui paulo poſt, quam egreſſus erat è caſtris, rediſſet, quaſi aliquid eſſet oblitus, Romæ remanſiſſe. Reditu enim in caſtra [3] liberatum ſe eſſe jurejurando interpretabatur: non recte. fraus enim [4] adſtringit, non diſſolvit perjurium. Fuit igitur ſtulta calliditas, perverſe imitata prudentiam. Itaque decrevit ſenatus, ut ille veterator, & callidus, vinctus ad Hannibalem duceretur. Sed illud maximum: octo hominum millia [5] tenebat Hannibal, non quos in acie cepiſſet, aut qui periculo mortis diffugiſſent, ſed qui relicti in caſtris fuiſſent à Paulo, & Varrone, conſulibus. eos [6] ſenatus non cenſuit redimendos, cum id [7] parva pecunia fieri poſſet: ut eſſet inſitum militibus noſtris aut vincere, aut emori. Qua quidem re audita, fractum animum Hannibalis ſcripſit idem, quod ſenatus, populuſque Romanus rebus afflictis tam excelſo animo fuiſſet. ſic honeſtatis comparatione ea, quæ videntur utilia, vincuntur. [8] Acilius autem, qui Græce ſcripſit hiſtoriam, plures ait fuiſſe, qui in caſtra revertiſſent, eadem fraude, ut jurejurando liberarentur, eoſque à cenſoribus omnibus ignominiis notatos. Sit jam hujus loci finis. perſpicuum eſt enim, quæ timido animo, humili, demiſſo, fractoque fiant (quale fuiſſet Reguli

1 *Polybius*] Qui hiſtoriam Romanam elegantiſſime ſcripſit.

2 *Bonus auctor*] Maxime dignus, cui, aliquid narranti, fides habeatur. *Manut.*

3 *Liberatum ſe eſſe jurejurando*] Is autem ad hoſtem rediiſſe non proprie dicitur, qui clam rediit, ut ſtatim exiret; rediiſſe enim ita intelligi debet, ut in poteſtate hoſtium iterum ſit. Æque ſtulto perfidiæ effugio uſi ſunt Locri, cum polliciti, ſe pactis ſtaturos, quamdiu terram hanc inſiſterent, & capita humeris geſtarent, terram calceamentis injectam, & aliorum capita humeris impoſita abjecerunt, quaſi eo modo religione ſe poſſent exolvere. Simile, quod Bœotiæ populi, urbem polliciti reddere, non ſtantem, ſed everſam reddidere. *Rachel.*

4 *Adſtringit*] Aggravat, intenditque ſcelus.

5 *Tenebat Hannibal*] Fuſis Cannenſi prælio Romanis.

6 *Senatus non cenſuit redimendos*] Hoc imprimis ſecuti ſunt Romani in non accipiendis redemptionis captivorum legibus, ut & declararent, nec tanta clade ſe poſſe permoveri ad captos pretio liberandos, quos peccaſſe judicarant; utque fidem facerent hoſti, ſe non laborare penuria poſt tantas ſtrages civium. *Grav.*

7 *Parva pecunia*] Tribus minis, ut ſcribit Polybius lib. 6. ubi in Fragmentis hiſtoria hæc extat. *Fabrit.*

8 *Acilius*] Quæſtor Romanus, idemque Tribunus plebis. Annales imperii Romani Græce ſcripſit, quos Q. Claudium Quadrigarium ex Græco in Latinum ſermonem vertiſſe, auctor eſt Livius.

9 *Hujus loci*] In quo cum fortitudine comparata eſt utilitas.

factum,

factum, ſi aut de captivis,[1] quod ipſi opus eſſe videretur, non quod reipub. cenſuiſſet, aut domi remanere voluiſſet) non eſſe utilia, quia ſint flagitioſa, fœda, turpia.

33. Reſtat quarta pars, quæ decore, moderatione, modeſtia, continentia, temperantia continetur. Poteſt igitur quidquam eſſe utile, quod ſit huic talium[2] virtutum choro contrarium? Atqui ab[3] Ariſtippo Cyrenaici, atque[4] Annicerii philoſophi nominati, omne bonum in voluptate poſuerunt: virtutemque cenſuerunt ob eam rem eſſe laudandam, quod efficiens eſſet voluptatis. quibus[5] obſoletis, floret Epicurus, ejuſdem fere adjutor, auctorque ſententiæ. Cum his,[6] viris, equiſque (ut dicitur) ſi honeſtatem tueri, ac retinere ſententia eſt, decertandum eſt. nam ſi non modo utilitas, ſed vita omnis beata corporis firma conſtitutione, ejuſque conſtitutionis ſpe explorata (ut à[7] Metrodoro ſcriptum eſt) continetur: certe hæc utilitas, & quidem ſumma (ſic enim cenſent) cum honeſtate pugnabit. nam ubi primum prudentiæ locus dabitur? an ut conquirat undique ſuavitates? Quam miſer virtutis famulatus ſervientis voluptati! quod autem munus prudentiæ? an[8] legere intelligenter voluptates? fac nihil iſto eſſe jucundius: quid cogitari poteſt turpius? Jam, qui dolorem ſummum malum dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quæ eſt dolorum, laborumque contemptio? quamvis enim multis in locis[9] dicat Epicurus (ſicut hic dicit)

1 *Quod ipſi opus eſſe*] Quod ad ſuum emolumentum, ad incolumitatem propriam, non Reip. ſalutem pertinere videretur.

2 *Virtutum choro*] Recte *chorum* appellat, quia connexæ, & ſociatæ ſunt, quaſi catenæ quædam. *Maturant.*

3 *Ab Ariſtippo Cyrenaici*] Ab ipſo Ariſtippo Cyrenenſi. Fuit autem Cyrene oppidum inter Ægyptum, & Libyam.

4 *Annicerii*] Ab Anniceride, Philoſopho Cyrenaico, qui Ariſtippi ſectam aliquantulum emendavit.

5 *Obſoletis*] Antiquatis, ſublatis. *Maturant.*

6 *Viris, equiſque*] Id eſt, Extremo conatu. *Manut.* Vir induſtriæ, equus virium, & celeritatis ſymbolum. Aliis in locis eadem dictione proverbiali utitur Cicero. Ad Q. fratrem lib. 3. *Curſu corrigam tarditatem tuam cum equis, tum viris.* Philip. 8. *Armis, equis, viris D. Bruto ſubvenimus. Lang.*

7 *Metrodoro*] Athenienſi, Epicuri diſcipulo.

8 *Legere intelligenter voluptates*] Ut ſalutares noxiis, honeſtæ turpibus (ſi tamen hoc tribuendum eſt Epicuro) magnæ parvis, diuturnæ brevibus anteponantur. *Manut.*

9 *Dicat Epicurus ſatis fortiter de dolore*] Tale eſt, quod ex illo notavit Seneca Epiſt. 67. *Epicurus ait, ſapientem, ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce eſt, & ad me nil pertinet.* Vide & Epiſtolam præcedentem, in qua narrat, Epicurum, cum exulcerati ventris tormentis infeſtaretur, nihilominus dixiſſe, ſe diem illum beatum agere. *Grav.*

est] facis fortiter de dolore: tamen non id spectandum est, quid dicat, sed quid consentaneum sit ei dicere, qui bona voluptate terminaverit, mala dolore: ut, si illum audiam de continentia, & temperantia, dicit ille quidem multa multis locis: sed [1] aqua haeret, ut aiunt. nam [2] qui potest temperantiam laudare is, qui ponat summum bonum in voluptate? est enim temperantia libidinum inimica, libidines autem consectatrices voluptatis. Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallide [3] tergiversantur. Prudentiam introducunt scientiam suppeditantem voluptates, [4] depellentem dolores. fortitudinem quoque aliquo modo [5] expediunt, cum tradunt rationem negligendae mortis, perpetiendique doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facillime illi quidem, sed tamen quoquo modo possunt. dicunt enim, voluptatis magnitudinem [6] doloris detractione finiri. Justitia vacillat, vel jacet potius, omnesque eae virtutes, quae in communitate cernuntur, & in societate generis humani. neque enim benitas, nec liberalitas, nec comitas esse potest, non plus, quam amicitia, si haec non per se expetantur, sed ad voluptatem, utilitatemve referantur. Conferamus igitur in pauca. Nam ut utilitatem nullam esse docuimus, quae honestati esset contraria; sic omnem [7] voluptatem dicimus honestati esse contrariam. Quo magis

1 *Aqua haeret*] Proverbialiter dictum. Hoc est, Nihil fundamenti habet. *Maturant*. Fluctuando scipsum involvit, & nequit se explicare. *Ernst*. Non progreditur ejus ratio, impedimentis retinetur. *Manut*.

2 *Qui potest temperantiam*] Id est, Non sibi constare, sed prorsus repugnare videtur, qui temperantiam laudat, quae circa cupiditates refrenandas versatur, dum maxima ipsius beatitudo in appetitu sensitivo indulgendo collocatur. *Qui*, pro, quomodo, qua specie sibi constandi.

3 *Tergiversantur*] Sententias quodammodo mutant, veripelles fiunt, ad Stoicos, ad Peripatum recurrunt.

4 *Depellentem dolores*] Medetur enim Philosophia consternatis animis, ut alibi loquitur Cicero. *Manut*.

5 *Expediunt*] Id est, Explicant; ne videantur fortitudo à placitis suis aliena. *Maturant*.

6 *Doloris detractione finiri*] Sic legendum: non *fieri*. Hoc enim dicebant Epicurei: ubi dolor detractus esset, finiri, ac terminari, & (quo verbo ipsi utebantur) cessare voluptatem; neque crescere amplius, sed variari tantum. *Muret*.

7 *Voluptatem dicimus honestati esse contrariam*] Non, quod omnem damnet voluptatem; sed, cum de honestate disputat, non vult ulli voluptati locum esse, ut fecerat Callipho, & Dinomachus, aliique. Nam voluptas honestatem non potest reddere honestiorem, & meliorem, sed nonnunquam suaviorem, ut infestius docet. *Grav*.

reprehen-

reprehendendos [1] Calliphonem, & Dinomachum judico, qui ſe [2] dirempturos controverſiam putaverunt, ſi cum honeſtate voluptatem, tanquam cum homine pecudem, copulaviſſent. Non recipit iſtam conjunctionem honeſtas, aſpernatur, repellit. Nec vero finis bonorum, & malorum, qui ſimplex eſſe debet, ex [3] diſſimilibus rebus miſceri, & temperari poteſt. Sed de hoc (magna enim res eſt) [4] alio loco pluribus. Nunc ad propoſitum. Quemadmodum igitur, ſi quando ea, quæ videretur utilitas, honeſtati repugnat, dijudicanda res ſit, ſatis eſt ſupra diſputatum. Sin autem ſpeciem utilitatis etiam voluptas habere dicetur, nulla poteſt eſſe ei cum honeſtate conjunctio. Nam ut tribuamus aliquid voluptati, condimenti fortaſſe nonnihil, utilitatis certe nihil habebit.

Habes à patre munus, Marce fili, mea quidem ſententia magnum: ſed perinde erit, ut acceperis. quanquam tibi hi tres libri inter Cratippi commentarios, [5] tanquam hoſpites, erunt recipiendi. Sed ut, ſi ipſe veniſſem Athenas ([6] quod quidem eſſet factum, niſi me è medio curſu clara voce patria revocaſſet) aliquando me quoque audires; ſic, quoniam his voluminibus ad te profecta vox mea eſt, tribues his temporis quantum poteris; poteris autem, quantum voles. Cum vero intellexero, te hoc ſcientiæ genere gaudere, tum & præſens tecum propediem [7] (ut ſpero) &, dum aberis, abſens loquar. Vale igitur, mi Cicero, tibique perſuade, eſſe te quidem mihi cariſſimum: ſed multo fore cariorem, ſi [8] talibus monumentis, præceptiſque lætabere.

1 *Calliphonem, & Dinomachum*] Qui ſummum bonum in virtute cum voluptate conjuncta poſuerunt.

2 *Dirempturos controverſiam*] Id eſt, Ad concordiam inter ſe contendentes Philoſophos adducturos. *Beroſ.*

3 *Diſſimilibus rebus*] Honeſtate ſcilicet, & voluptate. *Manut.*

4 *Alio loco*] In libris de Finibus Bonorum, & Malorum.

5 *Tanquam hoſpites*] Modeſta extenuatio ſui operis, cum librorum Cratippi prædicatione. Quaſi diceret: Cratippi opera herilem auctoritatem habent apud te jubendi, ac præcipiendi: mei vero libri ſi comiter, tanquam peregrini, excipiantur, ſatis factum mihi erit. *Wiſ.*

6 *Quod quidem eſſet factum, niſi*] Inter tumultus Antonianos poſt mortem J. Cæſaris in Græciam profectionem paravit Cicero: ſed, cum Antonium pacem appetere intellexit, medio ex itinere Romam reverſus eſt.

7 *Ut ſpero*] Sed minimam hujuſce voti compos fuit Cicero. Nam paulo poſt ſcriptos hos libros, propter Philippicas orationes in Antonium habitas proſcriptus, & interfectus eſt.

8 *Talibus monumentis, præceptiſque*] Libris ſcilicet, in quibus præcipiuntur ea, quæ ad honeſtatem, veramque gloriam pertinent. Vocantur autem *monumenta*, paterni ſcilicet amoris in filium. *Manut.*

M. T. CICERONIS

[1]CATO MAJOR,

SIVE

De SENECTUTE Dialogus.

Ad T. POMPONIUM [2]Atticum.

1. *O Tite, si [3] quid ego [4] adjuero, curamve levasso,*
Quæ nunc te [5] coquit, & [6] versat in pectore fixa,
Ecquid erit [7] pretii?

Licet enim versibus iisdem mihi affari te, Attice, quibus affatur Flamininum

[8] *Ille vir, haud magna cum re, sed [9] plenus fidei.*

1 *Cato Major*] M. Porcius Cato, qui Major dicitur, ad discrimen alterius Catonis, sui pronepotis, qui bello civili Utica mortem sibi conscivit.

2 *Atticum*] Equitem Romanum, locupletissimum, & munificentissimum, probitatis, & moderationis singulare exemplar, Ciceroni convivam, & amicissimum. Cujus vita à Corn. Nepote eleganter describitur.

3 *Quid*] Nonnihil, aliquantulum. *Wolf.*

4 *Adjuero, levasso*] Pro, *adjuvero, levavero*. Antique dictum. *Manut.*

5 *Coquit*] Hoc est, Consumit.

6 *Versat in pectore fixa*] Penitus inhærens animo ægritudo versat te, id est, conquiescere non sinit, vexat, exagitat. *Wolf.*

7 *Pretii*] *Pretium* antiqui pro præmio dicebant. Inde *opera pretium, manupretium. Lang.* Veteres interdum usurparunt *pretium* pro mercede. Sic Horat.

Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
Servus: habes pretium, loris non uteris, ait. Lambin.

8 *Ille vir*] Periphrasis est Ennii poetæ encomium continens, viri tenui licet censu, fideli autem consilio Flaminium juvare volentis.

9 *Plenus fidei*] Penultima producta more veterum. Sic Lucretius:

— quia nam munita fidei.

quanquam

quanquam certo ſcio, non, ut [1] Flamininum,

Sollicitari te, Tite, ſic noctesque, dieſque.

[2] novi enim moderationem animi tui, & [3] æquitatem: teque non [4] cognomen ſolum Athenis deportaſſe, ſed [5] humanitatem, & [6] prudentiam intelligo. & tamen te ſuſpicor [7] iiſdem rebus, quibus meipſum, [8] interdum [9] gravius [10] commoveri: quarum conſolatio & major eſt, & in aliud tempus differenda. Nunc autem mihi viſum eſt de ſenectute aliquid ad te conſcribere, hoc enim onere, quod mihi commune tecum eſt, [11] aut jam urgentis, aut certe adventantis ſenectutis, & te, & meipſum levari volo. etſi te quidem id [12] modice, ac ſapienter, ſicut omnia, & ferre, & laturum eſſe certe ſcio. Sed mihi, cum de ſenectute aliquid vellem ſcribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo uterque noſtrum communiter uteretur. Mihi quidem ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut non modo omnes [13] abſterſerit ſenectutis moleſtias, ſed effecerit mollem etiam, & jucundam ſenectutem. nunquam igitur ſatis laudari digne poterit philoſophia, cui qui pareat, omne tempus ætatis ſine moleſtia poſſit degere. Sed [14] de cæteris & diximus multa, & [15] ſæpe dicemus. hunc li-

1 *Flamininum*] Significatur T. Quinctius Flamininus, qui Philippum bello ſuperavit, & ex Macedonia triumphavit. Hujus frater, Galliæ proconſul, à Catone cenſore ſenatu motus, & ignominia notatus fuerat, propter quendam, quem ad preces ſive amaſii, ſive amicæ vel ſua manu occiderat, vel ſecuri percuſſerat. Ob eam ignominiam fratris triſtem Titum conſolatur Ennius, eumque Cicero feſtive imitatur. *wolf.*

2 *Novi moderationem animi tui*] Novi te ita moderari animo tuo, ut neque ſecundis rebus efferatur, nec adverſis deprimatur. *Idem.*

3 *Æquitatem*] Æquum animum, æquanimitatem. *Manut.*

4 *Cognomen*] Attici cognomen meruit Pomponius, quia ſic Græce loquebatur, ut Athenis natus videretur.

5 *Humanitatem*] Doctrinam, & eruditionem. Unde *humaniores literæ* dicuntur artes liberales. *wolf.*

6 *Prudentiam*] Portaſſis in diſſimulando animi dolore. *Idem.*

7 *Iiſdem rebus*] Reip. ſcilicet perturbatione, Cæſare uno rerum potente. *Idem.*

8 *Interdum*] Majores enim ſunt vires Naturæ, quam diſciplinæ. *Manut.*

9 *Gravius*] Scilicet, quam deceat, aut doctrina permittat. *wolf.*

10 *Commoveri*] Perturbari, & dolore affici, propter interitum tot præſtantium virorum, proſcriptiones injuſtas, indignos ſucceſſus, & inſolentiam vilium, & improborum hominum, Tyranni ſuperbiam, occaſum legum, & Reip. honeſtiſſimos viros, & optimos cives omni auctoritate, omnibus dignitatum ornamentis ſpoliatos. *Idem.*

11 *Aut jam urgentis*] Cum ambo ſexagenarii eſſent. *Idem.*

12 *Modice*] Pro, *modeſte, moderate.*

13 *Abſterſerit*] Metaphora eſt à rebus luto, aut aliis maculis contaminatis. *wolf.*

14 *De cæteris*] Scilicet, Philoſophiæ laudibus. *Idem.*

15 *Sæpe dicemus*] Ciceroni enim propoſitum fuit, totam Philoſophiam Latinis literis illuſtrare. *Idem.*

brum de ſenectute ad te miſimus. Omnem autem ſermonem tribuimus non [1] Tithono, ut [2] Ariſto Chius (parum enim eſſet auctoritatis in fabula) ſed M. Catoni ſeni, quo majorem auctoritatem haberet oratio, apud quem Lælium, & [3] Scipionem [4] facimus admirantes, quod is tam facile ſenectutem ferat, iiſque eum reſpondentem. qui ſi eruditius videbitur diſputare, quam conſuevit ipſe in ſuis libris, attribuito [5] Græcis literis, quarum conſtat eum perſtudioſum fuiſſe in ſenectute. Sed quid opus eſt plura? jam enim ipſius Catonis ſermo explicabit noſtram omnem de ſenectute ſententiam.

2. *Scip.* Sæpenumero mirari ſoleo cum hoc C. Lælio, tum [6] cæterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, perfectamque ſapientiam, tum vel maxime, quod nunquam ſenectutem tibi [7] gravem eſſe ſenſerim: quæ pleriſque ſenibus ſic odioſa eſt, ut [8] onus ſe Ætna gravius dicant ſuſtinere. *Cato.* Rem [9] haud ſane difficilem, Scipio, & Læli, admirari videmini. [10] quibus enim nihil opis eſt in ipſis ad bene, beateque vivendum, iis [11] omnis gravis eſt ætas: [12] qui autem omnia bona à ſeipſis petunt, iis nihil poteſt [13] malum videri, quod naturæ neceſſitas afferat. quo in genere in primis eſt ſe-

1 *Tithono*] Laomedontis filio. Qui cum ab Aurora adamatus eſſet, ab eaque in cœlum ſublatus, illius ſucco perunctus eſt: atque ab id ad eam ſenectutem pervenit, ut petiverit ſe in cicadam converti. De quo Horatius:

Longa Tithonum minuit ſenectus. Manut.

2 *Ariſto Chius*] Philoſophus Stoicus, qui librum de ſenectute compoſuit.

3 *Scipionem*] Africanum minorem, Pauli Æmilii filium. *Manut.*

4 *Facimus admirantes*] Pro, fingimus eos admirari. *Wolf.*

5 *Græcis literis*] Quas nemo grandior, Sardinia prætor, ab Ennio didiciſſe ferunt. *Manut.*

6 *Cæterarum rerum*] Eſt locutio imperfecta, quæ ſignificat, *quod ad cæteras res attinet.* Ut in Bruto cap. 6 *Tum ille, Cæterarum rerum, inquit, ipſas & dolas, & dolendam pœnæ.* Cicero.

7 *Gravem*] Neque corpus, neque animum tuum deprimere: non eſſe tibi odioſam. *Wolf.*

8 *Onus Ætna gravius*] Amplificatio hyperbolica. Eſt autem Ætna maximus Siciliæ mons. Ejus deſcriptio nota eſt è tertio Virgilianæ Æneidos. *Idem.*

9 *Haud ſane difficilem*] Id eſt, Rem, cujus cauſa in promptu ſit. *Idem.*

10 *Quibus nihil opis eſt in ipſis*] Qui ſapientia, & virtute carent. *Idem.* Qui omnes vitæ rationes ſuſpenſas habent à muneribus Fortunæ, rebuſque aliis, quæ non ſunt noſtri juris, & poteſtatis. *Grav.*

11 *Omnis gravis eſt ætas*] Cum nulla ſit ætas vel à Fortunæ temeritate, vel à dolore corporis, vel ab animi ægritudine immunis *Wolf.*

12 *Qui omnia bona à ſeipſis*] Id eſt, Viri bōni, & ſapientes: qui pluris faciunt animum, quam corpus. *Idem.*

13 *Malum*] Naturæ humanæ repugnans, & inimicum. *Idem.*

nectus,

nectus, quam ut adipiſcantur, omnes optant: eandem accuſant adeptam: [1] tanta ineſt inconſtantia ſtultitiæ, atque perverſitas. Obrepere aiunt eam citius, quam putaſſent. Primum, quis coegit eos falſum putare? qui enim citius adoleſcentiæ ſenectus, quam pueritiæ adoleſcentia obrepit? deinde, qui minus gravis eſſet iis ſenectus, ſi octingenteſimum annum agerent, quam octogeſimum? præteriit enim ætas, quamvis longa, [2] cum effluxiſſet, nulla conſolatione [3] permulcere poſſet [4] ſtultam ſenectutem. Quocirca, ſi ſapientiam meam admirari ſoletis (quæ utinam digna eſſet opinione veſtra, [5] noſtroque cognomine!) in hoc ſumus ſapientes, quod naturam optimam ducem, [6] tanquam Deum, ſequimur, eique paremus: à qua non veriſimile eſt, cum cæteræ partes ætatis bene deſcriptæ ſint, extremum actum, tanquam ab inerti poeta, eſſe neglectum. ſed tamen neceſſe fuit eſſe aliquid extremum, &, tanquam in arborum baccis, terræque frugibus maturitate tempeſtiva, quaſi [7] vietum, & [8] caducum: quod ferendum eſt [9] molliter ſapienti. quid enim eſt aliud [10] gigantum modo bellare cum Dîis, niſi naturæ repugnare? *Lel.* Atqui, Cato, [11] gratiſſimum nobis (ut etiam pro Scipione pollicear) feceris, ſi, quoniam ſperamus ([12] volumus quidem certe) ſenes fieri, ante multo à te didi-

1 *Tanta ineſt inconſtantia ſtultitiæ*] Hoc eſt, Tam inconſtantes ſunt homines ſtulti, atque perverſi, quibus nihil opis eſt in ſeipſis ad bene, beateque vivendum. *Grav. Stultitiam* paſſim ſic uſurpat Tullius, ut *Stultos mortales* intelligat. *Gronov.* Dogma Stoicorum eſt, ſolum ſapientem, qui ſciat res omnes æſtimare ſuo pretio, eſſe conſtantem. *Grav.*

2 *Cum effluxiſſet*] Perinde enim eſt, ac ſi nunquam fuiſſet. *Manut.*

3 *Permulcere*] Id eſt, Delinire, & leniorem reddere. *Wolf.*

4 *Stultam ſenectutem*] Id eſt, Eam, quæ ſenſu trahitur, non ratione ducitur. *Idem.* Metonymia. Continens pro contento. *Manut.*

5 *Noſtro cognomine*] Quod nobis impoſuerunt homines, cum nos ſapientes vocant. *Grav.* M. enim Cato, & C. Lælius nominati Sapientes. *Manut.*

6 *Tanquam Deum*] Stoici ſine Naturam dicebant Deum. *Quid aliud eſt Natura*, inquit Seneca, *quam Deus, & divina ratio toti mundo, & partibus ejus inſerta? Grav.*

7 *Vietum*] Languidum, ſine vi, naturalibus privatum viribus, auctore Feſto. Molle, flaccidum, rugoſum. Apud Terentium Eunuchus *vietus*, vetus, veternoſus, ſenex. *Wolf.*

8 *Caducum*] Ad caſum pronum. *Manut.*

9 *Molliter*] Non effœminate, & parum viriliter; ſed animo leni, & non iniquo. *Idem.*

10 *Gigantum modo*] Sic Livius: *Latrocinii modo, pecudum modo*, pro, more. *Lang.* De Gigantomachia vide Heſiodi Theogoniam, Virgil. Georg. 1. Ovid. Metam. I.

11 *Gratiſſimum nobis feceris*] Plurimum tibi debebimus: maximo nos ab te affectos eſſe beneficio putabimus. *Wolf.*

12 *Volumus*] *Velle* ſimplex, & honeſtum verbum eſt; quo animi noſtri deſiderium explicamus, non vehemens quidem illud, ſed extra omnes motus.

cerimus, quibus facillime rationibus ingraveſcentem ætatem ferre poſſimus. *Cat.* Faciam vero, Læli; præſertim ſi utrique veſtrum, ut dicis, gratum futurum eſt. *Scip.* Volumus ſane, niſi moleſtum eſt, Cato, tanquam aliquam viam longam confeceris, [1] quam nobis quoque ingrediendum ſit, iſtuc, quo perveniſti, videre, quale ſit.

3. *Cat.* Faciam, ut potero, Læli. [2] ſæpe enim interfui querelis meorum æqualium ([3] pares autem cum paribus, veteri proverbio, facillime congregantur) quæ C. Salinator, quæ Sp. Albinus, [4] homines conſulares, noſtri fere æquales, deplorare ſolebant: tum quod voluptatibus carerent, ſine quibus vitam nullam putarent: tum quod ſpernerentur ab iis, à quibus eſſent coli ſoliti. qui mihi non id videbantur accuſare, quod eſſet accuſandum. nam, ſi id culpa ſenectutis accideret, eadem mihi uſu evenirent, reliquiſque omnibus majoribus natu: quorum ego multorum cognovi ſenectutem ſine querela: qui ſe & libidinum vinculis laxatos eſſe non moleſte ferrent, nec à ſuis deſpicerentur: ſed omnium iſtiuſmodi querelarum in moribus eſt culpa, non in ætate. [5] moderati enim, & [6] nec difficiles, [7] nec inhumani ſenes tolerabilem agunt ſenectutem. Importunitas autem, & inhumanitas [8] omni ætate

cus. *Cupere* autem vitium ſonat. *Lang.*

1 *Quam nobis quoque ingrediendum ſit*] Sic loquebantur veteres. Lucretius lib. 1.

Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Jam, quin Latini ita loquantur, *ingredi viam*, nemini Latinè ſcienti dubium eſt. *Lambin.*

2 *Sæpe interfui querelis, quæ*] Conſtructio referri videtur ad intellectum, non ad verba, quæ ponuntur: id, quod ſæpiſſime fit à Græcis, quos Cicero cum alias ſæpe, tum in libris philoſophicis frequenter imitatur. Senſus hujus loci eſt: Sæpe audivi ea, quæ mei æquales deplorare ſolebant. *Wolf.* *Quæ* hic non tam ad nomen, *querelæ*, quam ad ſententiam reſpicit: quod Atticis eſt familiarius. *Lang.*

3 *Pares cum paribus*] Sic Ariſtoteles Rhet. lib. 2. Ἥλικες ἡλίκοις ἥδιστοι. *Urſin.*

4 *Homines conſulares*] Id eſt, Conſulatu functi. Sic dicuntur quæſtorii, ædilitii, prætorii, cenſorii, qui magiſtratus illos aliquando geſſerunt. *Wolf.*

5 *Moderati*] Qui cupiditatibus, voluptatibus, & iracundiæ moderentur. *Manut.*

6 *Nec difficiles*] Qui nec æquas petitiones reſpuant, nec modicis deliciis veniam negent, nec neceſſe habeant omnia pro ſuo jure agere: apud quos & cognoſcendi, & ignoſcendi peccati locus ſit. *Wolf.*

7 *Nec inhumani*] Comes, benigni, non importuni, & moroſi: qui habent aliquid juvenilis hilaritatis. *Manut.* Nam plerumque ſenex eſt

Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum. Horat.

8 *Omni ætate moleſta eſt*] Omni in ætate, inquit, moleſta eſt importunitas hominibus, non ſolum in ſenectute. *Grav.*

moleſta

moleſta eſt. *Læl.* Eſt, ut dicis, Cato. ſed fortaſſe dixerit quiſpiam, tibi propter opes, & copias, & dignitatem tuam, tolerabiliorem ſenectutem videri: id autem non poſſe multis contingere. *Cato.* [1] Eſt iſtuc quidem, Læli, aliquid; ſed nequaquam in iſto ſunt omnia: ut Themiſtocles fertur Seriphio cuidam in jurgio reſpondiſſe, cum ille dixiſſet, non eum ſua, ſed patriæ gloria ſplendorem aſſecutum: [2] Nec hercule, inquit, ſi ego Seriphius eſſem, nobilis: nec tu, ſi Athenienſis eſſes, clarus unquam fuiſſes. quod eodem modo de ſenectute poteſt dici. Neque enim in ſumma inopia levis eſſe ſenectus poteſt, ne ſapienti quidem: nec inſipienti etiam in ſumma copia non gravis. Aptiſſima omnino ſunt, Scipio, & Læli, [3] arma ſenectutis artes, [4] exercitationeſque virtutum: quæ in omni ætate cultæ, [5] cum multum, diuque vixeris, mirificos efferunt fructus, non ſolum quia nunquam deſerunt, ne in extremo quidem tempore ætatis (quanquam id maximum eſt) verum etiam quia conſcientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio jucundiſſima eſt.

4. Ego Q. Maximum, eum, qui [6] Tarentum recepit, [7] adoleſcens ita dilexi ſenem, ut æqualem. erat enim in illo viro comitate condita gravitas: nec ſenectus mores mutaverat. quanquam eum colere cœpi, non admodum grandem natu,

1 *Eſt iſtuc quidem aliquid*] Concedit Cato commoda Fortunæ nonnihil habere virium ad animum erigendum. *Wolf.*

2 *Nec hercule, ſi ego Seriphius eſſem, nobilis*] Non potuit acutius reſpondere, aut modeſtius. Nam & cum homine patriam vituperavit, & ſuam laudem cum patriæ laude conjunxit. *Manut.* Hoc ſentit: Patriam ad conſequendam nominis celebritatem habere quidem aliquid momenti, ſed ea ſola hominem non nobilitari, niſi acceſſerint quædam majora, ut in rebus gerendis eximia prudentia, & fortitudo, aliaque hujuſmodi. *Balduin.* Seriphos eſt una inſularum Sporadum perexigua, gente admodum ignobili, etiam proverbio tenus. Voluit itaque Themiſtocles non hominis modo ignobilitatem, ſed totius gentis perſtringere; quaſi & ingenio, & animo tam humiles ſint, ut ne evadere quidem ex illis quis poſſit in virum clarum. *Lang.*

3 *Arma ſenectutis*] Id eſt, Præſidia, quibus ſenes contra ætatis moleſtias, & ingratorum hominum contemptum ſe defendant. *Wolf.*

4 *Exercitationes virtutum*] Habitus prudenter, juſte, fortiter, temperanter omnia agendi.

5 *Cum multum, diuque vixeris*] Periphraſis eſt pro, *in ſenectute*. *Wolf.*

6 *Tarentum*] Calabriæ Metropolin. Bello Punico ſecundo ad Hannibalem defecit. Q. Fabius Maximus eam recuperavit, militibuſque diripiendam tradidit. *Manut.*

7 *Adoleſcens ita dilexi ſenem*] Quaſi dicat, Ætatis inæqualitas amicitiæ noſtræ nihil incommodavit. *Wolf.*

ſed

ſed tamen jam ætate provectum. anno enim poſt, conſul primum fuerat, quam ego natus ſum: cumque eo quartum conſule adoleſcentulus miles profectus ſum ad Capuam, quintoque anno poſt ad Tarentum quæſtor: deinde ædilis, quadriennio poſt factus ſum prætor; quem magiſtratum geſſi conſulibus Tuditano, & Cethego, cum quidem ille, admodum ſenex, [1] ſuaſor legis [2] Cinciæ [3] de donis, & muneribus fuit. Hic & bella gerebat, [4] ut adoleſcens, cum plane grandis eſſet: & Hannibalem juveniliter exultantem patientia ſua [5] molliebat: de quo præclare [6] familiaris noſter Ennius:

Unus qui nobis [7] cunctando [8] reſtituit rem.
[9] Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo poſtque, magiſque viri nunc gloria claret.

Tarentum vero qua vigilantia, quo conſilio recepit? cum

1 *Suaſor legis*] Ejus approbandæ auctor. *Idem.*

2 *Cincia*] Cincia ab auctore dicitur, qui eam primum ad populum Romanum tulit, id eſt, publice deliberandum propoſuit, an ea valere deberet. *Idem.*

3 *De donis, & muneribus*] Qua cavetur, ne quis ob cauſam orandam pecuniam, donumve accipiat. *Manut.* Hoc eſt, Ut patroni cauſarum gratuitam operam navarent ſuis clientibus. Cujus legis hic finis fuiſſe videtur; ne homines improbi ullum haberent, à quo eorum ſcelera in judicio defenderentur: id, quod pecuniæ gratia magis fit, quam ob ullam rem aliam. *Wolf.*

4 *Ut adoleſcens*] Alacritate animi, non temeritate juvenili. *Manut.*

5 *Molliebat*] Hæc eſt Ciceronis ſententia: Fabius Hannibalem facinora audaciæ, & animi, & ferveris plena edentem frangebat, & mollem reddebat, & ejus conatus inanes, & irritos efficiebat. *Lambin.* Retardabat ejus impetum, quia pugnandi copiam non faciebat; quod ſciret Hannibalem firmiore exercitu inſtructum eſſe. *Wolf.* Efficiebat, ut minus exultaret, qui ſuperioribus victoriis, ducumque Romanorum inficiis exultare ſolitus erat. Quis autem ignorat, *molles* qui ſunt, modeſtius agere, nec temere exultare ſolitos eſſe? Ergo Fabius *patientia ſua*, quia locum committendi prælii acerrimo duci Hannibali, pugnandi cupido, nunquam dabat, reprimebat enim; nec ſinebat, ut antea, juveniliter exultare; ſed molliorem, quietioremque reddebat, quia ſibi cum ſapientiſſimo duce, nihil per imprudentiam, temeritatemve peccante, quibus antea vitiis res Romana laboraverat, negotium eſſe intelligeret. *Manut.*

6 *Familiaris noſter*] Conſtabat Enniam Catonis familiarem fuiſſe, utpote quem ille ex Sardinia Romam adduxerat, cum de Africa quæſtor rediret, ut refert Nepos. *Lang.*

7 *Cunctando*] Inde Cunctatoris cognomen adeptus. *Manut.*

8 *Reſtituit rem*] Scilicet Romanam, variis cladibus ab Hannibale, & Hasdrubale illatis pene funditus collapſam. *Wolf.*

9 *Non ponebat enim*] Id eſt, Propter convicium ſtulti populi, & magiſtri equitum, Q. Minucii, obtrectationes, & injurias, non diſcedebat à ratione conſiliorum ſuorum. Prævidebat enim Hannibalem acie vinci facile non poſſe: ducendo vero bello fatigari poſſe. Ergo periculoſæ dimicationi ſalutarem cunctationem antepoſuit. *Idem.*

quidem,

quidem, me audiente, [1] Salinatori, qui, amiſſo oppido, fugerat in arcem, glorianti, atque ità dicenti: Mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepiſti: [2] Certe, inquit ridens: nam, niſi tu amiſiſſes, nunquam recepiſſem. Nec vero [3] in armis præſtantior, quam in toga: qui conſul iterum, Sp. Carvilio collega quieſcente, [4] C. Flaminio, tribuno plebis, quoad potuit, reſtitit, [5] agrum Picentem, & Gallicum viritim [6] contra ſenatus auctoritatem [7] dividenti: augurque cum eſſet, dicere auſus eſt, [8] optimis auſpiciis ea geri, quæ pro reip. ſalute gererentur: quæ contra remp. ferrentur, contra auſpicia ferri. Multa in eo viro præclara cognovi; ſed nihil eſt admirabilius, quam [9] quomodo ille mortem M. filii tulit, [10] clari viri, & conſularis. eſt in manibus [11] laudatio: quam cum legimus, [12] quem philoſophum non contemnimus? Nec vero ille [13] in luce modo, atque in oculis civium [14] magnus: ſed [15] intus, domique præſtantior. qui ſermo? [16] quæ præcepta? quanta [17] notitia antiquitatis? quæ ſcientia [18] juris augurii?

1 *Salinatori*] C. Livio Salinatori, arcis Tarentinæ præfecto. *Manut.*

2 *Certe: nam, niſi tu amiſiſſes*] Scommatis hujus hic ſenſus eſt: Salinatori non fuiſſe gloriandum de retenta arce, deque navata opera in recuperanda urbe; ſed potius erubeſcendum de oppido per negligentiam, & timiditatem amiſſo. *wolf.* Falſe perſtringitur inanis oſtentatio Salinatoris, qui alieno labore partam gloriam verbis in ſe tranſmoveret, & ſuſceptum dedecus ea ratione delere cuperet. *Manut.*

3 *In armis præſtantior, quam in toga*] *Arma* pro bello, *togam* pro pacata Reip. adminiſtratione ponit. Sententia eſt: Eum domi, militiæque æque præſtantem virum fuiſſe. *wolf.*

4 *C. Flaminio*] Qui conſul ad Thraſimenum in prælio cæſus eſt. *Manut.*

5 *Agrum Picentem*] Picentes in Campaniam tranſlatos Strabo ſcribit. *Lang.*

6 *Contra ſenatus auctoritatem*] Invito, & refragante Senatu. *Manut.*

7 *Dividenti*] Provinciæ bello partæ in ærarium redigebantur, ut ſumptus ad alia bella gerenda ſupperetent. Tribuni vero, captatores popularis auræ, nonnunquam auctores erant, ut pauperibus civibus reditus ex æquo dividerentur. *wolf.*

8 *Optimis auſpiciis ea geri*] Id eſt, Non tam curandum eſſe volatum avium, quàm accurate cogitandum, quid è Repub. ſit. *Idem.* Ad Homericum illud reſpexit:

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. *Urſin.*

9 *Quomodo*] Quanta animi conſtantia, & moderatione. *Manut.*

10 *Clari*] Ob res bene geſtas, & dignitatem. *wolf.*

11 *Laudatio*] Scilicet M. Fabii, ſcripta à patre. *Idem.*

12 *Quem philoſophum non contemnimus*] Id eſt, Nihil à Philoſophis ſcriptum extat, quod tantam vim habeat ad luctum minuendum. *Idem.*

13 *In luce, in oculis civium*] Id eſt, In publico, in conſpectu populi. *Idem.*

14 *Magnus*] Virtute, & ſapientia pollens.

15 *Intus*] Id eſt, Apud animum ſuum: Græce, κατ' ἰδίαν. *Manut.*

16 *Quæ præcepta*] Id eſt, Sapientiſſime familiam ſuam ad honeſtam diſciplinam erudiebat. *wolf.*

17 *Notitia antiquitatis*] Hoc non tantum de hiſtoriis in literis relatis accipiendum eſt, ſed etiam de veteribus inſtitutis, & moribus civitatis. *Idem.*

18 *Juris augurii*] Ea diſciplina in

[1] multæ etiam, [2] ut in homine Romano, literæ. omnia memoria tenebat, non [3] domeſtica ſolum, ſed etiam [4] externa bella: cujus ſermone ita tum cupide fruebar, quaſi jam divinarem id, quod evenit, illo extincto, [5] fore, unde diſcerem, neminem.

5. Quorſum igitur hæc tam multa de Maximo? quia profecto videtis nefas eſſe dictu, miſeram fuiſſe [6] talem ſenectutem. Nec tamen omnes poſſunt eſſe [7] Scipiones, aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedeſtres, navaleſve pugnas, ut bella à ſe geſta, ut triumphos recordentur. [8] eſt etiam [9] quiete, & [10] pure, & eleganter actæ ætatis placida, ac lenis ſenectus: qualem accepimus Platonis, qui uno, & octogeſimo anno ſcribens mortuus eſt. qualem Iſocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inſcribitur, quarto, & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, vixitque quinquennium poſtea: cujus magiſter, Leontinus Gorgias, centum, & ſeptem complevit annos: neque unquam [11] in ſuo ſtudio, atque opere ceſſavit. qui, cum ex eo quæreretur, [12] cur tamdiu vellet eſſe in vita? Nihil habeo, inquit, quod incuſem ſenectutem. Præclarum reſponſum, & docto homine dignum. ſua enim vitia inſipientes, & ſuam culpam in ſenectutem conferunt: quod non faciebat is, cujus modo mentionem feci, Ennius,

tanto honore fuit, ut apud Romanos neque domi, neque foris quicquam rei gravioris inauſpicato gereretur. *Idem.*

1 *Multæ etiam literæ*] Id eſt, Multæ lectionis, atque eruditus fuit. *Idem.*

2 *Ut in homine Romano*] Literarum enim laudem Romani Græciæ concedebant, militarem ſibi aſſumebant. *Manut.*

Quippe magis norat, quam ſidera, Romulus arma.

Perinde igitur hoc eſt, ac ſi dixerit: Etſi eruditione Græcis Fabius comparari non potuit, tamen inter Romanos excelluit. *Wolf.*

3 *Domeſtica*] Geſta à Romanis. *Manut.*

4 *Externa*] Exterarum nationum, Græcorum, Perſarum, Aſſyriorum. *Idem.*

5 *Fore, unde diſcerem, neminem*] *Unde*, id eſt, A quo. *Idem.* Hyperbolica laudatio eſt, quaſi cum Fabio una etiam ſapientia eſſet mortua. *Wolf.*

6 *Talem ſenectutem*] Id eſt, Senem eo & animi, & corporis vigore præditum. *Idem.*

7 *Scipiones*] Majorem Africanum ſignificat. *Manut.*

8 *Eſt etiam*] Etiam in privata vita ſuaviter conſeneſcere licet. *Wolf.*

9 *Quiete*] Extra occupationes publicas. *Idem.*

10 *Pure, & eleganter*] Videntur hæc referenda eſſe partim ad vitam ſine flagitiis exactam, partim ad vitæ genus, non ſordidum, quale eſt opificum, ſed Philoſophicum. *Idem.*

11 *In ſuo ſtudio, atque opere*] Diſputando, declamando, ſcribendis orationibus.

12 *Cur tamdiu vellet eſſe in vita*] Aut hoc vult, Cur libenter adhuc viveret? Aut, Cur non necem ſibi conſciſceret? *Wolf.*

[1] *Sicut fortis equus, ſpatio qui ſæpe ſupremo*
[2] *Vicit Olympia, nunc ſenio confectus quieſcit.*

Equi fortis, & victoris ſenectuti comparat ſuam: quem quidem probe meminiſſe poteſtis. Anno enim undeviceſimo poſt ejus mortem, hi conſules, T. Flamininus, & M. Acilius facti ſunt: ille autem, Cæpione, & Philippo iterum conſule, mortuus eſt: cum ego quidem, V, & LX annos natus, [3] legem Voconiam voce magna, & bonis lateribus ſuaſiſſem. Annos LXX natus (tot enim vixit Ennius) ita ferebat duo, quæ maxima putantur, onera, [4] paupertatem, & ſenectutem, ut eis pene delectari videretur. Etenim, cum [5] contemplor animo, reperio quatuor cauſas, cur ſenectus miſera videatur: unam, quod avocet à rebus gerendis: alteram, quod corpus faciat infirmius: tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus: quartam, quod haud procul abſit à morte. Earum, ſi placet, cauſarum quanta, quamque ſit juſta unaquæque, videamus.

6. A rebus gerendis ſenectus abſtrahit? Quibus? an iis, quæ in juventute geruntur, & viribus? Nullæne igitur [6] res ſunt ſeniles, quæ vel infirmis corporibus, animo tamen adminiſtrentur? Nihil ergo agebat Q. Maximus? nihil L. Paulus, pater tuus, Scipio, ſocer optimi viri, filii mei? cæteri ſenes, Fabricii, Curii, Coruncanii, cum remp. conſilio, & auctoritate defendebant, nihil agebant? Ad Appii Claudii ſenectutem accedebat etiam, ut cæcus eſſet: tamen is, cum ſententia ſenatus inclinaret ad pacem, & fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quæ verſibus perſecutus eſt Ennius:

1 *Sicut fortis*] Sententia horum verſuum eſt: Se, dum adoleſcens fuerit, multa ſcripſiſſe: nunc, poſtquam conſenuerit, lætari anteactis laboribus. *Idem.*

2 *Vicit Olympia*] Synecdoche Attica. *Pugnare pugnam, certare certamen.* Manut.

3 *Legem Voconiam*] Ea edicebat, ne mulieribus ultra quadrantem legare liceret: ſapienti conſilio, ne veteſtæ familiæ, tranſlatis ad alienos opibus, ad egeſtatem redactæ peſſum irent. *Wolf.* Q. Voconius Saxa, tribunus plebis, hanc legem tulit de coercendis mulierum hæreditatibus.

4 *Paupertatem*] *Paupertas* ſic intelligenda eſt, non ut rebus neceſſariis caruerit (id enim Scipiones, in quorum monumentis ſepultus eſt, paſſi nequaquam eſſent) ſed quod opibus non abundarit. *Wolf.*

5 *Contemplor*] *Contemplari* verbum augurale eorum, qui, templo capto, qua viſus patet, circumſpiciunt. Unde elegantèr ad animum transfertur. *Gruter.*

6 *Res ſeniles*] Quæ ſenectute geruntur, & ſine viribus corporum. *Wolf.*

Quo vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant
Antehac, dementes ſeſe [1] flexere via?

cæteraque graviſſime: notum enim vobis carmen eſt: & tamen ipſius Appii extat oratio. atque hanc ille egit ſeptem, & decem annos poſt alterum conſulatum, cum inter duos conſulatus anni decem interfuiſſent, cenſorque ante conſulatum ſuperiorem fuiſſet. Ex quo intelligitur, Pyrrhi bello [2] grandem ſane fuiſſe: & tamen ſic à patribus accepimus. [3] Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda verſari ſenectutem negant: ſimileſque ſunt iis, qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, cum alii malos ſcandant, alii per [4] foros curſent, alii ſentinam exhauriant: ille autem clavum tenens quietus ſedeat in puppi. Non facit ea, quæ juvenes. at vero multo majora, & meliora facit. Non viribus, aut [5] velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur: ſed conſilio, auctoritate, ſententia: quibus non modo non orbari, ſed etiam [6] augeri ſenectus ſolet. niſi forte ego vobis, qui & miles, & tribunus, & legatus, & conſul verſatus ſum [7] in vario genere bellorum, ceſſare nunc videor, cum bella non gero. At ſenatui, quæ ſunt gerenda, præſcribo, & quomodo: Carthagini male jam diu cogitanti bellum multo ante denuntio: de qua vereri non ante deſinam, quam illam exciſam eſſe cognovero. quam palmam utinam Dii immortales tibi, Scipio, reſervent, ut [8] avi reliquias perſequare! cujus à morte hic tertius, & triceſimus eſt annus: ſed memoriam illius viri excipient omnes anni conſequentes. Anno

1 *Flexere via*] *Via flectere* pro, deflectere, hoc eſt, aberrare. *Guilielm.*

2 *Grandem*] Longævum, ætate provectum.

3 *Nihil afferunt*] Nugas agunt, nulla firma ratione utuntur, ab ipſa experientia coarguuntur. *Manut.* Id eſt, Nihil probant, vel affirmant id, quod falſum eſt. *Wolf.*

4 *Foros*] *Fori* ſunt tabulata navium, vel locus in navi aptior, qui iter navem perambulantibus præbet: ab eo, quod inceſſus ferant, inquit Feſtus cum Servio.

5 *Velocitatibus*] Græca imitatione pluralí numero etiam alibi ſæpe utitur. *Wolf.*

6 *Augeri*] Videlicet propter uſum multarum rerum, & maturitatem in decernendo, animique moderationem. *Idem.*

7 *In vario genere bellorum*] Præſertim in Hiſpania. Livius, Plutarch. *Manut.*

8 *Avi*] Scipio, qui in hoc Dialogo loquitur, fuit Pauli Æmilii filius; ſed adoptatus eſt à P. Scipionis Africani filio, qui nullam ſobolem ſuſceperat. Is igitur Scipio, qui victo Hannibale Carthaginem tributariam fecit, avus hujus fuit per adoptionem. *Wolf.*

ante

ante me cenſorem mortuus eſt, novem annis poſt meum conſulatum, cum conſul iterum, me conſule, creatus eſſet. Num igitur, ſi ad centeſimum annum vixiſſet, ſenectutis eum ſuæ pœniteret? nec enim excurſione, nec ſaltu, nec eminus haſtis, aut cominus gladiis uteretur: ſed conſilio, ratione, ſententia. quæ niſi eſſent in ſenibus, non ſummum conſilium majores noſtri appellaſſent Senatum. Apud Lacedæmonios quidem ii, qui ampliſſimum magiſtratum gerunt, ut ſunt, ſic etiam nominantur ſenes. Quod ſi legere, aut audire voletis [1] externa, maximas reſp. ab adoleſcentibus labefactas, à ſenibus ſuſtentatas, & reſtitutas reperietis.

Cedo, qui veſtram remp. tantam amiſiſtis tam cito?

ſic enim percontantur, ut eſt in Nævii ludo. reſpondentur & alia, & hæc in primis:

Provenitbant oratores [2] novi, ſtulti, adoleſcentuli.

Temeritas eſt videlicet florentis ætatis, [3] prudentia ſenescentis.

7. At memoria minuitur. credo, niſi eam exerceas, aut ſi ſis natura tardior. Themiſtocles omnium civium nomina perceperat. num igitur cenſetis eum, cum ætate proceſſiſſet, qui Ariſtides eſſet, Lyſimachum ſalutare ſolitum? Equidem non modo eos novi, qui ſunt; ſed eorum patres etiam, & avos. [4] nec ſepulcra legens vereor (quod aiunt) ne memoriam perdam: his enim ipſis legendis redeo in memoriam mortuorum. nec vero quemquam ſenum audivi oblitum, quo loco theſaurum obruiſſet. omnia, quæ curant, meminerunt: [5] vadimonia conſtituta: qui ſibi, quibus ipſi debeant. Quid

1 *Externa*] Scilicet exempla, ſeu hiſtorias aliarum nationum. *Idem.*

2 *Novi*] Rerum imperiti: ſive, novandarum rerum cupidi. *Manut.*

3 *Prudentia ſenescentis*] Quia cupiditatum fervor, & iracundiæ æſtus deflagrarunt, minuſque judicium mentis, & rationis impediunt. *Muſſ.*

4 *Nec ſepulcra legens vereor, ne memoriam perdam*] Legendis enim multorum nominibus perturbatur, & confunditur memoria. *Manut.* Vulgo putabatur officere memoriæ, ſi quis legeret inſcripciones ſepulcrorum. *Erafm.*

5 *Vadimonia*] *Vadimonium* eſt ſponſio ad certam diem ſiſtendi ſe in judicio, id eſt, comparendi per ſe, vel per advocatos.

juriſ-

juriſconſulti? quid pontifices? quid augures? quid philoſophi ſenes? quam multa meminerunt? manent ingenia ſenibus, modo permaneat ſtudium, & induſtria: nec ea ſolum in claris, & honoratis viris, ſed in vita etiam privata, & quieta. Sophocles ad ſummam ſenectutem tragœdias fecit: [1] quod propter ſtudium cum rem familiarem negligere videretur, [2] à filiis in judicium vocatus eſt: ut, quemadmodum noſtro more [3] male rem gerentibus [4] patribus bonis interdici ſolet, ſic illum, quaſi deſipientem, à re familiari removerent judices. Tum ſenex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, & proxime ſcripſerat, [5] Oedipum Coloneum, recitaſſe judicibus, quæſiſſeque, num illud carmen deſipientis videretur. quo recitato, ſententiis judicum eſt liberatus. Num igitur hunc, num Homerum, num Heſiodum, num [6] Simonidem, num Steſichorum, num, quos ante dixi, Iſocratem, Gorgiam, num philoſophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocratem, num poſtea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam Romæ vidiſtis, Diogenem Stoicum, coegit in ſuis ſtudiis obmuteſcere ſenectus? an non in omnibus iis ſtudiorum agitatio vitæ æqualis fuit? Age, ut [7] iſta divina ſtudia omittamus, poſſum nominare ex agro Sabino [8] ruſticos Romanos vicinos, & familiares meos, quibus abſentibus, nunquam

1 *Quod propter ſtudium*] Id eſt, *Propter quod ſtudium*. Ἀνατροπὴ. *Lambin.*

2 *A filiis in judicium vocatus eſt*] Lucianus in Macrobiis Sophantem filium nominat, eumque lege talionis inſaniæ judices damnaſſe memorat. Actio eſt Græcis τῆς παραφρονίας. *Betul.*

3 *Male rem gerentibus patribus*] Ideoque iiſdem actio rei uxoriæ in dote filiæ nomine repetenda non dabatur; quod periculum eſſet, ne accepta conſumerent. *Guilielm.*

4 *Patribus bonis interdici*] Omnibus quidem prodigis interdicebatur bonis, ſed in primis patribus, uti videre licet apud Paulum lib. 3. ſentent. 4. *Quando tua bona paterna, avitaque nequitia tua diſperdis, liberoſque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re, commercioque interdico. Grav.*.

5 *Oedipum Coloneum*] Qua ſola fabula omnium ejuſdem ſtudii poetarum præripere gloriam potuit. Val. Max.

6 *Simonidem*] Simonides poeta octogeſimo anno & docuiſſe ſe carmina, & in eorum certamen deſcendiſſe, ipſe gloriatur. Val. Max.

7 *Iſta divina ſtudia*] Pertinet hoc epitheton potiſſimum ad Philoſophiam, & poëſin; quarum altera Divinarum rerum inveſtigationem profitetur: altera Divino quodam afflatu conſtare, ac Muſarum, & Apollinis donum eſſe cenſetur. *Wolf.*

8 *Ruſticos Romanos*] Olim proceres Romani in agris morabantur, &, ubi conſilium publicum deſiderabatur, è villis arceſſebantur in Senatum. Inde honeſtum nomen plebeii ordinis, *ruſtici Romani*. Cicero pro Sextio in optimatium, hoc eſt, qui conſilia ſua optimo cuique probari vellent, ſecta collocat *municipales, ruſticoſque Romanos*. *Gronov.*

fere

fere ulla in agro majora opera fiunt, non ſerendis, non percipiendis, non condendis fructibus. quanquam in illis minus hoc mirum. nemo enim eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet poſſe vivere. ſed iidem elaborant in eis, quæ ſciunt nihil omnino ad ſe pertinere.

Serit arbores, quæ alteri ſæculo proſint,

ut ait Statius noſter in Synephebis. Nec vero dubitat agricola, quamvis ſenex, quærenti, cui ſerat, reſpondere: [1] Diis immortalibus, qui me non accipere modo hæc à majoribus voluerunt, ſed etiam [2] poſteris prodere.

8. Melius Cæcilius de ſene alteri ſæculo proſpiciente, quam illud idem:

[3] *Ædepol ſenectus, ſi nihil quidquam aliud vitii*
Apportes tecum, cum advenis; unum id ſat eſt,
Quod [4] diu vivendo multa, quæ non volt, videt.

Et multa fortaſſe, quæ vult: atque in ea quidem, quæ non vult, ſæpe etiam [5] adoleſcentia incurrit. Illud vero idem Cæcilius vitioſius:

Tum equidem in ſenecta hoc deputo miſerrimum,
Sentire ea ætate eſſe ſe odioſum alteri.

Jucundum potius, quam odioſum. ut enim adoleſcentibus bona indole præditis ſapientes ſenes delectantur, leviorque fit

1 *Diis immortalibus*] Non utique, quod ea poma Diis uſui futura ſint (etſi primitiæ frugum, & fructuum Diis offerri ſolebant) ſed hoc vult: Deorum immortalium juſſu, & voluntate hoc à ſe fieri: ſeque pietatis quoddam officium, & cultum Numinis ea re præſtare. *Wolf.*

2 *Poſteris prodere*] Hoc eſt, Propagare ad poſteros. *Manut.*

3 *Ædepol ſenectus*] Tractatus eſt hic locus copioſe à Juvenale Sat. 10. ubi ſtultitiam mortalium exagitat, quod ſenectutem, & alia optent, quæ magnum cumulum miſeriarum plerumque ſecum afferant. *Wolf.* Hi verſus ſunt ex Plotio Cæcilii; quæ ſequuntur paulo poſt, ex ejuſdem Hephæſtione. *Lang.*

4 *Diu vivendo, multa, quæ non volt, videt*] Longa ætas multis moleſtiis, & incommodis eſt obnoxia. *Wolf.* Hi verſus leguntur per allocutionem ad Senectam, in quorum tertio figurate perſona mutatur. *Lang.*

5 *Adoleſcentia incurrit*] Scilicet temeritate ſua, & æſtu libidinum impulſa. *Wolf.*

eorum

eorum ſenectus, qui à juventute [1] coluntur, & [2] diliguntur: ſic adoleſcentes ſenum præceptis gaudent, quibus ad virtutum ſtudia ducuntur. nec minus intelligo me vobis, quam vos mihi eſſe jucundos. Sed videtis, ut ſenectus non modo languida, atque iners non ſit, verum etiam ſit operoſa, & ſemper agens aliquid, & moliens; tale ſcilicet, quale cujuſque ſtudium in ſuperiore vita fuit. Quid, quod etiam addiſcunt aliquid? ut Solonem [3] verſibus gloriantem videmus, qui ſe quotidie aliquid addiſcentem ſenem fieri dicit: ut ego feci, qui [4] Græcas literas ſenex didici. quas quidem ſic avide arripui, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, ut [5] ea ipſa mihi nota eſſent, quibus me nunc [6] exemplis uti videtis. quod cum feciſſe Socratem in fidibus audirem, [7] vellem equidem & illud (diſcebant enim fidibus antiqui) ſed in literis certe elaboravi.

9. Nec nunc quidem vires deſidero adoleſcentis (is enim erat locus alter de vitiis ſenectutis) non plus, quam adoleſcens tauri, aut elephanti deſiderabam. [8] quod eſt, eo decet uti: & quicquid agas, agere [9] pro viribus. Quæ enim vox poteſt eſſe contemptior, quam [10] Milonis [11] Crotoniatæ? qui, cum jam ſenex eſſet, athletaſque ſe in curriculo exercentes videret, adſpexiſſe lacertos ſuos dicitur, [12] illacrymanſque dixiſſe, At [13] hi quidem jam mortui ſunt. Non vero tam iſti,

1 *Coluntur*] Propter virtutem, & dignitatem, atque etiam ætatis reverentiam. *Manut.*

2 *Diliguntur*] Propter facilitatem, & morum ſuavitatem. *Idem.*

3 *Verſibus gloriantem*] Solonis verſus eſt:

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Urſin.

4 *Græcas literas ſenex didici*] Ennio poeta docente, quem ſecum in provinciam duxit. Quintil. lib. 12. cap. 11.

5 *Ea ipſa*] Res geſtæ, & apophthegmata illuſtrium Græcorum.

6 *Exemplis*] Pro, vice exemplorum. *Wolf.*

7 *Vellem equidem & illud*] Scilicet me feciſſe, & fidibus didiciſſe. *Idem.*

8 *Quod eſt, eo decet uti*] Elegans dictum. Sic in Paradox. *Satis eſſe putant, quod eſt: nihil appetunt.* Iterum: *Cui nec ſatis eſt, quod eſt. Lang.* Senſus eſt: Suas quemque dotes collocare, & facultates ſuas ad eos uſus conferre decet, ad quos divinitus deſtinatæ ſunt: in Naturæ liberalitate acquieſcere, nec quicquam amplius deſiderare.

9 *Pro viribus*] Quas quælibet ætas exigit. *Manut.*

10 *Milonis*] Maximis quondam viribus præditi, ut ſublatum in humeros bovem per ſtadium ferret. *Idem.*

11 *Crotoniatæ*] Crotone, Italiæ urbe, oriundi.

12 *Illacrymans*] Recordatione victoriarum, & priſtinæ gloriæ deſiderio. *Manut.*

13 *Hi quidem jam mortui*] Non ita quidem, ut non robore multos adoleſcentes vinceret (alioqui enim bifidam arborem quomodo diduxiſſet?) ſed quod vires ad decertandum, pares adverſariis, non haberet. *Wolf.*

quam

quam tu ipſe, [1] nugator. neque enim ex te unquam es nobilitatus, ſed ex lateribus, & lacertis tuis. Nihil [2] Sext. Ælius tale, nihil multis annis ante [3] T. Coruncanius: nihil modo [4] P. Craſſus: à quibus jura civibus præſcribebantur: quorum uſque ad extremum ſpiritum eſt provecta prudentia. Orator, metuo, ne langueſcat ſenectute. eſt enim munus ejus non ingenii ſolum, ſed laterum etiam, & virium. Omnino canorum illud in voce ſplendeſcit etiam neſcio quo pacto in ſenectute: quod equidem adhuc non amiſi: & videtis annos: ſed tamen eſt decorus ſermo ſenis quietus, & remiſſus, [5] facitque perſæpe ipſa ſibi audientiam diſerti ſenis compta, & mitis oratio. [6] quod ſi ipſe exequi nequeas, poſſis tamen Scipioni præcipere, & Lælio. Quid enim eſt jucundius ſenectute ſtipata ſtudiis juventutis? An ne eas quidem vires ſenectuti relinquemus, ut adoleſcentulos doceat, inſtituat, ad omne officii munus inſtruat? quo quidem opere quid poteſt eſſe præclarius? Mihi vero [7] Cn. & P. Scipiones, & [8] avi tui duo, L. Æmilius, & P. Africanus comitatu nobilium juvenum fortunati videbantur. nec ulli bonarum artium magiſtri non beati putandi, [9] quamvis conſenuerint vires, atque defecerint. etſi iſta ipſa defectio virium adoleſcentiæ vitiis efficitur ſæpius, quam ſenectutis. libidinoſa etenim, & [10] intemperans adoleſcentia [11] effœtum

1 *Nugator*] Qui Naturam, tanquam novercam, falſo male gratus inſimulas. *Manut.*

2 *Sext. Ælius*] Is librum populo Romano dedit, *jus Ælianum* inſcriptum. *Idem.*

3 *T. Coruncanius*] Primus Romæ jus docere, & profiteri cœpit, cum antea domi tantum conſulentibus reſponderent Juriſconſulti. *Grav.*

4 *P. Craſſus*] Fuit hic cum Scipione Africano ſeniore conſul. *Idem.*

5 *Facit ſibi audientiam*] Attentionem populi conciliat. Sic Plautus: *Surge, prece, fac populo audientiam.*

6 *Quod ſi ipſe exequi nequeas*] Ut compta, & miti utaris oratione. *Manut.*

7 *Cn. & P. Scipiones*] Duo fratres, qui in Hiſpania ceciderunt. Silius:

Dum Capua infauſtam luit haud ſine ſanguine culpam,
Interea geminos terra crudelis Ibera
Fortuna abſtulerat, permiſcens triſtia lætis,
Scipiadas, magnumque decus, magnumque dolorem.

Hos Virgilius vocat, *duo fulmina belli, Scipiadas.* Publius eſt majoris Africani, & Aſiatici pater: Cnæus, eorum patruus, Scipionis Naſicæ genitor. *Idem.*

8 *Avi tui duo*] Æmilius ſanguinis, Africanus, P. filius, adoptionis linea. *Idem.*

9 *Quamvis conſenuerint vires*] Id eſt, Quamvis aliqua ſenectutis incommoda ſentiant. *Wolf.*

10 *Intemperans adoleſcentia*] Sic contra temperantia juventutis & firmiorem, & longiorem ſenectutem reddit. *Grav.*

11 *Effœtum*] Exhauriuntur enim vires ex, quibus ſuſtentari ſenectutem oportebat. *Manut.*

corpus tradit ſenectuti. Cyrus quidem apud Xenophontem eo ſermone, quem moriens habuit, cum admodum ſenex eſſet, negat ſe unquam ſenſiſſe, ſenectutem ſuam imbecilliorem factam, quam adoleſcentia fuiſſet. Ego L. Metellum memini puer (qui, cum quadriennio poſt alterum conſulatum pontifex maximus factus eſſet, viginti, & duos annos ei ſacerdotio præfuit) ita bonis eſſe viribus extremo tempore ætatis, ut adoleſcentiam non requireret. Nihil neceſſe eſt mihi de me ipſo dicere: quanquam eſt id quidem [1] ſenile, [2] ætatique noſtræ [3] conceditur.

10. Videtiſne, ut [4] apud Homerum ſæpiſſime Neſtor [5] de virtutibus ſuis prædicet? jam enim [6] tertiam ætatem hominum vivebat: [7] nec erat ei verendum, ne [8] vera de ſe prædicans nimis videretur aut inſolens, aut loquax. etenim (ut ait Homerus) ex ejus [9] lingua melle dulcior fluebat oratio: quam ad ſuavitatem nullis egebat corporis viribus: & tamen [10] dux ille

1 *Senile*] Uſitatum ſenibus, atque in more poſitum. *Wolf.*

2 *Ætati noſtræ*] Propter auctoritatem opinione prudentiæ, & multi uſus rerum partam. *Manut.*

3 *Conceditur*] Non vitio vertitur. *Idem.*

4 *Apud Homerum*] Iliad. 1. & 23. poſtiſſimum, & alibi paſſim. *Wolf.*

5 *De virtutibus ſuis prædicet*] Sic apud Virgil. Æneid. 8. Evander:

Qualis eram, cum primam aciem Præneſte ſub ipſa
Stravi, ſcutorumque incendi victor acervos,
Et regem hac Herilum dextra ſub Tartara miſi.

Vide ibi plura. Itaque Horatio ſenex dicitur

Laudator temporis acti
Se puero. Grav.

Virtus non dicitur tantum de recto animi habitu, cum apud bonos ſcriptores legamus, *virtus militum, virtus imperatoris, virtus equi, virtus bovis, virtus arboris*, & ſimilia ſexcenta. Itaque cum dicit Tullius Neſtorem apud Homerum *de virtutibus ſuis prædicare*, ſimile eſt, ut ſi diceret, de ſuis fortibus factis. *Lambin.*

6 *Tertiam ætatem*] Τριτάτην γενεὴν, --- μετὰ δὲ τρισὶ τοῖσιν ἄνασσεν. Homerus. Et Ovidius:

--- vixi
Annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas. Manut.

7 *Nec erat ei verendum*] Tacite indicat, ne ſibi quidem id verendum eſſe. *Wolf.*

8 *Vera de ſe prædicans*] Præſertim ob eam cauſam, ut non ſuas decantet laudes, ſed ut auctoritatem ſibi conciliet. *Manut.*

9 *Lingua melle dulcior*] Verſus Homericus hic eſt:

Τῷ δ' ἐκ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Eundemque Neſtorem appellat poeta, λιγὺς ἀγορητής. *Wolf.*

10 *Dux ille Græcia*] Agamemnon. Verſus Homerici ex Iliad. 2. hi ſunt:

Αἴ γὰρ, Ζεῦ τε πάτερ, καὶ Ἀθηναίη, ἠδ' Ἀπολλον,
Τοιοῦτοι δέκα μοι συμφρονέοντες εἶεν Ἀχαιῶν.
Τῷ κε τάχ' ἠμύσειε πόλις Πριάμοιο ἄνακτος,

Χερσὶν ὑφ' ἡμετέρῃσιν ἁλοῦσά τε, πυρθοληΐη τε.

Signi-

Græciæ nuſquam optat, ut Ajacis ſimiles habeat decem, at ut Neſtoris: quod ſi acciderit, non dubitat, quin brevi Troja ſit peritura. Sed redeo ad me. quartum annum ago, & octogeſimum: equidem poſſe vellem idem gloriari, quod Cyrus: ſed tamen hoc queo dicere, non me quidem iis eſſe viribus, quibus aut miles bello Punico, aut quæſtor eodem bello, aut conſul [1] in Hiſpania fuerim, aut quadriennio poſt cum [2] tribunus militaris depugnavi apud [3] Thermopylas, M. Acilio Glabrione conſule: ſed tamen (ut vos videtis) non plane me [4] enervavit, nec afflixit ſenectus: non curia vires meas deſiderat, non roſtra, non amici, non [5] clientes, non hoſpites. nec enim unquam ſum aſſenſus veteri illi, laudatoque proverbio, quod monet, [6] mature fieri ſenem, ſi diu velis eſſe ſenex. Ego vero me minus diu ſenem eſſe mallem, quam [7] eſſe ſenem ante, quam eſſem. Itaque nemo adhuc convenire me voluit, [8] cui fuerim occupatus. [9] At minus habeo virium, quam veſtrum utervis. Nec vos quidem [10] T. Pontii centurionis vires habetis. num idcirco eſt ille præ-

Significat, bellum magis conſilio, quam vi, geri debere. *Manut.*

1 *In Hiſpania*] In qua plura oppida cepit, quam dies fuit, teſte Plutarcho. *Idem.*

2 *Tribunus militaris*] Memoriæ vitium in Cicerone deprehenditur. Legerat enim in Annalibus, Catonem non tribunum militum, ſed legatum apud Thermopylas M. Acilio col. depugnaſſe. Quod Livius lib. 36. perſpicue docet. Neminem enim poſt conſulatum tribunum militum fuiſſe conſtat. *Idem.* Quanquam Plutarchus etiam Catonem chiliarchum profectum eſſe cum M. Acilio contra Antiochum prodat, hoc eſt, tribunum; verius tamen Livius docuit illum fuiſſe legatum conſularem, ut dudum viri docti obſervarunt. *Grav.*

3 *Thermopylas*] Anguſtias montis Oetæ in Theſſalia.

4 *Enervavit*] Robore deſtituit. Nam robur eſt in nervis ſicum. Hinc *omnibus nervis, nervos intendere*, pro, expedire. *Manut.*

5 *Clientes*] Litigatores, quorum cauſas agimus: qui ſeſe in alterius tutelam, patrociniumque dediderunt.

6 *Mature fieri ſenem*] Parcendum eſſe valetudini, nec nimia contentione laborum vires vel corporis, vel animi eſſe atterendas. *Wolf.* Mature ſibi parcere, & juvenilia opera intermittere. *Manut.*

7 *Eſſe ſenem ante, quam eſſem*] Ignavo otio torpeſcere, dum & animi, & ſenſuum integritate valeam. *Idem.*

8 *Cui fuerim occupatus*] Reſpexit ad illud Plauti in Mercatore: *Non ſum occupatus unquam meæ operam dare. Gruter. Occupatus* dicitur, qui, ante negotio aliquo detentus, non poteſt negotio alterius operam dare. Senſus igitur eſt: Cui cauſarer me quibuſdam aliis negotiis præventum, & impeditum.

9 *At minus habeo*] Sententia objectionis eſt: Ut concedam, ſenecturem non ita deſtitui viribus, ut otio torpeſcat, juveniles tamen vires non habet. *Wolf.*

10 *T. Pontii centurionis*] Forſaſſe Pontium intelligit, qui, cum Capitolium à Gallis eſſet obſeſſum, Tiberim tranſnavit. Plutarch. in Camillo. Liv. lib. 5. Ait Vegetius, centuriones non, niſi procero, & robuſto corpore, eſſe lectos. *Manut.*

ſtantior? [1] moderatio modo virium adſit, & tantum, quantum poteſt quiſque, nitatur; næ ille non magno deſiderio tenebitur virium. Olympiæ per ſtadium ingreſſus eſſe Milo dicitur, cum humeris ſuſtineret bovem vivum. utrum igitur has corporis, an Pythagoræ tibi malis vires ingenii dari? denique [2] iſto bono utare, dum adſit: cum abſit, ne requiras. niſi forte adoleſcentes pueritiam, [3] paulum ætate progreſſi adoleſcentiam debeant requirere. [4] Curſus eſt certus ætatis, & una via naturæ, eaque ſimplex: ſuaque cuique parti ætatis [5] tempeſtivitas eſt data; ut & infirmitas puerorum, & ferocitas juvenum, & [6] gravitas jam conſtantis ætatis, & [7] ſenectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod ſuo tempore percipi debeat. Arbitror te audire, Scipio, [8] hoſpes tuus avitus [9] Maſiniſſa quæ faciat hodie, nonaginta annos natus: cum ingreſſus iter pedibus ſit, in equum omnino non adſcendere: cum equo, ex equo non deſcendere. nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto ſit: ſummam in eo eſſe corporis [10] ſiccitatem: itaque exequi [11] omnia regis officia, & munera. Poteſt igitur exercitatio, & temperantia etiam [12] ſenectuti conſervare aliquid priſtini roboris.

11, [13] Non ſunt in ſenectute vires, ne poſtulantur quidem

1 *Moderatio virium*] Hoc eſt, Vires moderatæ. *Grav.* Mediocritas inter robur, & imbecillitatem interjecta. *Wolf.*

2 *Iſto bono*] Corporis commoda vocat *bona*, communi loquendi modo, non Stoicorum dogmate. *Manut.*

3 *Paulum ætate progreſſi*] Scilicet ultra adoleſcentiam. *Wolf.*

4 *Curſus eſt certus ætatis*] Sententia elegantem metaphoram continens, à curſoribus ſumptam; qui, ubi ad metam perventum eſt, ſiſtunt, & quieſcunt. *Idem.*

5 *Tempeſtivitas eſt data*] *Tempeſtivitas* eſt cujuſlibet ætatis naturalis proprietas; ſicut in ordine anni veris tempeſtivitati flores, æſtatis meſſes, autumni maturitas, hyemis frigus eſt datum, & aſſignatum à Natura. *Grav.*

6 *Gravitas*] Quæ omnia dicta, & facta certo conſilio gubernat. *Wolf.*

7 *Senectutis maturitas naturale quiddam habeat*] Id eſt, Ipſa Natura affert maturitatem ſenectuti, ſicut tempus pomis. *Idem.*

8 *Hoſpes tuus avitus*] Africani enim majoris hoſpes fuit, ut ex Scipionis Somnio licet videre. *Lang.*

9 *Maſiniſſa*] Numidarum Rex, varia Fortuna regno pulſus bello Punico ſecundo, Africani ſuperioris beneficio in regnum reſtitutus.

10 *Siccitatem*] Humor alius naturalis eſt, & utilis; alius ſupervacuus, & naturæ inimicus. Eodemque modo duplex eſt ſiccitas. Hic opponenda eſt pituitæ, quæ ſenes infeſtare ſolet. *Wolf.* Vox denotat firmitatem, interprete Nonio.

11 *Omnia regis officia, & munera*] Multa quidem illa ſunt, ſed hæc præcipua, tueri pacem, honeſtam diſciplinam, & civium concordiam. *Wolf.*

12 *Senectuti*] Hoc eſt, Senectutis bono, & commodo. *Grav.*

13 *Non ſunt in ſenectute vires*] Argumentum à parte opponentis.

vires

vires à ſenectute. ergo & legibus, & inſtitutis vacat ætas noſtra [1] muneribus iis, quæ non poſſunt ſine viribus ſuſtineri. itaque non modo, quod non poſſumus, ſed ne quantum poſſumus quidem, cogimur. At ita multi ſunt imbecilli ſenes, ut nullum officii, aut omnino vitæ munus exequi poſſint. At id quidem non proprium ſenectutis eſt vitium, ſed commune [2] valetudinis. Quam fuit imbecillus [3] P. Africani filius is, qui te [4] adoptavit? quam tenui, aut nulla potius valetudine? quod ni ita fuiſſet,[5] alterum ille extitiſſet lumen civitatis. ad paternam enim magnitudinem animi [6] doctrina uberior acceſſerat. Quid mirum igitur in ſenibus, ſi infirmi ſunt aliquando, cum ne id quidem adoleſcentes effugere poſſint? Reſiſtendum, Læli, & Scipio, ſenectuti eſt, [7] ejuſque vitia diligentia compenſanda ſunt. Pugnandum, tanquam contra morbum, ſic contra ſenectutem. Habenda ratio valetudinis: [8] utendum exercitationibus modicis. tantum cibi, & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non [9] opprimantur. Nec vero corpori ſoli ſubveniendum eſt, ſed menti, atque animo multo magis. nam [10] hæc quoque, niſi tanquam lumini oleum inſtilles, extinguuntur ſenectute. & corpora quidem [11] defatigatione, & exercitatione ingraveſcunt: animi autem [12] exercitando levantur. nam, quos ait Cæcilius —— [13] comicos ſtultos ſenes, hos ſignificat credulos,

1 *Muneribus iis*] Bellicis, & ſenatoriis. *Manut.*

2 *Valetudinis*] Conſtitutionis naturalis parum firmæ. *Wolf.* Languoris, & infirmitatis.

3 *P. Africani*] Majoris, fratris Corneliæ Gracchorum matris. *Manut.*

4 *Adoptavit*] Ex Æmiliana familia in familiam Scipionum tranſtulit. *Wolf.*

5 *Alterum extitiſſet lumen*] Uberiorem gloriam comparaverat, quam ipſius pater, qui Hannibalem devicit, Romanoſque ab excidii metu liberavit.

6 *Doctrina uberior*] De eodem Scipione ſic loquitur Tullius in Bruto: *Si corpore valuiſſet, in primis habitus eſſet diſertus.*

7 *Ejus vitia diligentia compenſanda*] Diligenti cura valetudinis ſunt compenſanda, & reſarcienda illa vitia, quibus obnoxia eſt ſenectus. *Diligentia* & paulo ante in hac notione uſus eſt Tullius. *Vires, quas detrahit nobis quaſi ſenectus, penſat diligentia.* Quæ illa ſit, proxime ſecuturis verbis oſtendit. *Grav.*

8 *Utendum exercitationibus modicis*] Id eſt, Modus ſervandus, ne vel perpetuo defideamus, aut decumbamus ignavi; vel contentione, & aſſiduitate laboris, ſive animorum, ſive corporum, vires magis etiam atteramus. *Wolf.*

9 *Opprimantur*] Metaphora à navibus nimium onuſtis, aut lychnis olei copia ſuffocatis. *Idem.*

10 *Hæc quoque*] Mens, atque animus. *Manut.*

11 *Defatigatione, & exercitatione*] Ἐξ ἀπὸ κοινοῦ. pro, exercitatione defatigante. *Grav.*

12 *Exercitando*] Dum exercentur. Sic — *uritque videndo Fœmina.* *Manut.*

13 *Comicos ſtultos ſenes*] *Comici ſenes* dicuntur, quales introducuntur à poetis Comicis,

oblivioſos, [1] diſſolutos: quæ vitia ſunt non ſenectutis, ſed inertis, ignavæ, ſomniculoſæ ſenectutis: ut petulantia, ut libido [2] magis eſt adoleſcentium, quam ſenum: nec tamen omnium adoleſcentium, ſed non proborum: ſic iſta ſenilis ſtultitia, quæ deliratio appellari ſolet, ſenum levium eſt, non omnium. Quatuor robuſtos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat & ſenex, & cæcus. intentum enim animum, tanquam arcum, habebat, nec langueſcens ſuccumbebat ſenectuti. tenebat non modo [3] auctoritatem, ſed etiam [4] imperium in ſuos: metuebant ſervi, verebantur liberi, carum omnes habebant: vigebat in illa domo [5] patrius mos, & diſciplina. Ita enim ſenectus [6] honeſta eſt, ſi ſe ipſa [7] defendit, ſi [8] jus ſuum retinet, ſi nemini [9] emancipata eſt, ſi uſque ad extremum ſpiritum [10] vindicet jus ſuum. ut enim adoleſcentem, in quo [11] ſenile aliquid; ſic ſenem, in

Comicis, creduli, deliri, leves, amatores, ſtulti, qui facile decipiuntur à ſervis, ridiculi denique. *Lambin.*

1 *Diſſolutos*] Qui verecundiæ fines tranſierint. *Manut.*

2 *Magis eſt adoleſcentium*] In cauſa eſt fervor ætatis, & temeritas. *Wolf.*

3 *Auctoritatem*] Quam aut virtus, aut ſapientia, aut potentia parit, ſæpe etiam amor. *Manut.*

4 *Imperium*] *Auctoritas* habere videtur aliquid voluntarium: *Imperium* aliquid coactum, & violentum; ut, niſi quid ex præſcripto fiat, pœna ſequatur. *Wolf.*

5 *Patrius mos*] Intelligit patrum ſuorum inſtituta, priſcorum Romanorum mores.

6 *Honeſta*] Honore digna, & honorata. *Manut.*

7 *Defendit*] Anteacta vita parta auctoritate, & de diligentia nihil remittendo. *Idem.*

8 *Jus ſuum retinet*] Ne ex arbitrio liberorum pendeat, neve ad agnatos, & gentiles, id eſt, in tutelam, & quaſi mancipationem deducatur. Eo enim Cicero reſpexiſſe videtur, ne ſenex bis puer, rei ſuæ adminiſtrandæ parum idoneus, inverſo Naturæ ordine, quaſi in liberorum ſacra recidat. *Idem.*

9 *Emancipata eſt*] *Emancipare* eſt, alteri in manum tradere. *Emancipatum* interpretatur Nonius, ſubnixum, deditum. *Lambin.* *Mancipo* eſt, mancipio trado, *emancipo*, è poteſtate mea, & mancipio dimitto. Liber homo eſt ſuæ poteſtatis: itaque cum ſe *emancipare* dicitur, intelligitur, è poteſtate ſui abire, non amplius ſuus eſſe, alienus fieri, deſinere ſui juris, & mancipii eſſe. *Gronov.*

10 *Vindicet jus ſuum*] Eſt certiſſima Ciceronis manus. *Vindicet jus ſuum* eſt (ut paulo ante dixit) *retineat jus ſuum*, ſeu auctoritatem, & imperium in ſuos, metuant ſervi, vereantur liberi, nulli ſit emancipata; ſi non eſt ſub tutela ſuorum liberorum, aut cognatorum. Sic *jure ſuo agere* dicuntur, qui libere agunt, nemine impediente. *Dominatur in ſuos* (quod apud editores non paucos legitur) eſt verborum illorum, quæ male ejecerunt, interpretatio; ſed poſteriorum temporum. *Dominari* enim *in ſuos* ſub Rep. libera tribuebatur tantum Tyrannis, cum de hominibus loquerentur. Notum enim eſt, quam inviſum fuerit vocabulum *Dominari*, & *dominus* in libertate. Inde nec Auguſtus, nec Tiberius *domini* volebant ſalutari. *Grav.*

11 *Senile aliquid*] Maturitas ſenilis, & minus ſtudium voluptatum, & nugarum, & cura quædam rerum honeſtarum, & utilium intelligenda eſt. *Wolf.*

quo

quo eſt [1] adoleſcentis aliquid, probo: quod qui ſequitur, corpore ſenex eſſe poterit, animo nunquam erit. [2] Septimus mihi Originum liber [3] eſt in manibus: omnia antiquitatis monumenta colligo: cauſarum illuſtrium, quaſcunque defendi, nunc quam maxime conficio [4] orationes: jus augurum, pontificum, civile tracto: multum etiam Græcis literis utor: Pythagoreorumque more exercendæ memoriæ gratia, [5] quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro veſperi. Hæ ſunt exercitationes ingenii, hæc [6] curricula mentis: in his deſudans, atque elaborans corporis vires non magnopere deſidero: [7] adſum amicis: venio in ſenatum frequens, ultroque affero res multum, & diu cogitatas; [8] eaſque tueor [9] animi, non corporis viribus. quæ ſi exequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus ea ipſa cogitantem, quæ jam agere non poſſem: ſed, ut poſſim, facit acta vita. ſemper enim in his ſtudiis, laboribuſque viventi non intelligitur, quando obrepat ſenectus. Ita [10] ſenſim ſine ſenſu ætas ſeneſcit: nec ſubito frangitur: ſed [11] diuturnitate extinguitur.

1 *Adoleſcentis aliquid*] Alacritas, & hilaritas juvenilis. *Manut.*

2 *Septimus Originum liber*] Nos unius tantum libri fragmentum habemus, cæteri perierunt. *Wolf.* His libris Cicero in Bruto florem, & eloquentiæ lumen tribuit. Vide Feſtum. *Manut.*

3 *Eſt in manibus*] A me conferibitur. Sic ſupra: *In manibus eſt laudatio*, id eſt, editæ doctorum manibus teritur. *Idem.*

4 *Orationes*] In quibus eum Lyſiæ comparat Cicero in libro de claris oratoribus. *Idem.*

5 *Quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro veſperi*] Alludit ad Pythagoræ præceptum in carminibus aureis:

Μηδ' ὕπνον μαλακαῖσιν ἐπ' ὄμμασιν ἀρσενόεσσιν,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων ἕκαστα δύω ἐπιβῆναι.
Πῇ πεπόημαι; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

6 *Curricula mentis*] Stadia, ſeu certamina, quibus exercetur animus. Metaphora à ludis Circenſibus, in quibus curricula dicuntur ſpatia, intra quæ ſe curſores exercent.

7 *Adſum amicis*] Scilicet conſilio, re, atque opera defendo, & adjuvo amicos. *Wolf. Adeſſe* eſt, patrocinari; ſicut Græcis παρεῖναι. *Manut.*

8 *Eas tueor*] Contra eos, qui à me diſſentiunt. *Idem.*

9 *Animi, non corporis viribus*] Verbis enim, non pugnis (ut alibi ait) diſceptamus. In ſenatu vincit non robuſtior, & potentior (ſiquidem libera ſit Reſp.) ſed prudentior, & diſertior. *Idem.*

10 *Senſim ſine ſenſu ſeneſcit*] Joci genus, & lepor quidam in repetitione literarum. *Idem.* In quo decorum ſervat in Catonis perſona. Nam ſæculum illud figuris hujuſmodi delectabatur: quale eſt Ennii illud:

O Tite, tute, Tati, tibi tanta, Tyranne, tulisti.

Et ejuſdem ex Phœnice: *Stultus eſt, qui cupita cupidus cupienter cupit.* Et Plauti in Menæchmis: *Non potui paucis plura plene proloqui. Lang.*

11 *Diuturnitate extinguitur*] Scilicet ut ellychnium, oleo deficiente. *Wolf.*

21. Sequi-

12. Sequitur tertia vituperatio ſenectutis, quod eam carere dicunt voluptatibus. O præclarum munus ætatis, ſi quidem id aufert nobis, quod eſt in adoleſcentia vitioſiſſimum! Accipite enim, optimi adoleſcentes, veterem orationem [1] Archytæ Tarentini, magni in primis, & præclari viri: quæ mihi [2] tradita eſt, cum eſſem adoleſcens [3] Tarenti cum Q. Maximo. [4] Nullam [5] capitaliorem peſtem, quam corporis voluptatem, hominibus dicebat à natura datam: cujus voluptatis avidæ libidines temere, & effrænate [6] ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ [7] proditiones, hinc rerumpub. everſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci: nullum denique ſcelus, nullum malum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non [8] libido voluptatis impelleret: ſtupra vero, & adulteria, & omne tale flagitium nullis illecebris excitari aliis, niſi voluptatis. Cumque homini ſive natura, ſive quis Deus [9] nihil mente præſtabilius dediſſet; huic divino muneri, ac dono nihil eſſe tam inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum eſſe, neque omnino in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. quod quo magis intelligi poſſet, fingere animo jubebat, tanta incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi poſſet maxima. nemini cenſebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione conſequi poſ-

1 *Archyta*] Qui Mathematicis, & Mechanicis artibus excellens columbam ligneam, libramentis ſuſpenſam, & aura ſpiritus incluſa, atque occulta concitam, fecerat volantem, teſte Gellio lib. 10. cap. 12. Cubum primus invenit, teſte Platone in Repub.

2 *Tradita eſt*] In manus, nimirum ſcripta. *Manut.*

3 *Tarenti*] Urbis in extrema Italia à Tarante, Neptuni filio, conditæ, & nominatæ.

4 *Nullam capitaliorem peſtem*] Sic Silius:

Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola nocet animis illapſa voluptas.

5 *Capitaliorem*] Nocentiorem potius hoc loco intelligo, ut quæ principem corporis partem caput petat, ipſique vitæ inſidietur, quam capitali ſupplicio digniorem. *Wolf.*

6 *Ad potiundum incitarentur*] Id eſt, Impenſe cupiunt, conſulunt parum, ut ait Comicus. Illud tantum ſpectant, ut voti compotes fiant, ſuamque libidinem expleant. *Idem.*

7 *Proditiones*] Notæ ſunt poetarum fabulæ de Medea, Ariadne, Scylla, patres libidinis explendæ gratia prodentibus. Fertur & Tarentum recepiſſe Fabius à præſidii præfecto puellam quandam, qua alia ratione potiri non poſſet, adamante.

8 *Libido*] Sitis, appetitus, deſiderium, & cupiditas vehemens.

9 *Nihil eſſe tam inimicum*] Id eſt, Nihil æque nocere menti, nec aciem ejus obtundere, ac ſtudium voluptatum corporis, gulæ, & inguinis præſertim. *Wolf.*

ſet.

set. quocirca nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptatem: si quidem ea, cum major esset, atque longior, omne animi lumen extingueret. Hæc cum C. Pontio Samnite, patre ejus, à quo, [1] Caudino prælio Sp. Postumius, T. Veturius, consules, [2] superati sunt, locutum Archytam, Nearchus Tarentinus, hospes noster, qui in amicitia populi Romani permanserat, se à majoribus natu accepisse dicebat, cum quidem ei sermoni interfuisset Plato Atheniensis: quem Tarentum venisse, L. Camillo, Appio Claudio, consulibus, reperio. Quorsum hæc? ut intelligatis, si voluptatem aspernari ratione, & sapientia non possemus, magnam habendam senectuti gratiam, quæ efficeret, ut id non liberet, quod non oporteret. [3] impedit enim consilium voluptas, [4] rationi inimica est, ac [5] mentis (ut dicam) præstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. Invitus quidem feci, ut fortissimi viri [6] T. Flamininni fratrem L. Flamininum è senatu ejicerem, septem annis post, quam consul fuisset: sed notandam putavi libidinem. Ille enim cum esset consul in Gallia, [7] exoratus [8] in convivio à [9] scorto est, ut securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent damnati rei capitalis. hic Tito fratre suo censore, qui proximus ante me fuerat, elapsus est: mihi vero, & Flacco neutiquam probari potuit tam flagitiosa, & tam perdita libido, quæ cum probro privato conjungeret [10] imperii dedecus.

13. Sæpe audivi à majoribus natu, qui se porro pueros à

1 *Caudino*] De furculis Caudinis vide Livium lib. 9.

2 *Superati*] Sub jugum missi. *Manut.*

3 *Impedit consilium voluptas*] Id est, Voluptate incitatus animus, aut ad voluptatem propensus, prudenter, atque utiliter suis rebus consulere non potest. *Wolf.*

4 *Rationi inimica*] Quia voluptas ad potiundum incitat, & ad libidinem explendam: ratio vero ad decus, & honestatem revocat. *Idem.*

5 *Mentis præstringit oculos*] Id est, Cæcum hominem facit, ut nec decus, nec probrum, nec emolumentum, nec detrimentum ad se rediturum perspiciat. *Idem.*

6 *T. Flamininni*] Vide Notam 10. cap. 1. hujusce Dialogi.

7 *Exoratus*] Aliis subinde, atque aliis blandimentis impulsus. *Manut.*

8 *In convivio*] Cum vino incaluissent. *Idem.*

9 *Scorto*] Philippo Pœno, caro, ac nobili scorto, teste Livio. Eum autem adeo deperibat, ut, sive exercitus duceret, sive provincias administraret, ab ejus latere nunquam discederet, juxta Plutarchum. *Idem.*

10 *Imperii dedecus*] Cum id flagitii consul Gallis admisisset. *Idem.* Magistratum autem decet, potestate sua non ad suam, aut ad alterius libidinem uti, sed ex æquitate, & Reip. dignitate: seque præbere exemplum continentiæ, moderationis, & omnis officii. *Wolf.*

senibus audisse dicebant, mirari solitum C. Fabricium, quod, cum apud regem Pyrrhum legatus esset, audisset à [1] Thessalo Cynea, esse [2] quendam Athenis, qui se sapientem profiteretur: eumque dicere, omnia, quæ faceremus, ad voluptatem esse referenda. quod ex eo audientes, M. Curium, & T. Coruncanium, optare solitos, ut id Samnitibus, ipsique Pyrrho persuaderetur: quo [3] facilius vinci possent, cum se voluptatibus dedissent. Vixerat M. Curius cum [4] P. Decio, qui quinquennio ante eum consulem se pro rep. quarto consulatu devoverat. Norat eundem Fabricius, [5] norat Coruncanius: qui cum ex sua vita, tum ex ejus, quem dico, P. Decii facto, judicabant esse profecto aliquid natura pulchrum, atque præclarum, quod [6] sua sponte peteretur, quodque spreta, & contempta voluptate optimus quisque sequeretur. Quorsum igitur tam multa de voluptate? quia non modo vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magnopere desiderat. caret epulis, extructisque mensis, & frequentibus poculis? [7] caret ergo etiam vinolentia, & cruditate, & insomniis. Sed si aliquid dandum est voluptati, quoniam ejus blanditiis [8] non facile obsistimus (divine enim Plato escam malorum voluptatem appellat, quod ea videlicet homines [9] capiantur, ut hamo

1 *Thessalo Cynea*] Demosthenis auditore, imitatoreque, tantæ eloquentiæ viro, ut plures civitates suæ facundiæ, quam Pyrrhus armis, superasse creditus sit: atque ob hoc à Pyrrho in magno pretio habitus. Hic ille Cyneas est, qui Romanorum Senatum regum consessum, vel (ut Justinus inquit) regum urbem, vel (ut Florus) urbem templum, Senatum vero regnum sibi visum respondit. *Manut.*

2 *Quendam*] Epicurum intelligit, qui summum bonum in voluptate constituit. *Wolf.*

3 *Facilius vinci possent, cum se voluptatibus dedissent*] Exemplo sit Hannibal, cujus exercitus olim invictus, postquam Campaniæ deliciis enervatus est, à priscâ virtute multum degeneravit, & facilem Scipioni victoriam præbuit.

4 *P. Decio*] Qui, cum adversus Samnites, Gallosque pugnaretur, Romanusque exercitus in maximo esset discrimine, secutus exemplum patris, in confertissimos hostes irruit, &, ingenti strage edita, tandem cæsus morte sua victoriam populo Romano dedit.

5 *Norat eundem Fabricius, Coruncanius*] A cujus devotione 16 annis alter consul, alter ad Pyrrhum legatus fuit. *Manut.*

6 *Sua sponte*] Sine ullo alio præmio, & fructu. *Idem.*

7 *Caret vinolentia, cruditate, insomniis*] Neque enim vel in ebrietatis turpitudinem delabitur, vel ferculorum varietate valetudinem corrumpit, vel horribilibus insomniis infestatur. Arctiorem enim somnum insomnia consequi solent. Arctius autem dormire potes, quam sobrios, nemo est (opinor) qui neget. *Sulpit. Petr.* Plinius inter cætera ebrietatis incommoda etiam furiales somnos, & inquietem nocturnam recenset. *Manut.*

8 *Non facile*] Sed cum labore, difficultate, molestia. *Wolf.*

9 *Capiantur*] Per imprudentiam. Confiderant

piſces) quanquam immoderatis epulis careat ſenectus, modicis tamen [1] conviviis delectari poteſt. C. Duillium, M. filium, qui Pœnos claſſe primus devicerat, redeuntem à cœna ſenem ſæpe videbam puer. delectabatur [2] crebro funali, & tibicine, quæ ſibi nullo exemplo privatus ſumpſerat: tantum licentiæ dabat gloria. Sed quid ego alios? ad meipſum jam revertar. Primum habui ſemper [3] ſodales. [4] ſodalitates autem me quæſtore conſtitutæ ſunt, [5] ſacris Idæis Magnæ Matris acceptis. epulabar igitur cum ſodalibus omnino modice, ſed erat quidam fervor ætatis: qua progrediente, omnia fient indies mitiora. neque enim ipſorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quam cœtu amicorum, & ſermonibus metiebar. bene enim majores noſtri [6] accubitionem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt: melius, quam Græci; qui hoc idem tum [7] compotationem, tum concœnationem vocant: ut, quod [8] in eo genere minimum eſt, id maxime probare videantur.

14. Ego vero propter ſermonis delectationem [9] tempeſtivis quoque conviviis delector, nec cum æqualibus ſolum (qui pauci admodum reſtant) ſed cum veſtra etiam ætate, atque vobiſcum:

ſiderant enim ſuavitatem mox, perituram, nonam diu duraturam non vident. *Manut.*

1 *Conviviis*] *Convivium* honeſtum eſt, *epulæ* vitium ſonant. *Lang.*

2 *Crebro funali*] Id eſt, Multis facibus. *Funale* eſt fax, ſeu tæda, quæ fit ex fune cera circundato. De eodem Duillio ſic canit Silius:

Cui nocturnus honor, funalia clara, ſecutæ
Poſt epulas tibicen adeſt.

3 *Sodales*] *Sodalis* proprie dicitur in rebus levioribus, ac ſæpe voluptuoſis.

4 *Sodalitates*] Convivia. Vocabantur Græcis *ſodales* ἑταιρεῖαι. Collegium enim, ſeu ſocietas inſtituta in honorem alicujus Dei, & ad ſacra ejus celebranda vocabatur θίασος, & ἑταιρεία ſocietatis ejus conſortes. Differebant θιασῶται à ἑταίροις. Hi ſemper una veſcebantur, illi certis tantum diebus, cum ſacra facerent. *Salmaſ.*

5 *Sacris Idæis Magnæ Matris*] Cybeles, Deorum omnium matris. *Sacra* dicuntur *Idæa* ab Ida, Phrygiæ monte ubi Dea colebatur: unde etiam ipſa Idæa mater dicitur. Quomodo Magnæ Matris idolum Romam advectum ſit, vide Livium lib. 29.

6 *Accubitionem*] Vox exprimit ſimum epulandi apud Romanos receptum.

7 *Compotationem, concœnationem*] Ἐμπότειαν, εἰλαπίνην, συνουσίαν.

8 *In eo genere minimum*] Vina, & epulas. *Wiſſ.*

9 *Tempeſtivis quoque conviviis*] *Tempeſtiva convivia* ſunt, quæ & ante legitimam conviviorum horam ineuntur, & in multam noctem protrahuntur. *Salmaſ. Tempeſtivis* ad modum temporis pertinet. Quæ nec ante inciperent, nec ſerius deſinerent, quam opus erat: lætis quidem, ſed moderatis, quibus Catonem Cenſorium, gravem, & ſapientem virum, extrema ſenectute accumbere turpe non eſſet. *Manut.*

vobiſcum: habeoque ſenectuti magnam gratiam, quæ mihi ſermonis aviditatem auxit, potionis, & cibi ſuſtulit. Quod ſi quem etiam iſta delectant (ne omnino [1] bellum indixiſſe videar voluptati, cujus eſt fortaſſe quidam [2] naturalis modus) non intelligo, ne in iſtis quidem voluptatibus ipſis carere ſenſu ſenectutem. Me vero & [3] magiſteria delectant à majoribus inſtituta: & is ſermo, qui more majorum [4] à ſummo [5] adhibetur in poculis: & pocula, ſicut in ſympoſio [6] Xenophontis, minuta, atque [7] rorantia, & refrigeratio æſtate, & viciſſim aut ſol, aut ignis hibernus. quæ quidem [8] in Sabinis etiam perſequi ſoleo, conviviumque vicinorum quotidie compleo, quod ad multam noctem, quam maxime poſſumus, vario ſermone producimus. At non eſt voluptatum tanta quaſi titillatio in ſenibus. Credo: ſed ne deſideratio quidem. nihil autem moleſtum, quod non deſideres. Bene Sophocles, cum ex eo quidam jam affecto ætate quæreret, ute-returne rebus venereis: Dii meliora, inquit. libenter vero iſtinc, tanquam à domino agreſti, ac furioſo profugi. cupidis enim rerum talium odioſum, & moleſtum eſt fortaſſe carere. ſatiatis vero, & expletis jucundius eſt carere, quam

1 *Bellum indixiſſe*] Renunciaſſe. *Idem.*

2 *Naturalis modus*] Alluſit ad formulam, *quod bonè fiat modo*. Et plane quicquid ſine cupiditate, & deſiderio ſit, bono modo fieri dicebant. *Gruter.* Voluptas per ſe non mala eſt. Hinc tam pueri, quam omnia bruta eam ſectantur. Temperantes etiam, & prudentes viri non omnes voluptates fugiunt, ſed ſolummodo aliquas, nec ne ipſas quidem ideo, quod voluptates ſunt, ſed quod junctæ cum actionibus eam perniciem adferentibus, quam vir prudens, & temperans nolit præſentis voluptatis fruitione redimere; ad eum modum, quo venenum dulce redditum fugitur, non quia dulce eſt, ſed quia perniciem affert, quæ ſane non ſit dulcedine illa emenda. *Gaſſend.*

3 *Magiſteria*] Συμποσιαρχίαι. Unde Συμποσιάρχος, *magiſter convivii*: non is, qui convivas invitat, qui συμποσίου ἄρχων dicitur, ſed qui, in communi convivio vel ſorte, vel ſuffragio electus, convivium adminiſtrat. *Manut.* In omni convivio legebatur plerumque ſorte magiſter convivii, qui convivis cæteris leges ferebat bibendi. Varroni *modimperator*, quaſi modum imperans, Horatio *arbiter*, Plauto *dictator*, Græcis συμποσιάρχας, βασιλεῖς, vel τυράννους, qui poſtrema voce uſus eſt etiam Plautus:

Strategum te facio hujus convivii. Lipſ.

4 *A ſummo*] Id eſt, Ab eo, qui ſummus accumbit. In conviviis enim alii ſummi accumbebant, alii imi. *Lambin.*

5 *Adhibetur in poculis*] Proponebat ſummus convivii magiſter, qua de re ſermonem habere vellet inter bibendum: eaque ipſe de re primus omnium convivarum diſputabat. *Manut.*

6 *Xenophontis*] Cujus hæc ſunt verba: Οἱ παῖδες μικρὰ κύλικε συνεχῶς ἐπιῤῥανίζουσιν: *pueri minutis calicibus nos, veluti parvis guttis, aſpergentes.*

7 *Rorantia*] Quæ vini parum capiunt: non ut impleant convivas ad ſatietatem, & plene ſitim extinguant, ſed ut leviter tanquam irrorare videantur. *Manut.*

8 *In Sabinis*] Ubi villam habuit, ſimpliciter, & rudi forma ædificatam, teſte Plutarcho. *Idem.*

frui.

frui. quanquam non caret is, qui non deſiderat. Ego hoc non deſiderare dico eſſe jucundius. Quod ſi iſtis ipſis voluptatibus [1] bona ætas fruitur libentius: primum [2] parvulis fruitur rebus, ut diximus: deinde iis, quibus ſenectus, ſi non abunde potitur, non omnino caret, ut [3] Turpione Ambivio magis delectatur, qui in [4] prima cavea ſpectat: delectatur tamen etiam, qui in ultima: ſic adoleſcentia voluptates prope intuens magis fortaſſe lætatur: ſed delectatur etiam ſenectus procul eas ſpectans tantum, quantum ſat eſt. At illa quanti ſunt, animum tanquam emeritis ſtipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, [5] ſecum eſſe, ſecumque (ut dicitur) vivere? ſi vero habet aliquod tanquam pabulum ſtudii, atque doctrinæ, nihil eſt otioſa ſenectute jucundius. Mori videbamus in ſtudio dimetiendi pene cœli, atque terræ [6] C. Gallum, familiarem [7] patris tui, Scipio. quoties illum lux noctu aliquid deſcribere ingreſſum, quoties nox oppreſſit, cum mane cœpiſſet? quam delectabat eum defectiones ſolis, & lunæ multo ante nobis prædicere? Quid in levioribus ſtudiis, ſed tamen acutis? quam gaudebat bello ſuo Punico Nævius! quam Truculento Plautus! quam Pſeudolo! Vidi etiam ſenem [8] Livium: qui, cum ſex annos ante, quam ego natus ſum, fabulam docuiſſet, Centhone, Tuditanoque, conſulibus, uſque ad adoleſcentiam meam [9] proceſſit ætate. quid de P. Licinii Craſſi & pontificii, & civilis juris ſtudio loquar? aut de hujus P. Scipionis, qui his paucis diebus pontifex maxi-

1 *Bona ætas*] Adoleſcentia. *Idem.* Contra *mala ætas* ſenectus dicitur ab Afranio in illo verſu:

Mala ætas nulla delinimenta invenit. Urſin.

2 *Parvulis rebus*] Sic appellat epulas, extructaſque menſas, & frequentia pocula, & muliercularum illecebras. *Wolf.*

3 *Turpione Ambivio*] Hiſtrione celeberrimo, vel (ut alii volunt) Comœdiarum ſcriptore, Terentio coævo.

4 *Prima cavea*] Theatrum Romanum in tres ſedes, ſive *caveas* diviſum eſt, imam, quæ hic *prima* dicitur, mediam, & ſummam, unde ſpectabantur ludi.

5 *Secum eſſe, ſecumque vivere*] Hoc eſt, Se, & ſuam mentem curare, neglectis inanibus ſtudiis, & voluptatibus populi; quod Perſio eſt, *ſecum habitare.* Sat. 4.

Tecum habita, & noris, quam ſit tibi curta ſupellex. Grav.

6 *C. Gallum*] Intelligit Sulpicium Gallum, qui deprehenſam noctu Eclipſin Lunæ miratibus militibus enarravit. Vide Offic. Lib. 1. cap. 6.

7 *Patris tui*] Pauli Æmilii: cujus in exercitu, bello Macedonico, tribunus militum fuit.

8 *Livium*] Andronicum, poetam Comicum.

9 *Proceſſit ætate*] Vitam produxit.

mus

mus factus est? Atqui eos omnes, quos commemoravi, his studiis flagrantes senes vidimus. M. vero Cethegum, quem recte [1] Suadæ medullam dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus, etiam senem? Quæ sunt igitur epularum, aut ludorum, aut scortorum voluptates cum his voluptatibus comparandæ? Atque hæc quidem studia doctrinæ, quæ quidem prudentibus, & bene institutis pariter cum ætate crescunt: ut honestum illud Solonis sit, quod ait versiculo quodam, ut ante dixi, senescere se multa indies addiscentem: qua voluptate animi nulla certe potest esse major.

15. Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector, quæ nec ulla impediuntur senectute, & mihi [2] ad sapientis vitam proxime videntur accedere. [3] habent enim rationem cum terra, quæ nunquam recusat [4] imperium, nec unquam sine usura reddit, quod accepit: sed alias minore, plerumque majore cum fœnore. quanquam me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terræ vis, ac natura delectat, quæ cum [5] gremio mollito, ac subacto semen sparsum excepit, primum id [6] occæcatum cohibet; ex quo

1 *Suadæ medullam*] Summam eloquentiæ vim, & suavitatem. *Wolf.*

2 *Ad sapientis vitam proxime accedere*] Hoc est, Secundaria quædam esse Philosophia. *Idem.* Columella, rem rusticam cæteris vivendi rationibus præferens, proxime sapientiam locat, ejusque quasi consanguineam facit. *Manut.*

3 *Habent rationem cum terra*] Est illis negotium cum terra. Id est, A terra pendent. *Idem.*

4 *Imperium*] Dicuntur *imperare terræ*, qui eam exercent, & in illa serunt, ac plantant, quæ volunt, ut fructum ex illis capiant. Virgil. 1. Georg.

Exercetque frequens tellurem, atque imperat agris.

Tacit. de moribus German. *Sola terra seges imperatur.* Seneca de tranquillitate animi: *Ut fertilibus agris non est imperandum. Grav.*

5 *Gremio mollito, ac subacto*] Eadem translatione utitur Virgilius 2. Georg.

Vere tumescunt terræ, & genitalia semina poscunt.

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Æther
Conjugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit magno commissus corpore fœtus.

Et Columella lib. 10. de cultu hortorum:

Maximus ipse Deum, posito jam fulmine, fallax
Acrisionæos veteres imitatur amores,
Inque sinum matris violento decidit imbre.

6 *Occæcatum cohibet; ex quo occatio*] Cicero originem vocis *occare* aperit, ac docet, unde *occatio* dicta esset. Nimirum *occare* factum esse per syncopen ab *occæcare*. Hanc opinionem Ciceronis fuisse ex aliorum quoque antiquorum testimonio intelligimus, inprimis autem Sex. Pompeii eruditi scriptoris, qui inquit, *occare, & occationem Verrius putat ab occædendo, quod cadat grandes glebas terræ; cum Cicero venustissime dicat ab occæcando fruges fatas.* Sed etiam Nonii Marcelli: *Occationem ab occæcatis seminibus*

occatio (quæ hoc efficit) nominata est; deinde tepefactum vapore, & compressu suo [1] diffindit, & elicit herbescentem ex eo viriditatem: quæ nixa fibris stirpium sensim adolescit, culmoque erecta [2] geniculato vaginis jam quasi pubescens includitur; è quibus cum emerserit, fundit frugem spici, ordine structam, & contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum. Quid ego vitium satus, ortus, incrementa commemorem? satiari delectatione non possum, ut meæ senectutis [3] requietem, [4] oblectamentaque pernoscatis. Omitto enim vim ipsam omnium, quæ generantur è terra; quæ ex fici tantulo grano, aut ex [5] acino vinaceo, aut ex cæterarum frugum, ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos, ramosque procreat. [6] malleoli, [7] plantæ, [8] sarmenta, [9] viviradices, propagines, nonne ea efficiunt, ut quemvis cum admiratione delectent? Vitis quidem, quæ natura [10] caduca est, &, nisi fulta sit, ad terram fertur; eadem, ut se erigat, [11] claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur! quam serpentem multiplici lapsu, & erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis, & in omnes partes nimia fundatur. Itaque [12] ineunte vere in iis,

nibus, quæ id efficitur, dici M. Tullius voluit de senectute. Est autem occaecare, operire terra. *Occare* nihil aliud est, quam glebas confringere, & comminuere, ut pulvere tegatur semen. *Grav.*

1 *Diffindit*] Veram hanc esse lectionem, non *diffundit*, convincit id, quod præcedit, *compressu*. Et norunt, qui in re rustica non plane hospites sunt, granum primo diffindi, tum culmen ejicere. *Guilielm.*

2 *Geniculato*] *Geniculi* sunt nodi in caulibus, & culmis, quibus distinguuntur. *Grav.*

3 *Requietem*] Hac inflexione sæpe alibi Cicero usus est. *Lang.*

4 *Oblectamenta pernoscatis*] Hoc est, Ut omnia senectutis meæ oblectamenta sciatis. *Grav.*

5 *Acino vinaceo*] *Acinum* esse ipsam baccam, sive granum uvæ, pro nucleo usurpari quoque, sed mutata vetere Latinitate, testatur Isaacus Casaubonus.

6 *Malleoli*] Novelli palmites. *Manut.*

7 *Plantæ*] Surculi recens confiti. *Idem.*

8 *Sarmenta*] Inutilia putamina, & quæ à vitibus, tanquam superflua ligna, secantur. *Idem.*

9 *Viviradices*] Id est, Plantulæ cum sua radice in aliud solum transfatæ. *Idem.*

10 *Caduca*] Ad casum prona. *Idem.*

11 *Claviculis*] Capreolis, sive pampinis, quibus innixæ vites se sustinent, & diffundunt.

12 *Ineunte vere*] Virgil. Georg. 2.

Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus, superas vocat omnibus humor,
Inque novos soles audent se gramina tuto
Credere, nec metuit surgentes pampinus Austros,
Aut adsum cœlo magnâ Aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes,

Ovid. Fast. lib. 1.

Omnia

quæ relicta sunt, existit tanquam ad articulos sarmentorum ea, quæ gemma dicitur: à quo oriens uva sese ostendit: quæ & succo terræ, & calore solis augescens primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit; vestitaque pampinis, nec modico tepore caret, & nimios solis [1] defendit ardores. qua quid potest esse cum fructu lætius, tum adspectu pulchrius? cujus quidem non utilitas me solum, ut ante dixi, sed etiam cultura, & ipsa natura delectat: adminiculorum ordines, capitum [2] jugatio, [3] religatio, & propagatio vitium; sarmentorumque ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum [4] immissio. Quid ego irrigationes? quid [5] fossiones agri, [6] repastinationesque proferam, quibus fit multo terra fœcundior? Quid de utilitate loquar stercorandi? dixi in eo libro, quem de rebus rusticis scripsi: de qua doctus Hesiodus ne verbum quidem fecit, cum de cultura agri scriberet. At Homerus, qui [7] multis, ut mihi videtur, ante sæculis fuit, [8] Laertem lenientem desiderium, quod capiebat è filio, colentem agrum, & [9] eum stercorantem facit. Nec vero segetibus solum, & pratis, & vineis, & arbustis res rusticæ lætæ sunt; sed etiam

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.

Et lib. 4.

Nec Veneri tempus, quam ver erat, aptius ullum,
Vere nitent terræ, vere remissus ager.
Nunc herbâ rupta tellure cacumina tollunt,
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.

1 *Defendit*] *Defendere* hoc loco valet, propulsare, arcere. Sic Horat. Sat. 3. lib. 1.

--& toga, qua defendere frigus
Quamvis crassa queat.

Cæsar lib. 1. de bello Gall. *quod non bellum intulerit, sed defenderit.* Cicero de Offic. lib. 3. *qui non defendit injuriam, neque propulsat.* Lambin.

2 *Jugatio*] Hinc *jugata vinea, jugata vites*, in jugo erectæ. *Jugum* enim in vineis dicebantur pertica humi defixæ, quibus aliæ imponebantur superius transversæ, ad instar jugi militaris. de quo vide Varronem 1. de re rustica cap. 8. & Columellam lib. 4. cap. 17. & 19. *Grav.*

3 *Religatio*] Alligatio. *Manut.*

4 *Immissio*] Insertio.

5 *Fossiones*] Hoc est, Scrobes, & ablaqueationes. *Manut.*

6 *Repastinationes*] *Repastinari* dicebant veteres agros, qui refodiebantur.

7 *Multis ante sæculis fuit*] Est in hoc aliqua controversia. Plutarchus in oratione consolatoria Hesiodum Homero, ut existimatione, ita ætate posteriorem facit. *Manut.*

8 *Laertem*] Ulyssis patrem.

9 *Eum stercorantem facit*] Verba, ad quæ respicit Cato, sunt apud Odyss. Ω. v. 225.

--- πατρὶς δ' ἴφθιμον ἰὼν παρὰ δ' ἄλοχον, ἀμφιέπουσα φυτὰ.

Sed vox ἀμφιέπουσα non significat *stercorantem*, sed *purgantem*. Hunc locum perperam à Cicerone intellectum annotavit Eruditissimus Barnesius.

hortis,

hortis, & pomariis: tum pecudum paſtu, apium examinibus, florum omnium varietate. Nec [1] conſitiones modo delectant, ſed etiam inſitiones: quibus nihil invenit agricultura ſolertius.

16. Poſſum perſequi multa oblectamenta rerum ruſticarum: ſed ea ipſa, quæ dixi, fuiſſe ſentio longiora. Ignoſcetis autem. nam & ſtudio rerum ruſticarum provectus ſum, & ſenectus eſt natura loquacior: ne ab omnibus eam vitiis videar [2] vindicare. Ergo [3] in hac vita M. Curius, cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphaſſet, conſumpſit extremum tempus ætatis: cujus quidem villam ego contemplans (abeſt enim non longe à me) admirari ſatis non poſſum vel [5] hominis ipſius continentiam, vel [6] temporum diſciplinam. Curio ad focum ſedenti magnum auri pondus Samnites cum attuliſſent, repudiati ab eo ſunt. non enim aurum habere præclarum ſibi videri dixit; ſed iis, qui haberent aurum, imperare. Poteratne tantus animus non jucundam efficere ſenectutem? Sed venio ad agricolas, ne à meipſo recedam. In agris erant tum ſenatores, & iidem ſenes. ſiquidem aranti L. Quinctio Cincinnato nuntiatum eſt, eum dictatorem eſſe factum: cujus dictatoris juſſu magiſter equitum C. Servilius Ahala Sp. Mælium, regnum appetentem, [7] occupatum interemit. à villa in ſenatum arceſſebantur & Curius, & cæteri ſenes: ex quo, qui eos arceſſebant, viatores nominati ſunt. num igitur horum ſenectus miſerabilis fuit, qui ſe agri cultione oblectabant? Mea quidem ſen-

1 *Conſitiones, inſitiones*] *Conſerere* idem valet, quod *plantare, ſeminare*: *inſerere* dicitur, cum ſciſſo trunco ſurculus unius arboris alteri adhibetur: quod quidam *inoculationem* vocant.

2 *Vindicare*] Liberare. *Manut.*

3 *In hac vita*] Ruſtica, in agris, vineiſque colendis occupata.

4 *Cujus villam*] Quæ nullo ſumptu, nullo ornatu extructa erat. *Manut.*

5 *Hominis continentiam*] Cum enim Italia Pyrrhum exegiſſet, nihil ex regia præda attigit. *Idem.* Ingentes porro acervos oculo irretorto ſpectavit, & Samnitum aurea dona remiſit.

6 *Temporum diſciplinam*] Cum ex imperatoribus agri colebantur, gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore, teſte Plinio. *Manut.* Hoc eſt, Temporum illorum rationem, conſuetudinem, & quaſi legem, quæ ab omnibus ſervabatur. Sic & Juſtinus loquitur de Judæis, ab aliorum conſortio abhorrentibus: *quod, ex cauſa factum, paulatim in diſciplinam vertit.* Hoc eſt, Quod, propter morbum factum, paulatim in legem, & rationem vivendi, quam ſequebantur, & tenebant omnes Judæi, fuit converſum. *Grav.*

7 *Occupatum*] Oppreſſum ante, quam perficeret id, quod cogitabat. Elegans, nec tamen ſatis notum, loquendi genus. *Occupare* eſt, præripere, prævenire. *Manut.*

tentia haud ſcio, an ulla beatior eſſe poſſit: neque ſolum officio, quod hominum generi univerſo cultura agrorum eſt ſalutaris: ſed & delectatione, quam dixi, & ſatutitate, copiaque omnium rerum, quæ ad victum hominum, [1] ad cultum etiam Deorum pertinent: ut, quoniam hæc quidam deſiderant, in gratiam jam cum voluptate redeamus. Semper enim boni, aſſiduique domini referta cella vinaria, olearia, etiam penaria eſt, villaque tota locuples eſt: abundat porco, hædo, agno, gallina, lacte, caſeo, melle. Jam hortum ipſi agricolæ [2] ſuccidiam alteram appellant. Conditiora facit hæc [3] ſupervacanei operis aucupium, atque venatio. Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum, olivetorumque ſpecie dicam? [4] Brevi præcidam. Agro bene culto nil poteſt eſſe nec uſu uberius, nec ſpecie ornatius: ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat, atque allectat ſenectus. Ubi enim poteſt illa ætas aut caleſcere vel apricatione melius, vel igni? aut viciſſim umbris, aquiſve refrigerari ſalubrius? Sibi igitur habeant arma, ſibi equos, ſibi haſtas, ſibi [5] clavam, ſibi [6] pilam, ſibi natationes, & curſus: nobis [7] ſenibus ex luſionibus multis talos relinquant, & teſſeras: id ipſum utrum lubebit: quoniam ſine his beata eſſe ſenectus poteſt.

17. [8] Multas ad res perutiles Xenophontis libri ſunt. quos legite, quæſo, ſtudioſe, ut facitis. quam copioſe ab eo agricultura

1 *Ad cultum Deorum*] Nam primitias profert, & victimas ſuppeditat. *Idem.*

2 *Succidiam*] Suillæ carnis fruſtum, ut perna, petaſo, teſte Varrone. Sic dicitur a ſuibus cædendis, vel concidendis.

3 *Supervacanei operis aucupium*] Eſt, cui ſervimus tempore quaſi ſubſecivo, cum juſta, & legitimo ſumus defuncti opere, ſeu labore, quem agri cultura poſcit. Nam *opus* per excellentiam notare laborem ruſticum, quem agreſtes impendunt exercendæ terræ, quis in tanta literarum luce ignorare poteſt? Ovid. lib. 4. de Triſt. El. 1.

Hoc eſt, cur cantes vinctus quoque compede foſſor,
Indocili numero cum grave mollit opus. Grav.

4 *Brevi præcidam*] Longiorem ſermonem amputabo. *Manut.*

5 *Clavam*] Militaris genus exercitationis commemorari exiſtimo, quo ſe ad palum gravi clava numeros omnes armaturæ implentes exercebant. Itaque milites Romani ſervos clavigeros habebant. *Grav.*

6 *Pilam*] Militarem quidam intelligunt, quidam luſoriam. *Manut.*

7 *Senibus talos relinquant*] Hinc Auguſtus apud Suetonium in epiſtola quadam *talis ludere* vocat, γεροντικῶς ludere. *Inter cœnam luſimus γεροντικῶς & heri, & hodie. Grav.*

8 *Multas ad res perutiles*] Continent enim hiſtorica, ethica, œconomica, politica, rei militaris tum præcepta, tum exempla. *Wolf.*

lau-

laudatur in eo libro, qui eſt de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inſcribitur! Atque ut intelligatis, nihil ei tam regale videri, quam ſtudium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem, regem Perſarum, præſtantem ingenio, atque imperii gloria, cum Lyſander Lacedæmonius, [1] vir ſummæ virtutis, veniſſet ad eum [2] Sardis, eique dona à ſociis attuliſſet, & cæteris in rebus [3] communem erga Lyſandrum, atque humanum fuiſſe, & ei quendam conſeptum agrum, diligenter confitum, oſtendiſſe. cum autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum, & [4] directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam, atque puram, & ſuavitatem odorum, qui afflarentur è floribus: tum dixiſſe, mirari ſe non modo diligentiam, ſed etiam ſolertiam ejus, à quo eſſent illa dimenſa, atque deſcripta: & ei Cyrum reſpondiſſe: Atqui ego omnia iſta ſum dimenſus; mei ſunt ordines, mea deſcriptio; multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ. Tum Lyſandrum intuentem ejus purpuram, & [5] nitorem corporis, ornatumque Perſicum multo auro, multiſque gemmis, dixiſſe: Recte vero te, Cyre, bea-

1 *Vir ſummæ virtutis*] Si res bello geſtas, & ſucceſſus, atque victorias conſideres: cætera vir malus, callidus, verſipellis, & perfidus fuit. *Mſf.* Dixit, teſte Juſtino, *pueros nucibus, viros jurejurando fallendos eſſe.*

2 *Sardis*] Lydiæ oppido, ad Tmoli montis radices.

3 *Communem*] *Communis* eſt, comis, humanus, benignus, facilis erga ſe inferiores. Sueton. in Claud. cap. 21. *Neque ulle ſpectaculi genere communior, aut remiſſior erat*, id eſt, magis familiaris, & comis. Et in Veſpaſ. cap. 22. *Super cænam autem, & ſemper alias communiſſimus multa joco tranſigebat.* Servius in hæc verba,

Communemque vocate Deum —

communem interpretatur, *humanum, beneficum*, φιλάνθρωπον. *unde & communes homines diximus.* Cicero lib. 4. ad Fam. epiſt. 9. *Eum magis communem cenſemus in victoria futurum fuiſſe, quam incertis rebus fuiſſet.* Sic & Græcis κοινὸς. Iſocrates ad Demonicum: φιλόκαλός τε ἴσθι, καὶ μεγαλοπρεπὴς, καὶ τοῖς φίλοις κοινός. *Erat elegans, & ſplendidus, & erga amicos communis. Grav.*

4 *Directos in quincuncem ordines*] Arbores, in quincuncem recto ordine diſpoſitæ, figuram quincuncialem referunt, ſic, ut ea figura, quamcunque in partem ſpectaveris, oculis occurrat. Quo quidem ordine ſpecioſius, & gratius eſſe nihil poteſt. Hodieque hujus generis exempla, ad antiquitatis imitationem à peritis hominibus elaborata, cernuntur. Plinius lib. 17. ait, in diſponendis arboribus, arbuſtis, ac vineis quincuncialem proportionem utilem eſſe, & adſpectu gratam. Virgilius de eo Georg. 2.

Indulge ordinibus, nec ſecius omnis in unguem
Arboribus poſitis ſecto via limite quadret.

Cæſar quoque de bello Gallic. lib. 7. *Ante hos, obliquis ordinibus in quincuncem diſpoſitis, ſtrebes trium in altitudinem pedum infodiebantur. Manut.*

5 *Nitorem corporis*] Hoc eſt, Elegantiam in cultu. Sic Horatius ruſticum opponit nitido: *Ex nitido fit Ruſticus. Grav.*

tum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta eſt. Hac igitur fortuna frui licet ſenibus: nec ætas impedit, quo minus & cæterarum rerum, & inprimis agri colendi ſtudia teneamus uſque ad ultimum tempus ſenectutis. M. quidem Valerium Corvum accepimus ad centeſimum annum [1] perduxiſſe, cum eſſet acta jam ætate in agris, eoſque coleret: cujus inter primum, & ſextum conſulatum ſex, & quadraginta anni interfuerunt. itaque quantum ſpatium ætatis majores noſtri ad ſenectutis initium eſſe voluerunt, tantus illi curſus honorum fuit. atque ejus extrema ætas hoc beatior, quam media, quod auctoritatis plus habebat, laboris vero minus. [2] Apex autem ſenectutis eſt auctoritas. Quanta fuit in L. Cæcilio Metello? quanta in Atilio Calatino? in quem illud [3] elogium unicum: Plurimæ conſentiunt gentes, populi primarium fuiſſe virum: notum eſt carmen inciſum in ſepulcro. Jure igitur gravis, cujus de laudibus omnium eſſet fama conſentiens. Quem virum P. Craſſum, nuper pontificem maximum, quem poſtea M. Lepidum eodem ſacerdotio præditum vidimus? Quid de [4] Paulo, aut Africano loquar? aut, ut jam ante, de [5] Maximo? quorum non in ſententia ſolum, ſed etiam [6] in nutu reſidebat auctoritas. Habet ſenectus, honorata præſertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris ſit, quam omnes adoleſcentiæ voluptates.

18. Sed in omni oratione mementote, eam me laudare ſenectutem, quæ [7] fundamentis adoleſcentiæ conſtituta ſit, ex quo id efficitur, quod ego magno quondam cum aſſenſu

1 *Perduxiſſe*] Vitam produxiſſe. Hoc verbum ſimpliciter etiam in Lælio uſurpavit Cicero.

2 *Apex ſenectutis auctoritas*] Senectus nihil ſublimius habet, nihil magnificentius auctoritate. *Manut.*

3 *Elogium unicum*] *Unicum* eſt, ſingulare elogium, ſive inſcriptio. *Unicus magiſter* apud Suetonium eſt, ſingularis, & præſtantiſſimus. *Elogium* eſt, quævis inſcriptio ſive tabulæ, ſive ſtatuæ, titulus ſepulcralis, epigramma. Sic inferius cap. 20. *Solonis quidem ſapientis elogium eſt.* Hoc eſt, Solonis ſepulcri hæc eſt inſcriptio. *Grav.*

4 *Paulo, aut Africano*] Quorum prior Scipionis pater, poſterior avus ejuſdem fuit adoptivus.

5 *Maximo*] Fabio, cum quo ſe militaſſe jam dixit. *Manut.*

6 *In nutu reſidebat auctoritas*] Id eſt, Non tantum, quod dicebant, valebat, & ratum erat, ſed etiam quod nutu ſe velle ſignificabant. *Wolf.*

7 *Fundamentis adoleſcentiæ conſtituta ſit*] Id eſt, Ea tantum ſenectus has ſive conſolationes, ſive laudationes capit, quæ ſuperiorem ætatem omnem honeſte egit, atque in adoleſcentia rectis ſtudiis, & factis egregiis quaſi viaticum ſibi comparavit. *Idem.*

omnium

omnium dixi: miseram esse senectutem, [1] quæ se oratione defenderet. non cani, non rugæ repente auctoritatem arripere possunt: sed honeste acta superior ætas fructus capit auctoritatis extremos. Hæc enim ipsa sunt [2] honorabilia, quæ videntur levia, atque communia; [3] salutari, [4] appeti, [5] decedi, [6] assurgi, [7] deduci, reduci, consuli: quæ & apud nos, & in aliis civitatibus, ut quæque optime morata, ita diligentissime observantur. Lysandrum Lacedæmonium, cujus modo mentionem feci, dicere aiunt solitum, Lacedæmone esse honestissimum domicilium senectutis. nusquam enim tantum tribuitur ætati, nusquam est senectus honoratior. (quin etiam memoriæ proditum est, cum Athenis, [8] ludis, quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locum ei à suis civibus nusquam datum: cum autem ad Lacedæmonios accessisset, qui, cum legati essent, certo in loco consederant, consurrexisse omnes, & senem illum sessum recepisse. quibus cum à cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex iis quendam, Athenienses scire, quæ recta essent, sed facere nolle. Multa in [9] nostro collegio præclara: sed hoc, de quo agimus, inprimis, quod, ut quisque ætate antecedit, ita [10] sententiæ principatum tenet: neque solum [11] honore antecedentibus, sed iis etiam, [12] qui cum imperio sunt, majores natu augures anteponuntur. Quæ sunt igitur voluptates corporis cum auctoritatis præmiis

1 *Quæ se oratione defenderet*] Ut si quis dicat, se tot annos vixisse, tot ærumnas perpessum esse; si monstret rugas, & canos, infirmum, atque effœtum corpus, propterea que se magni fieri postulet. Qui autem per omnem ætatem in rebus gerendis cum virtute, & laude versatus est, is suo præconio non indiget, sed ab omnibus bonis viris certatim & defenditur, & laudatur ejus senectus. *Idem.*

2 *Honorabilia*] Significationem honoris habent. *Idem.*

3 *Salutari*] Mane visitari; aut gratulationibus affici.

4 *Appeti*] *Appetitur*, cujus consuetudo, & colloquium vehementer desideratur.

5 *Decedi*] *Deceditur*, cui datur locus.

6 *Assurgi*] Sic Juvenalis Sat. 13.

Crédebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat.

7 *Deduci, reduci*] Nam juvenes deducebant ad curiam aliquem senatorem; quem expectabant, ut domum reducerent. Hunc morem Romanos à Lacedæmoniis accepisse scribit A. Gellius lib. 2. cap. 15. *Manut.*

8 *Ludis*] Panathenaicis. *Idem.*

9 *Nostro collegio*] Augurum. *Idem.*

10 *Sententia principatum tenet*] Vel, Primus ante alios sententiam dicit. *Idem.*

11 *Honore antecedentibus*] Majore magistratu functis. *Wolf.*

12. *Qui cum imperio sunt*] Id est, Imperatoribus, qui exercitus tenent; vel (ut alii volunt) iis, qui adhuc magistratu funguntur. *Idem.*

com-

comparandæ? quibus qui ſplendide uſi ſunt, ii mihi videntur fabulam ætatis peregiſſe, nec, tanquam inexercitati hiſtriones, [1] in extremo actu corruiſſe. At ſunt [2] moroſi, & anxii, & iracundi, & difficiles ſenes; ſi quærimus, etiam [3] avari. ſed hæc morum vitia ſunt, non ſenectutis. Ac moroſitas tamen, & ea vitia, quæ dixi, habent aliquid excuſationis, non illius quidem juſtæ, ſed quæ probari poſſe videatur. contemni ſe putant, deſpici, illudi. Præterea in [4] fragili corpore odioſa [5] omnis offenſio eſt. quæ tamen omnia [6] dulciora ſunt & moribus bonis, & artibus: idque tum in vita, tum in ſcena intelligi poteſt ex iis fratribus, qui in [7] Adelphis ſunt. quanta in altero [8] duritas, in altero comitas! Sic ſe res habet. ut enim non omne vinum, ſic [9] non omnis ætas vetuſtate coaceſcit. ſeveritatem in ſenectute probo, ſed eam (ſicut alia) modicam, acerbitatem nullo modo. avaritia vero

1 *In extremo actu*) Sic Epiſt. 1. lib. 1. ad Q. fratrem: *Illud te ad extremum & oro, & hortor, ut, tanquam poeta boni, & actores induſtrii ſolent, ſic tu in extrema parte, & concluſione muneris, ac negotii tui diligentiſſimus ſis.*

2 *Moroſi, anxii, difficiles*] Eodem modo depingit Horatius de arte poetica:

Multa ſenem circumveniunt incommoda: vel quod
Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti:
Vel quod res omnes timide, gelideque miniſtrat,
Dilator, ſpe longus, iners, aviduſque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum.

Moroſi ſunt, qui nimis exacte, nimis ad unguem fieri omnia poſtulant, ut aliquando ob id indignentur, ac iraſcantur: *anxii*, qui ſuis diffidunt: *difficiles*, duri ad ignoſcendum.

3 *Avari*] Sic Terentius Adelph.

Solum hoc unum vitium affert ſenectus hominibus:
Attentiores ſumus ad rem omnes, quam ſat eſt.

4 *Fragili corpore*] Cujus imbecillitatem animi quoque imbecillitas fere comitatur. *Manut.*

5 *Omnis offenſio*] Quantumvis levis. *Wolf.*

6 *Dulciora ſunt*] Hoc eſt, Vitia iſta ſenum mitigantur. *Idem.*

7 *Adelphis*] Terentii Comœdia, in quam inducuntur duo fratres ſeniles, Mitio, & Demea.

8 *Duritas*] *Diritas* edendum curavit Langius. Mihi longe magis placet *duritas*; quæ recte opponitur comitati: non item *diritas*. Præterea parciores, & ſeveriores in filios patres *duri*, & ferrei dicuntur, non *diri*. *Lambin.* Magis in patrem convenit *duritas*, quam *diritas*. *Dirus* enim eſt, qui ſævit in aliquem, & ad ſævitiam eſt natura propenſus: quod ad patrem non pertinet, qui filio multa quidem negat, in eum tamen non adducitur ut ſæviat: cum vero negat, & nihil indulget, in eo *durus* eſt. *Manut.* Sic Ovid. lib. 9. Metamorph.

Nec nos aut durus pater, aut reverentia famæ,
Aut timor impediet.

Et lib 1. Amorum:

Dum fallax ſervus, durus pater.

9 *Non omnis ætas vetuſtate coaceſcit*] Non omnis ſenectus eſt moroſa, & acerba.

ſenilis

ſenilis quid ſibi velit, non intelligo. poteſt enim quidquam eſſe abſurdius, quam, quo minus viæ reſtat, eo plus viatici quærere?

19. Quarta reſtat cauſa, quæ maxime angere, atque ſollicitam habere noſtram ætatem videtur, appropinquatio mortis; quæ certe à ſenectute non poteſt longe abeſſe. O miſerum ſenem, qui mortem contemnendam eſſe in tam longa ætate non viderit! quæ aut plane negligenda eſt, ſi omnino extinguit animum; aut etiam optanda, [1] ſi aliquo eum deducit, ubi ſit futurus æternus. Atqui tertium certe nihil inveniri poteſt. [2] Quid igitur timeam, ſi aut non miſer poſt mortem, aut beatus etiam futurus ſum? quanquam quis eſt tam ſtultus, quamvis ſit adoleſcens, [3] cui ſit exploratum, ſe [4] ad veſperum eſſe victurum? quin etiam ætas illa multo plures, quam noſtra, mortis caſus habet. [5] facilius in morbos incidunt adoleſcentes, [6] gravius ægrotant, [7] triſtius curantur. itaque [8] pauci veniunt ad ſenectutem: quod ni ita accideret, melius, & prudentius viveretur. mens enim, & ratio, & conſilium in ſenibus eſt: qui ſi nulli fuiſſent, [9] nullæ omnino civitates eſſent. Sed redeo ad mortem impendentem. quod illud eſt crimen ſenectutis, cum illud videatis cum adoleſcentia eſſe commune? ſenſi ego cum in optimo filio meo, tum

1 *Si aliquo eum deducit*] Si mors deducit animum in locum aliquem. Poetæ campum Elyſium, interdum Fortunatas inſulas animis piorum aſſignant. Cicero, & Philoſophi, in cœlis eoſdem collocant. Nonnulli in puro ære, aut in ſtellis ſedes illis attribuerunt. Ob quam varietatem opinionum dicit noſter, *aliquo*. *wolf*.

2 *Quid igitur timeam*] Timentur enim tantum ea, quæ incommodant, vel auferendo ea, quæ juvant, vel importando, quæ nocent. *Idem*.

3 *Cui ſit exploratum*] Id eſt, Qui certo perſuaſum habeat. *Idem*.

4 *Ad veſperum*] Hinc illud J. Cæſaris: *Calenda Martia venere*. Cui reſponſum: *Sed nondum præteriere*. Et illud Varronis: *Neſcis, quid ſerus veſper vehat*. *Manut*.

5 *Facilius in morbos incidunt*] Propter caloris vehementiam, & redundantiam humorum. *wolf*.

6 *Gravius*] Id eſt, Periculoſius. *Idem*.

7 *Triſtius*] Vel, difficilius (ut Nonius Marcellus interpretatur) ob morbi vehementiam, cui extrema remedia ſunt adhibenda: vel, majore cum moleſtia & ægrotantis, & domeſticorum, ob adoleſcentis jacturam, à quo ſperari poſſunt plurima. *Manut*.

8 *Pauci veniunt ad ſenectutem*] Propter caſus mortis plures, morborumque vehementiam. *Idem*.

9 *Nullæ civitates eſſent*] Nam adoleſcentes viribus freti vim potius, quam jus, ſpectant, invitique ſe legibus adſtringunt. *wolf*. Adoleſcentes enim ferocia, & temeritate præditi nihil conſtituiſſent, omnia potius evertiſſent. *Civitates* intelligendæ ſunt, hominum conſociationes. *Manut*.

in

in [1] expectatis ad amplissimam dignitatem [2] fratribus tuis, Scipio, omni ætati mortem esse communem. At sperat adolescens, diu se victurum: quod sperare idem senex non potest. Insipienter sperat. quid enim stultius, quam incerta pro certis habere, falsa pro veris? Senex ne, quod speret quidem, habet. At est eo meliore conditione, quam adolescens, cum id, quod ille sperat, hic jam consecutus est. Ille vult diu vivere: hic diu vixit. Quanquam, ô Dii boni! [3] quid est in hominis vita diu? da enim supremum tempus: expectemus [4] Tartessiorum regis ætatem: fuit enim (ut scriptum video) Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnavit annos, [5] centum, & viginti vixit. Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. cum enim id advenit, tunc illud, quod præteriit, effluxit: tantum remanet, quod virtute, & recte factis consecutus sis. horæ quidem [6] cedunt, & dies, & menses, & anni: nec præteritum tempus unquam revertitur, nec, quid sequatur, sciri potest. [7] quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus. neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fabula, modo, in quocunque fuerit actu, probetur: neque sapienti [8] usque ad Plaudite vivendum. breve enim tempus ætatis satis est longum ad bene, honesteque vivendum. [9] sin processeris longius, non magis dolendum est, quam agricolæ dolent, præterita verni temporis suavitate, æstatem, autumnumque venisse. ver enim tanquam adolescentiam significat, ostenditque fructus futuros:

1 *Expectatis ad amplissimam dignitatem*] Pueris etiamnum magnam spem de se præbentibus. *Idem.*

2 *Fratribus tuis*] Pauli Æmilii filiis, qui adhuc pueri sunt extincti. *Idem.*

3 *Quid est in hominis vita diu*] Sic Mezentius Virgilianus:

— Viximus ambo,
Rhoebe, diu; si quis diu mortalibus ulla est.

4 *Tartessiorum*] Tartessi incolarum, Hispaniæ Baticæ urbis, in ora freti Herculei, seu Gaditani.

5 *Centum, & viginti*] Huic annos centum, & quinquaginta tribuit Herodotus, & Lucianus: trecentos Silius Italicus:

Arganthoniacos armat Carteia nepotes:
Rex proavus fuit humani ditissimus ævi,
Ter denos deciès emensus bulliger annos.

6 *Cedunt*] Paulatim prætereunt, & imprudentibus, nec animadvertentibus elabuntur. *Wolf.*

7 *Quod temporis*] Pro, quod tempus, sive, quantum temporis. *Erasm.*

8 *Usque ad Plaudite*] Usque ad supremum tempus ætatis. Vox à Comœdiarum fine traducta. Vide Plautum, & Terentium.

9 *Sin processeris longius*] Id est, Sin diutius vixeris. *Lambin.*

reliqua

reliqua tempora demetendis fructibus, & percipiendis accommodata ſunt. fructus autem ſenectutis eſt (ut ſæpe dixi) [1] ante partorum bonorum memoria, & copia. Omnia vero, quæ ſecundum naturam fiunt, ſunt habenda in bonis. [2] quid eſt autem tam ſecundum naturam, quam ſenibus emori? quod idem contingit adoleſcentibus, adverſante, & repugnante natura. Itaque adoleſcentes mori ſic mihi videntur, ut cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur: ſenes autem, ſicut ſua ſponte, nulla adhibita vi, conſumptus ignis extinguitur. & quaſi poma ex arboribus, cruda ſi ſint, vi avelluntur; ſi matura, & cocta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas: [3] quæ mihi quidem tam jucunda eſt, ut, quo propius ad mortem accedam, quaſi terram videre videar, aliquandoque [4] in portum ex longa navigatione eſſe venturus.

20. [5] Omnium ætatum certus eſt terminus: [6] ſenectutis autem nullus certus eſt terminus: recteque in ea vivitur, quoad munus officii exequi, & tueri poſſis, & tamen mortem contemnere. ex quo fit, ut animoſior etiam ſenectus ſit, quam adoleſcentia, & fortior. Hoc illud eſt, quod Piſiſtrato [7] tyranno à Solone reſponſum eſt: cum illi quærenti, Qua tandem ſpe fretus, ſibi tam [8] audaciter obſiſteret: reſpon-

1 *Ante partorum bonorum*] Non hic intelligenda ſunt bona Fortunæ, ſed virtus, & recte facta; quæ ſumma, ſi Peripateticis, ſin Stoicis credimus, ſola; atque unica bona ſunt. *Wolf.*

2 *Quid eſt tam ſecundum naturam*] Pronuntiati hujus veritas conſtanti Naturæ ordine declaratur. Omnia enim orta interire videmus, maturitatem præſertim ſuam conſecuta. Apparet hoc cum in hominibus, tum in brutis animantibus, & ſtirpibus. *Idem.*

3 *Quæ*] Vel ipſa ſenectus, vel ſenectutis maturitas, id eſt, appropinquatio mortis, intelligi poteſt. *Idem.*

4 *In portum ex longa navigatione*] Eadem ſimilitudine utitur Seneca ad Paulinum: *In hoc tam procelloſo mari navigantibus nullus portus, niſi mortis, eſt.*

5 *Omnium ætatum*] Ætatum terminos alii aliter conſtituunt. Varro 5 ætatis gradus fecit, Hippocrates 7, Solon autem 10, Staſeas Peripateticus 12. *Grav.*

6 *Senectutis nullus certus eſt terminus*] Staſeas Peripateticus ſpatium plenæ vitæ, ſeu conſummatæ ſenectutis ſtatuit eſſe annorum 84. Davides rex in Pſalmis ait, terminum vitæ humanæ ſeptuageſimum annum eſſe; ſi longiſſimus ſit, octogeſimum. Multi tamen hunc terminum longe ſunt ſupergreſſi. Quin & inſularum Americanarum incolæ, qui ad legitimam ſenectutem pervediunt, ſunt annorum 150. Quod ſpatium egrediuntur ii, qui decrepitam ad ſenectutem proceſſerunt. Erat nuper in urbe Trajectina ad Rhenum Anglus, qui 14 ſupra 100 annos erat natus. Sed hoc noſtro ſæculo fuit in Scotia, qui centeſimum, & quadrageſimum annum erat egreſſus. *Grav.*

7 *Tyranno*] Vox hic reſpicit libertatem Athenienſium oppreſſam, non barbaram Piſiſtrati crudelitatem.

8 *Audaciter*] Sic à *fagax*, *pernix*, fagaciter, perniciter. *Guilielm.*

disse dicitur, Senectute. Sed vivendi finis est optimus, cum [1] integra mente, cæterisque sensibus, opus ipsa suum eadem, quæ [2] coagmentavit, natura dissolvit. Ut navem, ut ædificium idem destruit facillime, qui construxit: sic hominem eadem optime, quæ conglutinavit, natura dissolvit. jam omnis conglutinatio recens ægre, inveterata facile divellitur. ita fit, ut illud breve vitæ reliquum nec avide appetendum senibus, [3] nec sine causa deserendum sit: vetatque Pythagoras injussu imperatoris, id est, Dei, [4] de præsidio, & statione vitæ decedere. Solonis quidem sapientis elogium est, quo se [5] negat velle suam mortem dolore amicorum, & lamentis vacare. vult, credo, se esse carum suis. Sed haud scio, an melius Ennius:

Nemo me lacrymis decoret, neque [6] funera fletu
Faxit.

Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur. Jam sensus moriendi aliquis esse potest, isque ad

1 *Integra mente*] Antequam deficientibus sensibus delitraveris. *Manut.*

2 *Coagmentavit*] Pro, conjunxit, sive, conglutinavit. *Erasm.*

3 *Nec sine causa deserendum sit*] Ultimam diem nec metuendam, nec optandam, nec temere arcessendam esse, sapientes, omnium sectarum sciverunt. Peccare, qui aut metu mortis, aut servitutis, aut paupertatis, aut alius mali, aut impatientia dolorum sibi mortem consciscant. Hoc ipsi Stoici, qui αὐτοχειρίας non improbabant, sentiebant. Causas tamen justas esse, propter quas sapiens deserat vitam, plerorumque Philosophorum quoque dogma est, etiam illorum, qui αὐτοχειρίας damnabant. Sic Catonem justam moriendi causam nactum esse Cicero lib. 1. Tusc. Quæst. ostendit: *Cato sic abiit e vita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans ille nobis Deus injussu hinc nos suo demigrare. Cum vero causam justam Deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, sæpe multis; ne ille medius fidius vir sapiens lætus ex his tenebris in lucem illam excesserit, nec tamen illa vincula carceris ruperit: leges enim vetant: sed, tanquam a magistratu, aut aliqua potestate legitima, sic a Deo evocatus, atque emissus exierit. Grav.*

4 *De præsidio, & statione*] His verbis intelligatur suum cujusque vitæ genus, atque officii munus, sive in Repub. sive in re privata. *Wolf.* Metaphora à re militari traducta.

5 *Negat velle suam mortem dolore amicorum vacare*] Sic legimus apud Plutarchum:

Μηδὲ μου ἀλλότριος θάνατος φίλοις, ἀλλὰ φίλιος
Πασάτω θυμὸν ἀλγεσι, & στοναχαῖς.

Quod Cicero lib. 1. Tusc. Quæst. sic vertit:

Mors mea ne careat lacrymis: linquamus amicis
Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu.

6 *Funera fletu faxit*] Novum est *facere funus*, pro, agere exequias. *Erasm.*

exiguum

exiguum tempus, præſertim ſeni: poſt mortem quidem [1] ſenſus aut optandus, aut nullus eſt. Sed hoc meditatum ab adoleſcentia debet eſſe, [2] mortem ut negligamus: ſine qua meditatione tranquillo eſſe animo nemo poteſt. moriendum enim certe eſt: & id incertum, an eo ipſo die. mortem igitur omnibus horis impendentem timens, qui poterit [3] animo conſiſtere? de qua non ita longa diſputatione opus eſſe videtur, cum recorder, non ſolum [4] Brutum, qui in liberanda patria eſt interfectus: non duo Decios, qui ad voluntariam mortem curſum equorum incitaverunt: non [5] M. Atilium, qui ad ſupplicium eſt profectus, ut fidem hoſti datam conſervaret: non duos Scipiones, qui iter Pœnis vel corporibus ſuis obſtruere voluerunt: non avum tuum L. Paulum, qui morte luit [6] collegæ in Cannenſi ignominia temeritatem: non M. Marcellum, cujus interitum ne [7] crudeliſſimus quidem hoſtis honore ſepulturæ carere paſſus eſt: ſed legiones noſtras (quod ſcripſi in Originibus) in eum ſæpe locum profectas alacri animo, & erecto, unde ſe nunquam rediturās arbitrarentur. Quod igitur adoleſcentes, & ii quidem non ſolum indocti, ſed etiam [8] ruſtici contemnunt, id docti ſenes extimeſcent? Omnino (ut mihi quidem videtur) ſtudiorum omnium ſatietas vitæ facit ſatietatem. Sunt puerilia [9] certa ſtudia. num igitur ea deſiderant adoleſcentes? ſunt & ineuntis adoleſcentiæ. num ea [10] conſtans jam requirit ætas, quæ media dicitur? ſunt etiam hujus ætatis. nec ea quidem quæruntur à ſenectute. ſunt extrema quædam

1 *Senſus aut optandus, aut nullus*] Quia aut vivit animus, aut moritur cum corpore. Si vivit, optandus eſt ſenſus; quia ad locum proficiſcitur, ubi ævo fruitur ſempiterno: ſi moritur, non eſt miſer, quia non ſentit dolorem poſt mortem. *Grav.*

2 *Mortem ut negligamus*] Hoc fiet, ſi conſideremus, quid mors ſit, & quod certa mors ſit, tempus vero mortis incertum. Hinc Pythagoras, aliique ſecuti eum Philoſophi dixerunt, Philoſophiam eſſe *meditationem mortis*. Non enim cujuſvis eſt, mortem æquo animo excipere. *Idem.*

3 *Animo conſiſtere*] Conſtanti, & tranquillo eſſe animo. *Wolf.*

4 *Brutum*] L. Junium Brutum, qui Tarquinium Superbum expulit, & ab Aruntе, Tyranni filio, occiſus eſt.

5 *M. Atilium*] Regulum, quem Carthaginienſes refectis palpebris vigilando necaverunt.

6 *Collegæ*] Terentii Varronis.

7 *Crudeliſſimus hoſtis*] Hannibal, & Carthaginienſes.

8 *Ruſtici*] Ex agris enim in militiam proficiſcebantur. *Manut.*

9 *Certa ſtudia*] Non tam occupationes, quam propenſiones animorum, & delectationes. *Wolf.*

10 *Conſtans ætas*] Cum nulla virium acceſſio expectatur, homoque firmiſſimus eſt. *Idem.*

ſtudia ſenectutis. ergo, ut ſuperiorum ætatum ſtudia occidunt, ſic [1] occidunt etiam ſenectutis. quod cum evenit, ſatietas vitæ tempus maturum mortis affert.

21. Equidem non video, cur, quid ipſe ſentiam de morte, non audeam [2] vobis dicere: quod eo melius mihi cernere videor, quo ab ea [3] propius abſum. Ego veſtros patres, P. Scipio, tuque, C. Læli, viros clariſſimos, mihique amiciſſimos, vivere arbitror: & eam quidem vitam, quæ eſt ſola vita nominanda. Nam, dum ſumus in his incluſi compagibus corporis, munere quodam neceſſitatis, & gravi opere perfungimur. eſt enim animus [4] cœleſtis ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus in terram, locum divinæ naturæ, æternitatique contrarium. Sed credo Deos immortales [5] ſparſiſſe animos in corpora [6] humana, ut eſſent, qui terras [7] tuerentur, quique, [8] cœleſtium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitæ modo, atque conſtantia. nec me ſolum ratio, ac [9] diſputatio impulit, ut ita crederem: ſed [10] nobilitas etiam ſummorum philoſophorum, & auctoritas. Audiebam Pythagoram, Pythagoreoſque, [11] incolas pene noſtros, qui eſſent Italici philoſophi quondam nominati, nunquam dubitaſſe, quin ex univerſa mente divina [12] delibatos animos haberemus. demonſtrabantur mihi præterea, quæ [13] Socrates ſupremo vitæ die de immortalitate animorum

1 *Occidunt*] Metaphora à cadente Sole.

2 *Vobis*] Adoleſcentibus generoſis, liberaliter inſtitutis, acutis, præclare de me ſentientibus, quique nihil in malam partem fitis accepturi. *Manut.*

3 *Propius abſum*] Pro, minus diſto. Sic locutus eſt Epiſt. 1. ad Atticum: *Illam manum tu mihi cura ut præſtes, quoniam tu propius abes, Pompeii noſtri.* Alibi: *Loca, quæ à Brundiſio propius abſunt, quam tu. Manut.*

4 *Cœleſtis*] Sic Lucretius:

--- *Cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi.*

5 *Sparſiſſe animos*] Id eſt, Diſtribuiſſe æthereas quaſdam particulas, & cœleſtes. *Wolf.*

6 *Humana*] Id eſt, Ex humo orta. *Idem.*

7 *Tuerentur*] Id eſt, Excolerent, & gubernarent. *Idem.*

8 *Cœleſtium ordinem contemplantes*] Idque faciendum olim præceperunt Pythagorei. Itaque Anaxagoras quærenti, quem in finem natus eſſet, reſpondit, *Ἐπ θεωρίαν ἥλιου, καὶ σελήνης, καὶ οὐρανοῦ. Grav.*

9 *Diſputatio*] Colloquium veritatis inquirendæ, & explicandæ, falſique refutandi cauſa inſtitutum. *Wolf.*

10 *Nobilitas ſummorum philoſophorum, & auctoritas*] Id eſt, Teſtimonia Philoſophorum, quos ſapientia ſua nobilitavit.

11 *Incolas pene noſtros*] Tenuerant enim Italiæ partem, quæ Magna Græcia vocabatur. *Manut.*

12 *Delibatos*] Decerptos, derivatos, infuſos. *Idem.* Id eſt, Noſtros animos quaſi guttam quandam, aut micam eſſe divinitatis. Unde Horatius mentem *divinæ particulam auræ* nominavit. *Wolf.*

13 *Socrates*] Apud Platonem in Phædone. *Manut.*

morum

morum differuiſſet, is, qui eſſet omnium ſapientiſſimus [1] oraculo Apollinis judicatus. Quid multa? ſic mihi perſuaſi, ſic ſentio, cum [2] tanta celeritas animorum ſit, tanta memoria præteritorum, futurorumque [3] prudentia, tot artes, tantæ ſcientiæ, tot inventa, non poſſe eam naturam, quæ res eas contineat, eſſe mortalem: cumque [4] ſemper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia ſe ipſe moveat, ne finem quidem habiturum eſſe motus, quia nunquam ſe ipſe ſit relicturus. &, [5] cum ſimplex animi natura eſſet, neque haberet in ſe quidquam admiſtum diſpar ſui, atque diſſimile, non poſſe eum dividi: quod ſi non poſſit, non poſſe interire: magnoque eſſe argumento, [6] homines ſcire pleraque ante, quam nati ſint, quod jam pueri, cum artes difficiles diſcant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum [7] accipere videantur, ſed [8] reminiſci, & recordari. Hæc [9] Plato noſter.

22. Apud Xenophontem autem moriens Cyrus major hæc dicit: Nolite arbitrari, ô mihi cariſſimi filii, me, cum à vobis diſceſſero, nuſquam, aut nullum fore. nec enim, dum eram vobiſcum, animum meum videbatis: ſed eum eſſe in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. eundem igitur eſſe creditote, etiam ſi nullum videbitis. Nec vero clarorum virorum poſt mortem honores permanerent, ſi nihil eorum ipſorum animi efficerent, quo diutius [10] memoriam ſui tuerentur. Mihi quidem nunquam perſuaderi potuit,

1 *Oraculo Apollinis*] Oraculi verba ſunt:

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφότερος δ' Εὐριπίδης,
Ἀνδρῶν δ' ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

2 *Tanta celeritas animorum*] Argumenta quatuor ad probandam animorum immortalitatem ex Platone ſumpta. *Manut.* Prima ratio, cur animus immortalis eſſe videatur, ſumitur ab ejus vi admirabili, atque effectibus. *Wolf.*

3 *Prudentia*] Quæ virtus nomen hoc à *providendo* nacta eſt, idemque cum *providentia* hoc loco ſignificat.

4 *Semper agitetur animus*] Argumentum ſecundum pro immortalitate animorum, à motu animi perpetuo ductum.

5 *Cum ſimplex*] Ratio tertia, quæ probat animum eſſe immortalem, ſumitur ex ejuſdem ſimplici ſubſtantia.

6 *Homines ſcire pleraque*] Quarta hæc ratio ducitur ex pueritiæ docilitate. Idem docet fuſius in Tuſc. 1. ex Menone, & Phædone Platonis.

7 *Accipere*] Id eſt, Edoceri à præceptore, & diſcere ante incognitas. *Wolf.*

8 *Reminiſci, & recordari*] Id eſt, Revocare in memoriam cognitas jam olim, & perceptas. *Idem.*

9 *Plato noſter*] Quia Platonem admirabatur, & magni faciebat. Sic ad Attic. *Deus ille noſter Plato in πολιτικῷ. Grav.*

10 *Memoriam ſui tuerentur*] Ob eorum merita. *Manut.* Nihil Ciceroni frequentius, quam *tueri*, pro, conſervare. *Grav.*

potuit, animos, dum in corporibus eſſent mortalibus, vivere: cum exiſſent ex iis, emori: nec vero tum animum eſſe [1] inſipientem, cum ex inſipienti corpore evaſiſſet: ſed cum, omni admixtione corporis liberatus, purus, & integer eſſe cœpiſſet, tum eſſe ſapientem. Atque etiam, cum hominis natura morte diſſolvitur, [2] cæterarum rerum perſpicuum eſt quo quæque diſcedant: abeunt enim illuc omnia, unde orta ſunt: animus autem ſolus, nec cum adeſt, nec cum diſcedit, apparet. Jam vero videtis, [3] nihil eſſe morti tam ſimile, quam ſomnum. Atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem ſuam: multa enim, [4] cum remiſſi, & liberi ſunt, futura proſpiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri ſint, cum ſe plane corporis vinculis relaxaverint. Quare, ſi hæc ita ſunt, [5] ſic me colitote, ut Deum. ſin una eſt interitura animus cum corpore, vos tamen Deos verentes, qui [6] hanc omnem pulchritudinem tuentur, & regunt, memoriam noſtri pie, inviolateque ſervabitis. Cyrus quidem hæc moriens. Nos (ſi placet) noſtra videamus.

23. Nemo unquam mihi, Scipio, perſuadebit, aut patrem tuum Paulum, aut duos avos, Paulum, & Africanum, aut [7] Africani patrem, aut patruum, aut multos præſtantes viros, quos enumerare non eſt neceſſe, tanta eſſe conatos, quæ ad poſteritatis memoriam pertinerent, niſi animo cernerent, po-

1 *Inſipientem*] Senſus expertem.

2 *Caterarum rerum*] Pro, Ex cæteris rebus: vel, quoad res cæteras.

3 *Nihil eſſe morti tam ſimile, quam ſomnum*] Ovid. lib. 2. Amorum:

Stulte, quid eſt ſomnus, gelida niſi mortis imago?

Gorgias extrema ætate, cum in ſomnum ſe delabi animadverteret, *Somnus*, inquit, *fratri ſuo me traditurus eſt. Manut.*

4 *Cum remiſſi, & liberi ſunt*] Id eſt, Cum quam minimum commercii cum corporibus ſuis habent. *Wolf.*

5 *Sic me colitote, ut Deum*] Sapientiſſimus rex Cyrus, poſtquam multa cum filiis ſuis de regni adminiſtratione egiſſet, eos ad perpetuam inter ſe pacem, concordiamque cohortatus, tandem eos rogat, uti vel animum ipſius, tanquam immortalem, reveriti ea omnia, quæ admonuerat, obſervarent; &, ut ad ſe, etiam vita functum, eam rem pertinere oſtenderet, animorum immortalitatem ipſis conatur perſuadere. Αἰδεῖσθαι autem, quo verbo uſus eſt ibi Xenophon, *venerari* eſt, & *honore afficere*. Quis autem Cyro tribuat tam barbaram de ſe opinionem, ut ſe velit pro Deo coli, atque eo loco eſſe, quo qui hominibus ſumma omnia dare poteſt? Sed hic ita Cicero locutus eſt, ut in ſomnio Scipionis: *Deum te igitur ſcito eſſe*, hoc eſt, immortalem. *Lang.* Verba Cyri ſunt: Τὸν ἐμὸν ψυχὸν κατανοῆσαι μὲν οὐκέτι, ἃ δὲ ἐγὼ ἔφην. *Vos animam meam colentes facite, qua rego.* Ii autem liberi parentis animam colunt, qui ipſius præceptis ſedulo obſequuntur.

6 *Hanc omnem pulchritudinem*] Mundum univerſum. *Manut.*

7 *Africani patrem, aut patruum*] Uterque periit in Hiſpania. *Idem.*

ſteritatem

ſteritatem ad ſe pertinere. An cenſes (ut de me ipſo aliquid more ſenum glorier) me tantos labores diurnos, nocturnoſque domi, militiæque ſuſcepturum fuiſſe, ſi iiſdem finibus gloriam meam, quibus vitam eſſem terminaturus? nonne melius multo fuiſſet, otioſam ætatem, & quietam ſine ullo labore, & contentione traducere? ſed neſcio quomodo animus erigens ſe poſteritatem ſemper ita proſpiciebat, quaſi, cum exceſſiſſet è vita, tum denique victurus eſſet. quod quidem ni ita ſe haberet, ut animi immortales eſſent, haud optimi cujuſque animus maxime ad immortalitatis gloriam niteretur. Quid, quod ſapientiſſimus quiſque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo? Nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat, & longius, videre ſe ad meliora proficiſci: ille autem, cui obtuſior ſit acies, non videre? Equidem efferor ſtudio patres veſtros, quos colui, & dilexi, videndi; neque vero eos ſolos convenire aveo, quos ipſe cognovi; ſed illos etiam, de quibus audivi, & legi, & ipſe conſcripſi. Quo quidem me proficiſcentem haud ſane quis facile retraxerit, [1] neque, tanquam Peliam, recoxerit. Quod ſi quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repueraſcam, & in cunis vagiam, valde recuſem: nec vero velim, quaſi decurſo ſpatio, ad carceres à calce revocari. [2] quid enim habet vita commodi? [3] quid non potius laboris? ſed habeat ſane. habet certe tamen aut ſatietatem, aut [4] modum. non lubet enim mihi deplorare vitam, quod multi, & il docti ſæpe fecerunt. neque me vixiſſe pœnitet; quoniam ita vixi,

1 *Neque, tanquam Peliam, recoxerit*] Hoc vult Cato dicere: Non facile paſſurum ſe, ubi de vita migrandum ſit, ut eum quiſquam de via reducat, etiamſi juventutem reddere poſſit. *Tanquam* pro, quemadmodum, frequens eſt. Ergo *tanquam Peliam* eſt, quemadmodum Pelias fuit recoctus. Fabulam refert Diodorus lib. 4. Non admodum diverſa eſt de Æſone, Jaſonis patre, quem Medea decoctum juventuti reddidit. *Lang.* Pelias fuit Æſonis frater, quem medicatis aquis decoctum interfeciſſe Medeam, dum integræ ætati ſe reſtituram ſimulavit, fingunt poetæ.

2 *Quid habet vita commodi*] Sic Virgilius:

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus,
Et labor, & dura rapit inclementia mortis.

3 *Quid non laboris*] Unde Homerus:

Οὐδὲν ἀνιηρότερον γαίης τέρας ἀνθρώπου
Πάντων, ὅσσά τε γαῖαν ἐπιπνείει τε, καὶ ἕρπει.

4 *Modum*] Id eſt, Certum quaſi limitem, & terminum, ultra quem progrediendum non ſit. *Wolf.*

ut

ut non fruſtra me natum exiſtimem: & ex vita ita [1] diſcedo, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo. [2] commorandi enim natura diverſorium nobis, [3] non habitandi dedit. O præclarum diem, cum ad illud divinum animorum concilium, cœtumque proficiſcar, cumque ex hac turba, & [4] colluvione diſcedam! proficiſcar enim non ad eos ſolum viros, de quibus ante dixi; ſed etiam ad [5] Catonem meum, quo nemo vir melior natus eſt, nemo pietate præſtantior: cujus à me corpus crematum eſt: [6] quod contra decuit ab illo meum. [7] animus vero non me deſerens, ſed reſpectans, in ea profecto loca diſceſſit, quo mihi ipſi cernebat eſſe veniendum. quem ego meum caſum fortiter ferre viſus ſum: non quod æquo animo ferrem: ſed me ipſe conſolabar, exiſtimans, non longinquum inter nos digreſſum, & diſceſſum fore. His mihi rebus, Scipio (id enim te cum Lælio admirari ſolere dixiſti) levis eſt ſenectus, nec ſolum non moleſta, ſed etiam [8] jucunda. quod ſi in hoc erro, quod animos hominum immortales eſſe credam, [9] lubenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo. ſin mortuus (ut quidam [10] minuti philoſophi cenſent) nihil ſentiam, non vereor, ne hunc errorem meum mortui philoſophi irrideant. quod ſi non ſumus immortales futuri, tamen extingui homini ſuo tempore optabile eſt. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, ſic vivendi modum.

1 *Diſcedo*] Ultro, & volens abeo, non vi expulſus, aut extractus. *Idem.*

2 *Commorandi*] Pauliſper morandi, & recreandi gratia.

3 *Non habitandi*] Cum Natura nobis dederit uſuram vitæ, quaſi diverſorium, cur velimus eſſe perpetuum, quod ad tempus datum eſt? Commoramur enim, non habitamus in diverſoriis. *Manut.*

4 *Colluvione*] Cloacæ, & ſentinæ promiſcuam hominum multitudinem comparat, quæ ſit omnibus vitiorum ſordibus inquinata. *Wolf.*

5 *Catonem meum*] Filium, optimum adoleſcentem, qui periit, dum bellum Reip. cauſa geretet. Vide Plutarchum in vita Catonis.

6 *Quod contra decuit ab illo meum*] Pro, Cum contra deceret ab illo meum. Sic locutus in Lælio: *Peccaſſe ſe non anguntur: objurgari moleſte ferunt: quod contra oportebat deliſto dolere, objurgatione gaudere. Manut.* Natura enim ita fert, ut juvenes ſuperſint, ſenes decedant: quod hic neglectum fuiſſe queritur Cato. *Wolf.*

7 *Animus*] Catonis filii è vita diſcedentis. *Manut.*

8 *Jucunda*] Propter conſcientiam rectè factorum, bene actæ vitæ, & immortalitatis ſpem. *Idem.*

9 *Lubenter erro*] Sic alibi dicit Cicero, Se cum Platone errare malle, quam cum aliis rectè ſentire.

10 *Minuti philoſophi*] Cyrenaici, Epicurei, minorum gentium. *Manut.*

Senectus

Senectus autem peractio ætatis est, [1] tanquam fabulæ: cujus defatigationem fugere debemus, præsertim adjuncta satietate. Hæc habui, de senectute quæ dicerem: ad quam utinam perveniatis! ut ea, quæ ex me audistis, re experti probare possitis.

1 *Tanquam fabulæ*] Plurimi sane Philosophi vitam fabulæ comparârunt. Hinc Mimum vitæ suæ bene transegisse lætatur Augustus. Ad hanc rem pulcherrime loquitur M. Antoninus in fine lib. 12. *vide ibi doctiss. Gravium.*

M. T. CICERONIS
LÆLIUS,
SIVE
De AMICITIA Dialogus.
Ad T. POMPONIUM [1] Atticum.

1. QUintus [2] Mucius [3] augur multa narrare de C. Lælio, [4] ſocero ſuo, memoriter, & jucunde ſolebat, nec dubitare illum [5] in omni ſermone [6] appellare ſapientem. Ego autem à patre ita eram [7] deductus ad Scævolam, [8] ſumpta virili toga, ut, [9] quoad poſſem, & lice-

1 *Atticum*] Vide Not. 2. libri præcedentis.

2 *Q. Mucius*] Cicero hoc totum exordium ex Platonis exordio, quod præfixit Theæteto, imitatus eſt, quod conferentibus non poteſt eſſe obſcurum. *Grav.*

3 *Augur*] Vox facta videtur ab avium garritu. Augurum enim collegium religioni præfuit; imprimis vero divinationi, quæ ex avium ſive volatu, ſive garritu petebatur. *Wolf.*

4 *Socero ſuo*] Duxerat enim ejus filiam Læliam, de qua Fabius, & Cicero multis locis. Eam patris tinctam elegantia fuiſſe Cicero eſt auctor. Hæc fuit ſocrus Craſſi oratoris, reddidiſſeque fertur paternam eloquentiam in dicendo elegantiorem, ut ait Fabius. *Grav.*

5 *In omni ſermone*] Id eſt, Quotieſcunque mentio ejus incidiſſet. *Manut.*

6 *Appellare ſapientem*] Sapiens Lælius habitus eſt, quod, videns ſe res novas ſine turbatione Reip. moliri non poſſe, ab incœpto deſtiterit. Plutarchus in Gracchis. De ejus ſapientia lib. 2. de Offic. *Idem.*

7 *Deductus ad Scævolam*] Id eſt, Tutelæ, conſilio, atque auctoritati Scævolæ commendatus. In quo ſenſu Tacitus Dialog. de Oratoribus: *Apud majores noſtros juvenis ille, qui foro, & eloquentiæ parabatur, imbutus jam domeſtica diſciplina, refertus honeſtis ſtudiis, deducebatur à patre, vel propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat.*

8 *Sumpta virili toga*] Quæ ſumebatur in Jovis Capitolini templo. Val. Max. lib. 5. *Manut.* Virilis autem toga ſumi ſolebat anno ætatis decimo ſexto, vel circiter: idque fiebat ſolenniter, ut admonerentur adoleſcentes, pueriles nugas, atque ineptias eſſe relinquendas; utque ipſius veſtis pudore modeſtiores, & graviores ſe præberent. *Wolf.*

9 *Quoad poſſem, & liceret*] Per mea negotia,

ret, à ſenis latere nunquam diſcederem. Itaque multa ab eo prudenter diſputata, multa etiam [1] breviter, & [2] commode dicta memoriæ mandabam: fierique ſtudebam [3] ejus prudentia doctior. Quo mortuo, me ad [4] pontificem Scævolam contuli, quem unum noſtræ civitatis & ingenio, & juſtitia præſtantiſſimum audeo dicere. Sed de hoc alias: nunc redeo ad augurem. Cum ſæpe multa, tum memini, domi in [5] hemicyclio ſedentem, [6] ut ſolebat, cum & ego eſſem una, & pauci admodum familiares, in eum ſermonem illum incidere, qui [7] tum fere omnibus erat in ore. meminiſti enim, Attice, & eo magis, quod [8] P. Sulpicio [9] utebare multum, cum is tribunus plebis capitali odio à Q. Pompeio, qui tum erat conſul, diſſideret, quocum conjunctiſſime, & amantiſſime vixerat, quanta hominum eſſet vel [10] admiratio, vel [11] querela. Itaque tum Scævola, cum in eam ipſam mentionem incidiſſet, expoſuit nobis ſermonem Lælii de amicitia, habitum ab illo ſecum, & cum altero genero C. Fannio, M. filio, paucis diebus poſt mortem Africani. Ejus diſputa-

negotia, & per illius occupationes. *Manut.*

1 *Breviter dicta*] Græcis Ἀνεφωνημένα. *Idem.*

2 *Commode*] In loco. *Idem.*

3 *Ejus prudentia*] Omni eum prudentiæ genere præſtitiſſe, in lib. de claris Orat. ſcriptum eſt. *Idem.*

4 *Pontificem Scævolam*] Fuit is Juriſconſultus, Pontifex maximus, & conſul anno U. C. 658. Vide lib. 1. de Offic. cap. 32. & lib. 3. cap. 2. *Grav.*

5 *Hemicyclio*] Cathedra in modum dimidii circuli. *Eraſm. Hemicyclia* dicebantur menſæ ſemicirculares, aut etiam ſedes ſemirotundæ, plurium ſellarum capaces, in quibus ſolebant ſedere confabulantes. *Grav.*

6 *Ut ſolebat*] Vel propter ſeneſtutem; vel propter conſultores de jure ſciſcitantes. Ea enim fuit auctoritate Scævola, ut domus ejus oraculum haberetur totius civitatis. *Wolf.*

7 *Tum fere omnibus erat in ore*] De diſſidio ſcilicet clariſſimorum virorum, de quibus ſubinde loquimur.

8 P. *Sulpicio*] Intelligit Sulpicium Rufum, qui & eloquentiſſimus orator, & homo ſeditioſiſſimus fuiſſe perhibetur. Demum interfectus eſt, ut & Q. Pompeius. *Wolf.*

9 *Utebare multum*] Pro, Multum fuiſti familiaris. Satis nove dictum eſt. Nam uſitatius, *multus mihi cum illo uſus fuit. Eraſm.* Cicero in Bruto: *Audiebam ſæpe ego C. Rutilio, quo utebatur propter ſimilitudinem Scævola noſtri.* Idem ad Memmium: *C. Aviano Evandro, qui habitat in tua ſacturla, & ipſo multum utor, & ejus patrono familiariſſime.* Quid ergo hic Eraſmus hoc ſatis nove dictum ait, cum Cicero, & alii auctores ſæpiſſime ſic utantur? *Roger.* De amicitia, quæ Attico interceſſit cum P. Sulpicio, vide C. Nepotem in Attici vita cap. 2. *Grav.*

10 *Admiratio*] Ob novitatem rei, quod ſcilicet, præter omnium expectationem, ſummus amor in ſummum odium converſus eſſet. *Wolf.* Quod inter eos tantum odii interceſſerat, inter quos putabatur vera amicitia. *Roger.*

11 *Querela*] Ob damnum, & periculum, in quo Reſpub. ob eorum odia verſabatur. *Manut.* Propter mala, quæ ex illo odio in Remp. derivabantur. *Grav.*

tionis ſententias memoriæ mandavi, quas hoc libro expoſui meo arbitratu. [1] quaſi enim ipſos induxi loquentes, ne, Inquam, &, Inquit, ſæpius interponerentur: atque ut, tanquam à præſentibus, coram haberi ſermo videretur. Cum enim ſæpe mecum ageres, ut de amicitia ſcriberem aliquid, digna mihi res cum omnium cognitione, tum noſtra familiaritate viſa eſt. Itaque feci non invitus, ut [2] prodeſſem multis tuo rogatu. Sed, ut in Catone Majore, qui eſt ſcriptus ad te de ſenectute, Catonem induxi ſenem diſputantem, quia nulla videbatur aptior perſona, quæ de illa ætate loqueretur, quam ejus, qui & [3] diutiſſime ſenex fuiſſet, & in ipſa ſenectute præ cæteris floruiſſet: ſic, cum accepiſſemus à patribus maxime [4] memorabilem C. Lælii, & P. Scipionis familiaritatem fuiſſe, idonea mihi Lælii perſona viſa eſt, quæ de amicitia ea ipſa diſſereret, quæ diſputata ab eo meminiſſet Scævola. Genus autem hoc ſermonum, poſitum in hominum veterum auctoritate, & eorum illuſtrium, plus, neſcio quo pacto, videtur habere gravitatis. Itaque ipſe, mea legens, ſic afficior interdum, ut Catonem, non me loqui exiſtimem. Sed ut tum ad ſenem ſenex de ſenectute, ſic hoc libro ad amicum amiciſſimus de amicitia ſcripſi. Tum eſt Cato locutus, quo erat nemo fere ſenior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Lælius & ſapiens (ſic enim eſt habitus) & amicitiæ gloria excellens, de amicitia loquitur. Tu velim animum à me parumper avertas, Lælium loqui ipſum putes. C. Fannius, & Q. Mucius ad ſocerum veniunt [5] poſt mortem Africani. ab his ſermo oritur: reſpondet Lælius: cujus tota diſputatio eſt de amicitia, [6] quam legens tu te ipſe cognoſces.

1 *Quaſi*] Quod revera non loquerentur, cum eſſent mortui. *Manut.*

2 *Prodeſſem multis*] Nihil enim utilius, quam ea cognoſcere, quæ tum ad inſtituendam, tum ad conſervandam amicitiam pertinent. *Idem.*

3 *Diutiſſime ſenex*] Vixit enim annos octoginta quinque. *Grav.*

4 *Memorabilem C. Lælii, & P. Scipionis familiaritatem*] Horat. lib. 2. Sat. 1. de Lucilio:

Virtus Scipiada, & mitis ſapientia Lali
Nugari cum illo, & diſcinctî ludere, donec
Decoqueretur olus, ſoliti.

5 *Poſt mortem Africani*] Minoris. Quem à propinquis occiſum eſſe ſuſpicio fuit. *Manut.*

6 *Quam legens tu te ipſe cognoſces*] Ait perſpecturum Atticum in hac veri amici Idea ſe ipſum, & tanquam exemplar quoddam intuiturum ſui. *Gruter.*

2. *Fannius.* [1] Sunt iſta, Læli. nec enim [2] melior vir fuit Africano quiſquam, nec [3] clarior. ſed exiſtimare debes, [4] omnium oculos in te eſſe conjectos: unum te ſapientem & appellant, & exiſtimant. tribuebatur hoc modo M. Catoni. ſcimus L. Atilium apud patres noſtros appellatum eſſe ſapientem. ſed uterque alio quodam modo: Atilius, quia prudens eſſe in jure civili putabatur: Cato, quia multarum rerum uſum habebat: multa ejus & in ſenatu, & in foro vel [5] proviſa prudenter, vel [6] acta conſtanter, vel [7] reſponſa acute ferebantur. propterea [8] quaſi cognomen jam habebat in ſenectute ſapientis. te autem alio quodam modo, non ſolum [9] natura, & moribus, verum etiam [10] ſtudio, & doctrina eſſe ſapientem: nec [11] ſicut vulgus, ſed ut eruditi ſolent appellare ſapientem, [12] qualem in tota Græcia neminem. nam qui ſeptem appellantur, eos, [13] qui iſta ſubtilius quærunt, in numero ſapientium non habent. [14] Athenis unum accepimus, & eum quidem etiam Apollinis oraculo ſapientiſſimum judicatum. [15] hanc eſſe in te ſapientiam exiſtimant, ut [16] omnia

1 *Sunt iſta*] Verbum *eſt* aſſerendi vim habere, nemo Latine doctus ignorat. Quo modo locutus eſt lib. 1. Academic. Quæſt. *Tunc ego, Sunt, inquam, iſta, Varro.* Plautus in Pſeudolo: *Quanto ſatius eſt adire blandis verbis, atque exquirere, ſint illa, necne ſint, quæ tibi renuntiant!* Lang. Plato multis in libris: Ἔστι ταῦτα. *Manut.* Exordium ex abrupto, more Comicorum. Probabile enim videtur inter colloquendum dixiſſe Lælium, Romanam Remp. magnam jacturam feciſſe, amiſſo Scipione. Cujus veritati annuens reſpondet Fannius, *Sunt iſta.*

2 *Melior*] Virtute præſtantior. *Manut.*

3 *Clarior*] Rebus geſtis illuſtrior. *Idem.*

4 *Omnium oculos in te conjectos*] Ut Rempublicam defendas. *Idem.*

5 *Proviſa prudenter*] Ne vel rei cauſa caderent, vel Reſp. aliquid detrimenti caperet. *Wolf.*

6 *Acta conſtanter*] Cum invidiæ non cederet, neque periculis ab honeſta ſententia depelleretur. *Manut.*

7 *Reſponſa acute*] Ingenioſe, & ad rem propoſitam accommodate. *Wolf.*

8 *Quaſi cognomen ſapientis*] Ut ſemper Cato Sapiens diceretur. Vel, ut, ſi quis *ſapiens* diceret, Catonem intelligeret κατ' ἐξοχήν. *Manut.*

9 *Natura, & moribus*] Ingenii bonitate, & quotidiana vitæ conſuetudine. *Idem.*

10 *Studio, & doctrina*] Θεωρίᾳ. καὶ λόγῳ. *Wolf.*

11 *Sicut vulgus*] Quod calliditatem, & oſtentationem pro ſapientia celebrat. *Manut.*

12 *Qualem in tota Græcia neminem*] Nam, quamvis Platoni, aliiſque ſæpe Homerus, Sappho, Anacreon, dicantur σοφοί, nulli tamen conſenſu totius populi hoc nomen peculiariter fuit datum, uti Lælio apud Romanos, aut nomen Juſti Ariſtidi apud Græcos. *Grav.*

13 *Qui iſta ſubtilius quærunt*] Stoici intelliguntur, qui eam fingunt ſapientiæ Ideam, quæ inter homines non reperitur. *Wolf.*

14 *Athenis unum accepimus*] Unicum audivimus Socratem juxta Stoicorum normam ſapientem extitiſſe.

15 *Hanc*] Scilicet Socraticam. *Wolf.*

16 *Ut omnia tua in te poſita ducas*] Deſpicientiam rerum humanarum ſignificat. Ut nihil admireris, præter virtutem:

tua in te poſita ducas, [1] humanoſque caſus virtute inferiores putes. itaque ex me quærunt, credo item ex te, Scævola, quonam pacto mortem Africani feras: eoque magis, quod his proximis [2] Nonis, cum in hortos [3] D. Bruti auguris, [4] commentandi cauſa, ut aſſolet, veniſſemus, tu non adfuiſti; qui diligentiſſime ſemper illum diem, & illud munus ſolitus eſſes obire. *Scævola.* Quærunt quidem, C. Læli, multi, ut eſt à Fannio dictum: ſed ego id reſpondeo, quod animadverti, te dolorem, quem acceperis cum ſummi viri, tum amiciſſimi morte, ferre moderate: nec potuiſſe non commoveri, nec fuiſſe id humanitatis tuæ. quod autem his Nonis in noſtro collegio non adfuiſſes, [5] invaletudinem cauſæ, non mœſtitiam fuiſſe. *Læl.* Recte tu quidem, Scævola, & vere. nec enim ab iſto officio, quod ſemper [6] uſurpavi, cum valerem, abduci incommodo meo debui: nec [7] ullo caſu arbitror hoc [8] conſtanti homini poſſe contingere, [9] ut ulla intermiſſio fiat officii. Tu autem, Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego [10] nec agnoſco, [11] nec poſtulo, [12] facis amice: ſed, ut mihi videris, non recte judicas de Catone: nihil tuum eſſe putes, præter animi bona. *Manut.*

1 *Humanos caſus virtute inferiores putes*] Id eſt, Ut in ſummis difficultatibus, periculis, atque ærumnis, ſemper animi conſtantiam retineas. *Wolf.*

2 *Nonis*] Cicero lib. 1. de divinatione ait, Augures Romæ commentandi, atque inter ſe colloquendi cauſa Nonis quondam congregari ſolitos. *Reger.*

3 *D. Bruti*] Videtur fuiſſe D. Brutus Callaicus, à Gallæcis in Hiſpania victis cognominatus. Triumphavit enim è Gallæcia, & Luſitania. *Grav.*

4 *Commentandi cauſa*] Ut de rebus ad noſtram diſciplinam, id eſt, ad augurandi ſcientiam pertinentibus loqueremur. *Wolf.*

5 *Invaletudinem cauſa*] Conſtructio frequens apud Ciceronem noſtrum. Philipp. 8. *Cui legatio ipſa morti fuiſſet.* De Oratore lib. 2. *Cum ille ſe cuſtodia in caſtris diceret remanſiſſe.* Ad Attic. 9. *Cum ejus ſaluti, qui mihi fuerat, fuiſſet.* Sic Varro de re ruſtica lib. 3. *Hic ſenus harum fuga ſolet eſſe.*

6 *Uſurpavi*] Pro, Obire ſolitus ſum. Nam hoc verbum conſuetudinem ſignificat. Sic lib. 2. de Offic. *C. Lælius, ut, qui ſapiens uſurpatur.* *Manut.*

7 *Ullo caſu*] Loquitur hic non de externa vi, qua corpus impeditur, ſed de animi perturbatione. *Wolf.*

8 *Conſtanti*] Juſto, & tenaci propoſiti viro, ut loquitur Horatius. *Idem.*

9 *Ut ulla intermiſſio*] Hoc eſt, Ut ullus dolor tantus ſit, qui officium impediat. *Gruter. Intermiſſio* eſt vacatio ab aliquo munere per aliquod tempus. Sic alibi noſter: *Nec ulla alia fuit cauſa intermiſſionis epiſtolarum*, id eſt, vacationis à ſcribendo.

10 *Nec agnoſco*] Scilicet tantum in me eſſe ſapientiam. *Wolf.*

11 *Nec poſtulo*] Eſſem enim arrogans, ſi plus mihi tribui vellem, quam mererer. *Idem.*

12 *Facis amice*] Qui hoc amori potius des, quam judicium ſequare. *Manut.*

tone.

tone. [1] aut enim nemo (quod quidem magis credo) [2] aut, ſi quiſquam, ille ſapiens fuit. Quomodo enim (ut alia omittam) mortem filii tulit? memineram [3] Paulum, videram [4] Gallum: ſed [5] hî in pueris; Cato in perfecto, & ſpectato viro. Quamobrem cave Catoni anteponas ne iſtum quidem, ipſum, quem Apollo, ut ais, ſapientiſſimum judicavit. hujus enim facta, illius dicta laudantur. De me autem ([6] ut jam cum utroque loquar) ſic habetote.

3. Ego, ſi Scipionis deſiderio me moveri negem, quam id recte faciam, [7] viderint ſapientes; ſed certe mentiar. [8] moveor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo unquam erit: &, ut confirmare poſſum, nemo certe fuit. ſed [9] non egeo medicina: me ipſe conſolor, & maxime illo ſolatio, quod eo errore careo, quo amicorum deceſſu plerique angi ſolent. nihil enim mali accidiſſe [10] Scipioni puto. mihi accidit, ſi quid accidit. ſuis autem incommodis graviter an-

1 *Aut enim nemo*] Hoc ex ſententia Stoicorum. *Idem.*

2 *Aut, ſi quiſquam*] Hoc ex communi doctorum judicio. *Idem.*

3 *Paulum*] Æmilium, quatuor filiis orbatum, duobus in Corneliam familiam adoptatis, duobus morte extinctis. *Idem.* L. Paulus Æmilius Macedonicus cum duos filios haberet prætextatos, eos amiſit: unum, paucis diebus ante, quam de Perſe triumphavit, alterum pluribus poſt. Refert Livius lib. 45. & idem eorum mortem quanto animo tulerit. *Lamb.*

4 *Gallum*] C. Sulpicius Gallus, vir conſularis, & triumphalis, filio privatus eſt: ut hic indicat, & lib. 4. epiſtolarum ad Ser. Sulpicium: *Q. Maximus, qui filium conſularem, clarum virum, & magnis rebus geſtis, amiſit; & Lucius Paulus, qui duos ſeptem diebus; & noſter Gallus, & M. Cato, qui ſummo ingenio, ſummâ virtute filium perdidit.* Hic eſt Gallus, quem lib. 1. de Offic. Aſtrologiæ ſtudioſum tradidit. *Lamb.*

5 *Hi in pueris; Cato in perfecto*] Lælius Paulum, & Gallum hoc æquiore animo tuliſſe mortem filiorum interpretatur, quod etiamnum pueri eſſent, & ad Remp. capeſſendam nondum utiles. Cato autem filium perdidit jam prætorem deſignatum, & maxima ſpe; cum etiam nobiliſſimi, & fortiſſimi viri, Pauli Macedonici filiam uxorem duxiſſet; in ipſo videlicet limine honorum. *Lamb.* Hi, inquit, quos commemoravi, L. Paulus Macedonicus, & C. Sulpicius Gallus, amiſerunt filios prætextatos, & puerorum mortem moderate tulerunt; vel, in puerorum morte moderate ferenda moderatos ſe præbuerunt: Cato vero in perfecto viro, & prætore deſignato mortuo moderatus fuit. Quod longe majus, admirabilius, & laudabilius eſt. *Lambin.*

6 *Ut jam cum utroque loquar*] Supra enim ſolum Scævolam allocutus fuit. *Molf.*

7 *Viderint ſapientes*] Eſt enim controverſia, utrum nihil omnino dolendum. *Idem.*

8 *Moveor enim*] Imitatio Platonis, apud quem Phædo, ubi venenum hauſerat, à lacrymis abſtinere non poterat, non Socratem, ſed fortunam ſuam deplorans, qui tali amico eſſet orbatus. *Reger.*

9 *Non egeo medicina*] Qui Philoſophus ſim. Num *Philoſophia expetatur animis, inanes ſollicitudines detrahit*, ut ait Cicero lib. 2. Tuſc. Quæſt. *Manut.*

10 *Scipioni*] Cum emphaſi quadam dictum. Quaſi dicat, Viro tam præſtanti virtute, & dignitate. *Idem.*

gi,

gi, non amicum, ſed ſeipſum amantis eſt. Cum illo vero quis neget [1] actum eſſe præclare? niſi enim (quod ille [2] minime putabat) [3] immortalitatem optare vellet, quid non eſt adeptus, quod homini fas eſſet optare? qui ſummam ſpem civium, quam de eo jam puero habuerant, continuo adoleſcens incredibili virtute ſuperavit. qui conſulatum petivit nunquam, factus eſt conſul bis, primum [4] ante tempus, [5] iterum [6] ſibi ſuo tempore, [7] reip. pene ſero: qui, [8] duabus urbibus everſis, inimiciſſimis huic imperio, non modo præſentia, verum etiam futura bella delevit. Quid dicam de moribus facillimis? de [9] pietate in matrem? [10] liberalitate in ſorores? [11] bonitate in ſuos? [12] juſtitia in omnes? nota ſunt vobis: quam

1 *Actum eſſe præclare*] Id eſt, Bene illi eveniſſe, fortunatum, & felicem eum fuiſſe. *Wolf.*

2 *Minime putabat*] Id eſt, Minime optandum eſſe, quod hujuſmodi votum Dei, & Naturæ ordini repugnaret. *Idem.*

3 *Immortalitatem optare vellet*] Scilicet corporis, aut terrenæ hujus vitæ durationem perpetuam. *Idem. Immortalitas* hic conſecrationem ſignificat, qualis Romuli, & poſtea Cæſarum. Nam animorum immortalitatem ubique Cicero adſtruit. *Lang.* Non ſcopum ferit Langius. *Immortalitatem optare vellet* nihil aliud eſt, quam *immortalitatem optandam putaret.* Sententia eſt liquida. Quia Scipio natus mortalis erat, non putabat fas eſſe immortalitatem in corpore hoc mortali optare; quia id ſtultum fuiſſet, cum ſciret, quicunque natus homo eſſet, deberi morti. Itaque non loquitur de conſecratione, non de immortalitate animi, ſed corporis. Omnia conſecutus erat Scipio, quæ homo poterat optare: nec quicquam magis poterat optare, quam immortalitatem in hac vita beata, in qua omnia ei ex ſententia provenerant. Sed hoc optare eſt hominis fatui. Hoc enim repugnat naturæ humanæ. *Grav.*

4 *Ante tempus*] Lege vel præſtanti virtuti, vel Reip. temporibus id concedente. *Wolf.* Nam curulem magiſtratum ante annum tricesimum ſextum ætatis gerere lege non licuit; & gradatim magiſtratus petebantur, eratque neceſſe biennium inter ſingulos intercedere. *Lang.*

5 *Iterum*] Contracta per Mancini fœdus gravi populo Romano ignominia. *Lang.*

6 *Sibi ſuo tempore*] Hoc eſt, Sine ullo privilegio, interjectis plus duodecim annis à priore conſulatu. Nam cautum lege Cornelia erat, ne quis eundem magiſtratum ante annos decem caperet. De quo Livius lib. 7. *Lang.*

7 *Reip. pene ſero*] Propter Numantinum dedecus. *Lang.* Ortis jam ſeditionibus tribuniciis, quæ Remp. pene perdiderunt. Quod interpretes non ſunt aſſecuti; qui retulerunt ad Numantinum dedecus; in quo certe Reſp. non periclitabatur, ut in rogationibus tribuniciis. *Manut.*

8 *Duabus urbibus*] Carthagine, & Numantia. *Idem.*

9 *Pietate in matrem*] Papiriam, à patre ob latentem cauſam repudiatam. *Idem.*

10 *Liberalitate in ſorores*] Quarum tenuitatem univerſa matris hæreditate ſublevavit, cujus nulla pars per leges ad eas pertinebat.

11 *Bonitate in ſuos*] Lenitate, & facilitate in amicos, & propinquos. *Wolf.* Hujus bonitatis in Scipionis Africani majoris filias, patris adoptivi ſorores, ut & in Fabium fratrem exempla perpulchra, & Scipione digniſſima vide Polyb. excerpt. Peireſc. lib. 31. *Grav.*

12 *Juſtitia*] Maſiniſſæ avunculum reſtituit. Gracchum, etſi propinquum, jure cæſum pronuntiavit. *Manut.*

autem

autem civitati carus fuerit, mœrore funeris indicatum eſt. Quid igitur hunc [1] paucorum annorum acceſſio juvare potuiſſet? ſenectus enim, quamvis non ſit gravis, ut memini Catonem anno ante, quam mortuus eſt, mecum, & cum Scipione diſſerere, tamen aufert eam [2] viriditatem, in qua etiam tunc erat Scipio. Quamobrem vita quidem talis fuit, vel fortuna, vel gloria, ut nihil poſſet accedere. moriendi autem ſenſum [3] celeritas abſtulit.[4] quo de genere mortis difficile dictu eſt! [5] quid homines ſuſpicentur, videtis. Hoc tamen vere licet dicere, P. Scipioni, ex multis diebus, quos in vita celeberrimos, lætiſſimoſque viderit, illum diem clariſſimum fuiſſe, quo, [6] ſenato dimiſſo, domum reductus ad veſperum eſt à patribus conſcriptis, a populi Romani [7] ſociis, & Latinis, pridie quam exceſſit è vita: ut ex tam alto dignitatis gradu ad [8] ſuperos videatur Deos potius, quam ad inferos perveniſſe. neque enim aſſentior [9] iis, qui hæc nuper diſſerere cœperunt, cum corporibus ſimul animos interire, atque omnia morte deleri.

4. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel noſtrorum majorum, qui mortuis tam [10] religioſa jura tribuerunt:

1 *Paucorum annorum*] Mortuus eſt anno ætatis quinquageſimo ſexto. *Grav.*

2 *Viriditatem*] Vigorem appellat *viriditatem*: nam langueſcit vigor in his, quæ marceſcunt. *Eraſm.*

3 *Celeritas*] Hinc Cæſar interrogatus, quodnam mortis genus optimum judicaret, reſpondit, Inopinatum. *Manut.*

4 *Quo de genere mortis difficile dictu*] Id eſt, Incertum eſt, quo caſu, aut quali morbo extinctus eſt Scipio.

5 *Quid homines ſuſpicentur, videtis*] Eum impiis propinquorum manibus eſſe necatum, cum quædam eliſarum fauciam in cervice reperirentur notæ. In libro de Fato: *Scipio moritur nullo, in cubiculo ſuo vi oppreſſus, necatur. Wolf.* Suſpicabantur Scipionem veneno ſublatum. Plutarchus hoc in Fulvium confert, qui eodem die in eum inveſtus ſit. Plinius in Metellum Macedonicum, qui liberis dixerit, *Ite, filii, celebrate exequias: nunquam civis majoris funus videbitis. Manut.* Porro Cornelia, mater Gracchorum, in ejus necem conſpiraſſe putabatur, ne Tib. Gracchi lex per eum abrogaretur.

6 *Senato*] Antique. Sic Livius lib. 3. *Si quis memorem libertatis vocem aut in Senato, aut in populo miſiſſet. Gruter.* Sic Salluſt. *Senati conſulta.* Et ita locutum Ciceronem teſtis eſt Solipater. Vide Nonium. *Lang.*

7 *Sociis, & Latinis*] Sic dicebant veteres, pro, ſociis Latinis. *Manut.* Κατ' ἔξοχήν dicitur. Sic Homerus:

Τρῶάς τε, Ἕκτορά θ'.

8 *Superos Deos*] Sic Horat. lib. 1. Od. 10. de Mercurio: *Superis Deorum gratus, & imis. Gruter.*

9 *Iis*] Epicureis. *Manut.*

10 *Religioſa jura*] *Jura* pro, *juſta*, dicit Cicero. Obſequia enim, & parentalia intelligit. *Betul.* Errat. Loquitur enim de jure mortuorum, & ſepulcrorum, quæ violare nefas erat, ut Cicero oſtendit de legibus. Graviſſima etiam pœna in violatores buſtorum fuit conſtituta in Cod. Juſtiniani. Notatumque illud è Cic. in Antonium, ſepulcra ipſa, & loca religioſa antiquitate ſanctiora fieri, iiſque dirutis nihilominus religioſum locum eſſe: quip-

quod non feciſſent profecto, ſi [1] nihil ad eos pertinere arbitrarentur: vel eorum, qui in [2]hac terra fuerunt, magnamque Græciam (quæ nunc quidem deleta eſt, tum florebat) inſtitutis, & præceptis ſuis [3] erudierunt: vel ejus, qui Apollinis oraculo ſapientiſſimus eſt judicatus: qui non tum hoc, tum illud, ut in pleriſque, ſed idem dicebat ſemper, animos hominum eſſe divinos, iiſque, cum è corpore exceſſiſſent, reditum in cœlum patere, optimoque, & juſtiſſimo cuique expeditiſſimum. quod item Scipioni videbatur, qui quidem, [4] quaſi præſagiret, perpaucis ante mortem diebus, cum & [5] Philus, & [6] Manilius adeſſent, & alii plures, tuque etiam, Scævola, [7] mecum veniſſes, triduum diſſeruit de republica: cujus diſputationis fuit [8] extremum fere de immortalitate animorum: quæ ſe [9] in quiete [10] per viſum ex Africano audiſſe dicebat. Id ſi ita eſt, ut optimi cujuſque animus in morte facillime evolet, tanquam è cuſtodia, vinculiſque corporis, cui cenſemus curſum ad Deos faciliorem fuiſſe, quam Scipioni? quocirca mœrere hoc ejus eventu, vereor, ne invidi magis, quam amici ſit. Sin autem illa veriora, ut idem interitus ſit animorum, & corporum, nec ullus ſenſus maneat; ut nihil boni eſt in morte, ſic certe nihil mali. ſenſu enim amiſſo, fit idem, quaſi natus non eſſet omnino: quem tamen

pe ſepulcrorum ſanctitas in ipſo ſolo manet. Sed & de aliis, quæ mortuis tribuebantur jura, vide Cic. lib. 2. de legibus. *Roger.*

1 *Nihil ad eos pertinere*] Id eſt, Nullum animis defunctorum ſenſum eſſe, nullam curam earum rerum, quæ in terris geruntur. *Wolf.*

2 *Hac terra*] Italiam intelligit. Pythagoram, & Pythagoreos ſignificat. *Manut.*

3 *Erudierunt*] Ait enim Livius, eo tempore parvum literarum uſum eſſe in Italia. *Idem.*

4 *Quaſi præſagiret*] Se moriturum ſcilicet, & animam ad ſuperos reditutam. *Muret.*

5 *Philus*] Fuit is P. Furius Philus, qui cum S. Atilio Serrano conſul fuit anno U. C. DCXVII. *Grav.*

6 *Manilius*] Fuit is M. Manilius, Juriſconſultus inſignis, cujus meminit Pomponius de origine juris. Conſul fuit anno U. C. DCIV cum L. Marcio Cenſorino. *Grav.*

7 *Mecum veniſſes*] *Me convenisſes* edidit Langius: quoniam, cum domus eſſet eadem Scipionis, & Lælii, idem victus, iſque communis, ut extremo hoc libro dicitur, officii cauſa forte ad Lælium tum adveniſſe Scævolam veriſimilius eſt. Sed Langianam conjecturam merito rejicit Manutius. Nam, quod Lælius in eadem domo cum Scipione habitaverit, id mutandi neceſſitatem non affert. Scævola enim ſocerum ſuum Lælium, foris repertum, officii cauſa domum comitatus eſt. Ibi loquentem de Repub. Scipionem audivit.

8 *Extremum*] Vide Somnium Scipionis, quæ pars fuit extrema libri ſexti de Repub.

9 *In quiete*] Id eſt, In ſomno. *Manut.*

10 *Per viſum*] Id eſt, Per ſomnium. Viſus enim eſt. Africanus ea narrare nepoti ſuo Scipioni, quæ explicantur in Somnio Scipionis. *Idem.*

eſſe

eſſe natum & nos gaudemus, & hæc civitas, dum erit, lætabitur. Quamobrem cum illo quidem (ut ſupra dixi) actum optime eſt; mecum [1] incommodiùs: quem fuerat æquius, ut prius introieram, ſic prius exire de vita. ſed tamen recordatione noſtræ amicitiæ ſic fruor, ut beate vixiſſe videar, quia cum Scipione vixerim: [2] quocum mihi conjuncta cura de re publica, & de privata fuit, quocum & domus, & militia communis; & id, in quo eſt omnis vis amicitiæ, voluntatum, ſtudiorum, ſententiarum ſumma conſenſio. Itaque non tam iſta me ſapientiæ, quam modo Fannius commemoravit, fama delectat, [3] falſa præſertim, quam quod amicitiæ noſtræ memoriam ſpero ſempiternam fore. idque mihi eo magis eſt cordi, quod ex omnibus ſæculis [4] vix tria, aut quatuor [5] nominantur paria amicorum: quo in genere ſperare videor Scipionis, & Lælii amicitiam notam poſteritati fore. *Fann.* [6] Iſtud quidem, Læli, ita neceſſe eſt: ſed, quoniam amicitiæ mentionem feciſti, & ſumus otioſi, pergratum mihi feceris (ſpero item Scævolæ) ſi, quemadmodum ſoles de cæteris rebus, cum ex te quæruntur; ſic de amicitia [7] diſputaris, quid ſentias, [8] qualem exiſtimes, [9] quæ præcepta des. *Scæv.* Mihi vero pergratum erit: atque idipſum cum tecum agere conarer, Fannius antevertit. quamobrem utrique noſtrum gratum admodum feceris.

5 *Læl.* Ego vero [10] non gravarer, [11] ſi mihi ipſe confiderem. nam & præclara res eſt, & ſumus, ut dixit Fannius,

1 *Incommodius*] Quod ejus jucundiſſimæ conſuetudinis fructu careo. *Wolf.*

2 *Quocum mihi conjuncta cura*] Ex æquo uterque & Remp. curavit, & alter de alterius commodis ſollicitus fuit. *Idem.*

3 *Falſa præſertim*] Eſt certe Lælianæ modeſtiæ, vivum detrectare ſapientiæ famam, ſicut & Pythagoras eam detrectavit. *Grav.*

4 *Vix tria, aut quatuor*] Commemorantur à poetis Theſeus, & Pirithous, Pylades, & Oreſtes, Achilles, & Patroclus, Niſus, & Euryalus, item Pythagoræi, Pythias, & Damon. *Wolf.*

5 *Nominantur*] *Nomen* ſæpe gloriam, famam, celebritatemque notat. *Gruter.*

6 *Iſtud ita neceſſe eſt*] Aliter fieri non poteſt, quin, inter cæteras Scipionis res geſtas, etiam amicitia veſtra commemoretur. *Wolf.*

7 *Diſputaris*] Id eſt, Rem ordine, certaque methodo explicaris, confirmando vera, & refutando contraria. *Idem.*

8 *Qualem exiſtimes*] Quam rationem putes ejus eſſe oportere: cujuſmodi perſonæ ad eam ſint idoneæ. *Manut.*

9 *Quæ præcepta des*] Quo modo colendam cenſeas, & quatenus. *Idem.*

10 *Non gravarer*] Non moleſtum exiſtimarem vobis obſequi, & votis veſtris reſpondere.

11 *Si mihi ipſe confiderem*] Id eſt, Si eam differendi facultatem in me eſſe putarem, ut ex tempore rem tantam expedire poſſem. *Wolf.*

otioſi. ſed quis ego ſum? aut quæ in me eſt facultas? [1] doctorum eſt iſta conſuetudo, [2] eaque Græcorum, ut iis [3] ponatur, de quo diſputent quamvis ſubito. [4] Magnum opus eſt, egetque exercitatione non parva. Quamobrem, quæ diſputari de amicitia poſſunt, ab eis cenſeo petatis, qui iſta profitentur, ego vos hortari tantum poſſum, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. nihil eſt enim tam naturæ aptum, tam conveniens ad res vel ſecundas, vel adverſas. Sed hoc primum ſentio, niſi [5] in bonis, [6] amicitiam eſſe non poſſe: neque id ad vivum reſeco, ut illi, [7] qui hæc ſubtilius diſſerunt, fortaſſe vere, ſed [8] ad communem utilitatem parum. negant enim quemquam virum bonum eſſe, niſi ſapientem. Sit ita ſane, ſed eam ſapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo eſt conſecutus. nos autem ea, quæ ſunt in uſu, vitaque communi, non ea, quæ finguntur, aut optantur, ſpectare debemus. nunquam ego dicam, C. Fabricium, M. Curium, T. Coruncanium, quos ſapientes noſtri majores judicabant, ad iſtorum normam fuiſſe ſapientes. Quare ſibi habeant ſapientiæ nomen & invidioſum, & [9] obſcurum: concedantque, ut hi boni viri fuerint. Ne id quidem facient. negabunt id, niſi ſapienti, poſſe concedi. Agamus igitur [10] pingui Minerva, ut aiunt. Qui ita ſe gerunt, ita vivunt,

1 *Doctorum eſt iſta conſuetudo*] Academicorum, quorum patrium, & peculiarem hunc morem fuiſſe, alibi teſtatur. Quem morem in lib. 3. de Orat. ad Gorgiam refert. *Manut.*

2 *Eaque Græcorum*] Senſus eſt: Ne doctorum quidem omnium eſt iſta conſuetudo, ſed tantum Græcorum. *Erafm.*

3 *Ponatur*] Pro, *proponatur*. In quo ſenſu ſæpe alibi hoc verbo utitur Cicero. Lib. 1. Tuſc. Quæſt. *Ponere jubebam, de quo quis audire vellet.* Et: *Quæſtiunculam ponere.* Lib. 1. de Orat. *Quanquam ſatis iis, qui aderant, ad id, quod erat poſitum, dictum videbatur.* Et Epiſt. Fam. lib. 9. *Quod tu unum ξήτημα Dioni philoſopho poſuiſti.*

4 *Magnum opus eſt*] Id eſt, Requirit magnum ingenium, multiplicem doctrinam, exquiſitam methodum. *Wolf.*

5 *In bonis*] Græco more, pro, inter bonos. *Manut.*

6 *Amicitiam eſſe non poſſe*] Plato in Lyſide hujus rei rationem reddit: quia ſoli boni ſint ſimiles inter ſe, & ob id amici: mali autem inter ſe diſſimiles, ſtolidi, atque inſtabiles. Mali igitur ſi conſentiunt, non eſt amicitia, ſed factio; ut in oratione Memmii oſtendit Saluſtius: *Eadem cupere, eadem odiſſe, eadem metuere, inter bonos amicitia, inter malos factio. Grav.*

7 *Qui hæc ſubtilius diſſerunt*] Alii enim Stoice, alii populariter viri boni appellantur. *Wolf.*

8 *Ad communem utilitatem parum*] Præceptorum enim de moribus finis eſt actio. Fruſtra autem præcipiuntur, quæ naturæ humanæ ſunt negata. *Wolf.* Ad officia media colenda: de quibus Offic. lib. 1.

9 *Obſcurum*] Cujus nulla exempla extant. *Wolf.*

10 *Pingui Minerva*] Non exquiſitis argumentis, rudius, planius, ἀμαθέστερον. *Manut.*

ut

ut eorum probetur fides, [1] integritas, [2] æqualitas, liberalitas; nec ſit in illis ulla [3] cupiditas, vel [4] libido, vel [5] audacia; ſintque magna [6] conſtantia, ut ii fuerunt, modo quos nominavi; hos viros bonos, ut habiti ſunt, ſic etiam appellandos putemus; quia ſequantur (quantum homines poſſunt) naturam, optimam bene vivendi ducem. ſic enim mihi perſpicere videor, ita natos eſſe nos, ut inter omnes eſſet ſocietas quædam: major autem, ut quiſque proxime [7] accederet. itaque cives potiores, quam [8] peregrini; & [9] propinqui, quam [10] alieni. cum his enim amicitiam natura ipſa peperit: ſed ea [11] non ſatis habet firmitatis. namque hoc præſtat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli poteſt, ex amicitia non poteſt. ſublata enim benevolentia, amicitiæ nomen tollitur, propinquitatis manet. Quanta autem vis amicitiæ ſit, ex hoc intelligi maxime poteſt: quod ex infinita ſocietate generis humani, quam conciliavit ipſa natura, ita contracta res eſt, & adducta in anguſtum, ut omnis caritas aut [12] inter duos, aut inter paucos jungeretur.

6. Eſt autem amicitia nihil aliud, niſi omnium divinarum, humanarumque rerum cum [13] benevolentia, & caritate ſum-

1 *Integritas*] Integri ſunt, qui ſe corrumpi non ſinunt. *Idem.*

2 *Æqualitas*] Aut eſt illa virtus, quæ aliter *civilitas*, & *æquitas* dicitur, cum quis æquo jure cum cæteris civibus, & amicis vivit, nec ſe ſupra illos, aut leges effert: aut quæ *æquabilitas* dicitur lib. 1. de Offic. cum quis ſibi in omni vita ſemper ſimilis eſt, cum idem ſemper vultus, eademque frons eſt. *Grævv.* Verius tamen puto, quia Lælius hic agit de virtutibus ad communem ſocietatem hominum pertinentibus, *æquitatem* intelligi. Quam qui colebant, dicebantur cultores æqui; ut ille apud Virgil. *ſervantiſſimus æqui. Grav.*

3 *Cupiditas*] Avaritia, cupiditas pecuniæ, atque opum. *Manut.*

4 *Libido*] Amores impudici. *Idem.* Immoderata cupido cujuſcunque rei. *Wolf.*

5 *Audacia*] Impetus animi à rebus injuſtis perpetrandis non abhorrens. *Manut.*

6 *Conſtantia*] In virtutis propoſito perſeverantia. *Conſtantes* dicuntur, & qui in honeſta ſententia perſeverant, & qui nullis periculis ab honeſto propoſito deterrentur. Opponitur enim *conſtantiæ* & levitati ſententiæ, & imbecillitati animi. *Wolf.*

7 *Accederet*] Ad quemque. Id eſt, Ut quiſque cuique proximus, & conjunctiſſimus eſſet. *Manut.*

8 *Peregrini*] Alterius nationis. *Wolf.*

9 *Propinqui*] Ex eadem oriundi familia. *Manut.*

10 *Alieni*] Nulla neceſſitudine naturali conjuncti, non cognati. *Wolf.*

11 *Non ſatis habet firmitatis*] Naturalis neceſſitudo non ſatis firma eſt, quando vel ingenia fratrum, & propinquorum non congruunt, vel pravi affectus vinculum illud rumpunt; cujuſmodi ſunt, ambitio, avaritia, libidines. Fratrum quoque concordiam eſſe raram, jam olim cecinit Ovidius: & comprobarunt Atreus, & Thyeſtes, Eteocles, & Polynices, Romulus, & Remus, & alii complures. *Wolf.*

12 *Inter duos, aut paucos*] Vera amicitia inter multos, teſte Ariſtotele, eſſe non poteſt. *Grav.*

13 *Benevolentia, & caritate*] Mutuo amore. *Manut.*

ma

ma conſenſio: qua quidem [1] haud ſcio, an,[2] excepta ſapientia, quicquam melius homini ſit à Diis immortalibus datum. divitias alii præponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. [3] belluarum hoc quidem extremum eſt: illa autem ſuperiora, caduca, & incerta, poſita non tam in noſtris conſiliis, quam in [4] fortunæ temeritate. Qui autem in virtute ſummum bonum ponunt, præclare illi quidem: ſed hæc ipſa [5] virtus amicitiam & gignit, & continet: nec ſine virtute amicitia eſſe ullo pacto poteſt. jam virtutem ex conſuetudine vitæ, ſermoniſque noſtri interpretemur: nec eam, [6] ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur; viroſque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paulos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos. his communis vita contenta eſt. eos autem omittamus, qui omnino nuſquam reperiuntur. Tales igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere. Principio, cui poteſt eſſe [7] vita vitalis, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquieſcat? Quid dulcius, quam habere, [8] quicum omnia audeas ſic loqui, ut tecum? Quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes, qui illis æque, ac tu ipſe, gauderet? adverſas vero ferre difficile eſſet ſine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret, denique cæteræ res, quæ expetuntur, [9] opportunæ ſunt ſingulæ rebus

1 *Haud ſcio, an*] Ponit, & affirmat dubitando. Id eſt, Excepta ſapientia, exiſtimo nihil eſſe amicitia melius. *Lambin.*

2 *Excepta ſapientia*] Quæ virtutem omnem in ſe complectitur, nec ab ea ſeparari poteſt. *Manut.*

3 *Belluarum*] Epicureorum. *Idem.* Voluptates corporis, quæ à ſenſibus oriuntur, ſunt homini cum pecudibus communes. *Wolf.*

4 *Fortuna temeritate*] Quæ cæca, alata, & globo volubili inſiſtens pingitur. De qua Ovidius:

Nempe dat & quodcunque libet Fortuna, rapitque;
Irus & eſt ſubito, qui modo Cræſus erat. *Manut.*

5 *Virtus amicitiam & gignit, & continet*] Amicitia ex virtute oritur, & à virtute conſervatur: virtus & genitrix eſt, & nutrix amicitiæ. *Wolf.* Inde patet Ciceronem cum iis ſenſiſſe, qui ſtatuebant amicitiam non eſſe virtutem, ſed ex virtute provenire. *Grav.*

6 *Vt quidam docti*] Intelligit Stoicos, qui fictam, & imaginariam quandam perfectionem conſtituunt.

7 *Vita vitalis*] Sic Græci: βίος βιωτὸς. Id eſt, Vita expetenda, qua homo delectatur, & perfrui cupit. *Wolf.*

8 *Quicum omnia audeas*] Id eſt, De cujus fide, & taciturnitate non dubites. *Idem.*

9 *Opportuna ſunt ſingula rebus fere ſingulis*] Id eſt, Earum utilitas non ita late patet, non habent uſum tam multiplicem, quam amicitia. *Manut.*

fere

fere ſingulis: divitiæ, ut utare; opes, [1] ut colare; honores, ut laudere; voluptates, ut gaudeas; valetudo, ut dolore careas, & muneribus fungare corporis. Amicitia res plurimas continet: quoquo te verteris, præſto eſt; nullo loco excluditur; nunquam intempeſtiva, nunquam moleſta eſt. Itaque non aqua, non igni, ut aiunt, pluribus locis utimur, quam amicitia. neque ego nunc [2] de vulgari, aut de mediocri (quæ tamen ipſa & delectat, & prodeſt) ſed [3] de vera, & perfecta loquor, qualis eorum, [4] qui pauci nominantur, fuit. nam & ſecundas res ſplendidiores facit amicitia, & adverſas partiens, communicanſque leviores.

7. Cumque plurimas, & maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum præſtat omnibus, quod [5] bonam ſpem prælucet [6] in poſterum: nec debilitari animos, aut [7] cadere patitur. Verum etiam amicum qui intuetur, tanquam [8] exemplar aliquod intuetur ſui. quocirca & [9] abſentes adſunt, & [10] egentes abundant, & [11] imbecilles valent, & (quod difficilius

1 *Ut colare*] Ut frequentetur domus tua, ut multi à te conſilium, & auxilium expetant, ut gratum erga te animum obſequendi alacritate teſtentur. *Wolf.*

2 *De vulgari*] Quam ex utilitate tantum, & jucunditate metimur. *Manut.*

3 *De vera, & perfecta*] Quæ ex mutuo bonorum conſenſu conſtat: cujuſque cauſa efficiens eſt mera virtutis admiratio. *Idem.*

4 *Qui pauci nominantur*] Intelligit amicorum paria. *Idem.*

5 *Bonam ſpem prælucet*] Omnino mirabiliter, & pereleganter dictum, pro, ſpem oſtendit, tanquam lucem quandam præferens. Tranſlatum ab iis, qui lucem alicui præferunt, & lumen præpandunt, ut loquitur Lucretius lib. 1.

Clara tua poſſim prapandere lumina menti. *Lambin.*

6 *In poſterum*] Non modo præſentibus malis medetur, ſed etiam, velut occidentis Solis rubeſcentes nubes, futuram animorum ſerenitatem pollicetur. *Manut.*

7 *Cadere*] Deſperare penitus. *Wolf.*

8 *Exemplar intuetur ſui*] Quia amicus eſt alter ipſe. *Betul.* Secundum illud Pythagoricum: ὁ φίλος ἕτερος αὐτός.

9 *Abſentes adſunt*] Quia amici non minus abſentium, quam præſentium, meminerunt: eos amant, colunt, eorumque partes agunt. *Manut.* Hinc illud, *in oculis ferre.* Hoc nomine Iſocrates veros amicos à fictis diſtare teſtatur: Οἱ μὲν τὸν φίλον παρόντας μόνον τιμῶσιν, οἱ δὲ καὶ μακρὰν ἀπόντας ἀγαπῶσιν. *Betul.*

10 *Egentes abundant*] Quia ubi amici, ibi opes: amicorum enim omnia communia. *Manut.*

11 *Imbecilles valent*] Nam amici id præſtant, quod illi ipſi per valetudinem non poſſunt. *Wolf.* Sic Ovid. lib. 1. ex Ponto ad Rufinum:

Utque Machaoniis Paantius artibus Heros
Lenito medicam vulnere ſenſit opem:
Sic ego mente jacens, & acerbo ſaucius ictu,
Admonitu capi fortior eſſe tuo.
En! jam deficiens ſic ad tua verba revixi,
Ut ſolet infuſo vena redire mero.

dictu

dictu est)[1] mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum. ex quo [2]illorum beata mors videtur: horum [3] vita laudabilis. quod si exemeris ex natura rerum benevolentiæ junctionem,[4] nec domus ulla, nec urbs stare poterit: [5] ne agri quidem cultus permanebit. id si minus intelligitur, quanta vis amicitiæ, concordiæque sit, [6] ex dissensionibus, atque discordiis percipi potest. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma civitas est, quæ non odiis, atque dissidiis funditus possit everti? ex quo, quantum boni sit in amicitia, judicari potest. [7] Agrigentinum quidem, doctum quendam virum, carminibus Græcis vaticinatum ferunt, quæ in rerum natura, totoque mundo constarent, quæque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. atque hoc quidem omnes mortales & intelligunt, & [8] re probant. Itaque, si quando aliquod officium extitit amici in periculis aut adeundis, aut communicandis, quis est, qui id non maximis efferat laudibus? qui clamores tota [9] cavea nuper in hospitis, & amici mei, M. Pacuvii, nova fabula, cum, ignorante rege, uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur: Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret? stantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera fuisse facturos? facile [10] indicabat ipsa natura vim suam: cum homines, [11] quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero judicarent. Hactenus mihi

1 *Mortui vivunt*] Quæ ab amicis superstitibus honorantur, desiderantur, crebra eorum sit mentio; ut non tam esse mortui, quam peregre abiisse videantur. *Manut.*

2 *Illorum beata mors*] Quorum felicitas etiam post obitum durat. *Idem.*

3 *Vita laudabilis*] Propter constantem amicorum culturam, dempta omni spe utilitatis. Unde apparet, honestate illos, non emolumento duci. *Wolf.*

4 *Nec domus, nec urbs stare poterit*] Idem Servator noster dicit Matth. 12. 25.

5 *Ne agri quidem cultus permanebit*] Sine hominum studiis, mutuisque benevolentiæ officiis.

6 *Ex dissensionibus*] Hinc Sallustius: *Concordia parvæ res crescunt: discordia maximæ dilabuntur.*

7 *Agrigentinum*] Empedoclem designat, qui docuit, quatuor esse elementa, quæ ubi justa proportione inter se coierint, vitam existere animantium; sin inter sese repugnarint, animalia interire, itemque stirpes, & omnia composita corpora. *Wolf.*

8 *Re probant*] Quasi dicat, Tametsi vita, & mores eorum à judicio discrepant. *Idem.*

9 *Cavea*] Area in Theatro. *Manut.*

10 *Indicabat natura vim suam*] Significat, Naturam conciliatricem esse amicitiæ: quæ si negligatur, id depravatæ consuetudine fieri. *Idem.*

11 *Quod facere ipsi non possent*] Scilicet propter φιλαυτίαν pravam, & animi imbecillitatem. *Wolf.*

videor,

videor, de amicitia quid ſentirem, [1] potuiſſe dicere. ſiqua præterea ſunt (credo autem eſſe multa) ab iis, ſi videbitur, qui iſta diſputant, quæritote. *Fann.* Nos autem à te potius: quanquam etiam ab iſtis ſæpe quæſivi, & audivi, non invitus equidem: ſed aliud quoddam expetimus [2] filum orationis tuæ. *Scæv.* Tum magis id diceres, Fanni, ſi nuper in hortis Scipionis, cum eſt de rep. diſputatum, affuiſſes. qualis tum patronus juſtitiæ fuit contra [3] accuratam orationem Phili! *Fann.* Facile id quidem fuit, [4] juſtitiam juſtiſſimo viro defendere. *Scæv.* Quid amicitiam? nonne facile ei, qui ob eam ſumma fide, conſtantia, juſtitiaque ſervatam, maximam gloriam ceperit?

8. *Læl.* Vim hoc quidem eſt afferre. quid enim refert, qua me rogatione cogatis? [5] cogitis certe. [6] ſtudiis enim generorum, præſertim in re bona, cum difficile eſt, tum ne æquum quidem, [7] obſiſtere. Sæpiſſime igitur mihi, de amicitia cogitanti, maxime illud conſiderandum videri ſolet, [8] num propter imbecillitatem, atque inopiam deſiderata ſit amicitia: ut dandis, recipiendiſque meritis, quod quiſque minus per ſe ipſe poſſet, id acciperet ab alio, viciſſimque redderet? an eſſet hoc quidem proprium amicitiæ; ſed [9] antiquior, & [10] pulchrior, & magis à natura ipſa profecta alia cauſa? amor enim (ex quo amicitia nominata) [11] princeps eſt ad benevolentiam conjungendam. nam [12] utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur ſæpe, qui ſimulatione amicitiæ coluntur, & obſervantur cauſa temporis. In amicitia autem nihil fictum, nihil ſimulatum; & quidquid in ea eſt, id eſt verum, & voluntarium.

1 *Potuiſſe dicere*] Quæ dixi de amicitia, inquit Lælius, potui dicere ſine ullius reprehenſione, tanquam Senator Romanus. *Grav.*

2 *Filum*] Metaphora ſumpta à re textoria. *Manut.*

3 *Accuratam*] Ingenioſe cogitatam. *Wolf.*

4 *Juſtitiam juſtiſſimo viro*] Rectius enim artifex de artificio tractabit. *Manut.*

5 *Cogitis certe*] Sententia eſt: Precibus, & laudibus æque cogunter homines, atque minis, externaque vi. *Wolf.*

6 *Studiis*] Vehementi cupiditati. *Manut.*

7 *Obſiſtere*] Non obſequi, non morem gerere. *Wolf.*

8 *Num propter imbecillitatem, atque inopiam*] Hoc eſt, Num propter utilitatem, & indigentiam amicitia ſit orta? *Grav.*

9 *Antiquior*] Hoc eſt, Nobilior. *Erafm.* Πρεσβυτερος etiam Græcis non tam ad ætatem, quam ad pretium, & dignitatem refertur. *Wolf.*

10 *Pulchrior*] Id eſt, Honeſtior. *Idem.*

11 *Princeps eſt*] Principatum obtinet in amicitia concilianda. *Manut.*

12 *Utilitates*] Ex quibus vulgus amicitias probat. *Idem.*

rium. Quapropter à natura mihi videtur potius, quam ab indigentia, orta amicitia, & applicatione magis animi cum quodam [1] ſenſu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis eſſet habitura. Quod quidem quale ſit, etiam in beſtiis quibuſdam animadverti poteſt: quæ ex ſe natos ita amant [2] ad quoddam tempus, & ab eis ita amantur, ut facile [3] earum ſenſus appareat: quod in homine multo eſt evidentius. Primum ex ea caritate, quæ eſt inter natos, & parentes; quæ dirimi, [4] niſi deteſtabili ſcelere, non poteſt. Deinde, [5] cum ſimilis ſenſus extitit amoris, ſi aliquem nacti ſumus, cujus cum moribus, & natura congruamus, quod in eo quaſi lumen aliquod probitatis, & virtutis perſpicere videamur. [6] nihil eſt enim amabilius virtute; nihil, quod magis alliciat ad diligendum; quippe cum propter virtutem, & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, [7] quodam modo diligamus. Quis eſt, qui C. Fabricii, M. Curii non cum caritate aliqua benevola memoriam uſurpet, quos nunquam viderit? quis autem eſt, qui Tarquinium Superbum, qui [8] Sp. Caſſium, [9] Sp. Mælium non oderit? Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum, Pyrrho, & Hannibale. ab altero propter probitatem ejus, non nimis alienos animos habemus: alterum propter crudelitatem ſemper hæc civitas oderit.

9. Quod ſi tanta vis probitatis eſt, ut eam vel in eis, quos nunquam vidimus, vel (quod majus eſt) in hoſte etiam diligamus, quid mirum, ſi animi hominum [10] moveantur, cum

1 *Senſu amandi*] Ut uterque amorem mutuum ſentiat. *Wolf.*

2 *Ad quoddam tempus*] Eouſque ſcilicet, dum catuli, & pulli ipſi ſe tueri poſſint. *Idem.*

3 *Earum ſenſus appareat*] Videlicet Natura illas impelli ad diligendum. *Idem.*

4 *Niſi deteſtabili ſcelere*] Perduellionis, læſæ majeſtatis. Ut Sp. Caſſius pater filium regni affectatorem accuſavit. Brutus filios, proditores patriæ, hoſtes judicavit. Oreſtes matrem occidit ob id, quod ipſa occiderat patrem. Sic Hippolytus, à Phædra apud Theſeum patrem falſo inceſtus delatus, in graviſſimum patris odium venit. *Beraſ.*

5 *Cum ſimilis ſenſus extitit amoris*] Hoc eſt, Cum mutuo amore aliquem complectimur. *Wolf.*

6 *Nihil amabilius virtute*] Virtus maxime omnium rerum benevolentiam conciliat. Sola propter ſe expetitur, reliqua omnia propter ipſam. *Manut.*

7 *Quodam modo diligamus*] Negat Ariſtoteles hoc eſſe amicitiam, niſi tacitam, quæ à nobis ſolum proficiſcatur. Eſſe autem benevolentiam, quæ cito naſcatur, principiumque eſſe amicitiæ. *Grav.*

8 *Sp. Caſſium*] Quem regnum affectantem ipſius pater interemit.

9 *Sp. Mælium*] Quem novis rebus ſtudentem Q. Servilius Ahala, magiſter equitum, manu ſua occidit.

10 *Moveantur*] Incitentur ad mutuum amorem. *Manut.*

eorum,

eorum, quibuſcum uſu conjuncti eſſe poſſunt, virtutem, & bonitatem perſpicere videantur? Quanquam confirmatur amor & beneficio accepto, & [1] ſtudio perſpecto, & [2] conſuetudine adjuncta: quibus rebus ad illum primum motum animi, & amoris adhibitis, admirabilis quædam exardeſcit benevolentiæ magnitudo: quam ſi qui putant ab imbecillitate proficiſci, ut ſit, per quem quiſque aſſequatur, quod deſideret, humilem ſane relinquunt, & minime generoſum (ut ita dicam) ortum amicitiæ, quam ex inopia, atque indigentia natam volunt. quod ſi ita eſſet; ut quiſque [3] minimum in ſe eſſe arbitraretur, ita ad amicitiam eſſet aptiſſimus. quod longe ſecus eſt. ut enim quiſque ſibi plurimum confidit, & ut quiſque maxime virtute, & ſapientia ſic munitus eſt, ut [4] nullo egeat, ſuaque omnia in ſe ipſo poſita judicet, ita in amicitiis expetendis, colendiſque [5] maxime excellit. Quid enim Africanus indigens mei? Minime hercle: ac ne ego quidem illius: ſed ego admiratione quadam virtutis ejus, ille viciſſim opinione forteſſe nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit: auxit benevolentiam conſuetudo. Sed quanquam utilitates multæ, & magnæ conſecutæ ſunt, non ſunt tamen ab earum ſpe cauſæ diligendi profectæ. Ut enim benefici, liberaleſque ſumus, non ut [6] exigamus gratiam (neque enim beneficium [7] fœneramur) ſed natura propenſi ad liberalitatem ſumus: ſic amicitiam, non ſpe mercedis adducti, ſed quod omnis ejus fructus in ipſo amore ineſt, expetendam putamus. Ab iis, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, [8] longe diſſentiunt; nec mirum. [9] nihil enim altum, nihil mag-

1 *Studio*] Scilicet bene merendi de nobis. *Wolf.*

2 *Conſuetudine*] *Conſuetudo* eſt hic, convictus, ἡ συμβίωσις; quæ, ſi congruunt ingenia, confirmat amicitiam; ſin diſcrepant, dirimit. *Idem.*

3 *Minimum in ſe eſſe*] Scilicet virtutis, & præſidii: id eſt, Quo quiſque egentior eſſet, eo etiam aptior foret ad amicitiam. *Idem.*

4 *Nullo egeat*] Hyperbole Stoica. Solus enim Deus nulla re eget. *Idem.*

5 *Maxime excellit*] Heroicum enim eſt, gratuito bene mereri de quam plurimis. *Idem.*

6 *Exigamus gratiam*] Jure quodam remunerationem expectemus, gratiam referri poſtulemus.

7 *Fœneramur*] Verbum *fœnerari* hoc loco ſignificat, ad uſuram dare. Nimis ſubtiliter itaque ſic diſtinguit Valla: *Qui fœnerat pecuniam, dat ad uſuram. Qui fœneratur pecuniam, ad uſuram accipit.*

8 *Longe diſſentiunt*] Illis, inquit auctor, quæ de origine amicitiæ differui, longe diſſentiunt Epicurei. Ii enim utilitatis cauſa amicitias colendas aſſeverant. *Grutер.*

9 *Nihil altum ſuſpicere*] Id eſt, Sunt animalia,

nificum, ac divinum ſuſpicere poſſunt, qui ſuas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, tamque contemptam. quamobrem hos quidem ab hoc ſermone removeamus: ipſi autem intelligamus, natura gigni ſenſum diligendi, & benevolentiæ caritatem, facta ſignificatione probitatis; quam qui appetiverunt, applicant ſeſe, & propius admovent, ut & uſu ejus, quem diligere cœperunt, fruantur, & moribus, [1] ſintque pares in amore, & æquales, propenſioreſque ad benemerendum, quam ad repoſcendum. Atque hæc inter eos ſit [2] honeſta certatio. ſic & utilitates ex amicitia maximæ capientur: & erit ejus ortus à natura, quam ab imbecillitate, & gravior, & verior. nam ſi utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata diſſolveret. ſed quia [3] natura mutari non poteſt, idcirco [4] veræ amicitiæ ſempiternæ ſunt. Ortum quidem amicitiæ videtis, niſi quid ad hæc forte vultis. *Fann.* Tu vero perge, Læli. pro hoc enim, qui minor eſt natu, meo jure reſpondeo. *Scæv.* Recte tu quidem. quamobrem audiamus.

10. *Læl.* Audite ergo, optimi viri, ea, quæ ſæpiſſime inter me, & Scipionem de amicitia diſſerebantur. quanquam ille quidem nihil difficilius eſſe dicebat, quam amicitiam uſque ad extremum vitæ permanere. nam, vel ut [5] non idem expediret utrique, incidere ſæpe: vel ut [6] de rep. non idem ſentirent: mutari etiam mores hominum ſæpe dicebat, alias adverſis rebus, alias [7] ætate ingraveſcente. atque earum rerum exemplum ex ſimilitudine capiebat ineuntis ætatis, quod ſummi puerorum amores ſæpe una cum [8] prætexta ponerentur. ſin autem ad adoleſcentiam perduxiſſent, dirimi tamen

animalia, quæ Natura prona, atque ventri obedientia finxit. *Wolf.*

1 *Sintque pares in amore*] Nam omnis amicitia in æqualitate ſita eſt, etiam falſa, quæ aut voluptatis, aut utilitatis cauſa ducitur aliquamdiu. *Grav.*

2 *Honeſta certatio*] Ut officiis inter ſe certent, quibus alter alterum vincat. *Wolf.*

3 *Natura mutari non poteſt*] Scilicet univerſa, quam licet expellas furca, tamen uſque recurret, ut loquitur Horatius. *Manut.*

4 *Veræ*] Quas virtus conglutinavit. *Idem.*

5 *Non idem expediret utrique*] Unius emolumentum alterius commodis repugnaret.

6 *De Rep. non idem ſentirent*] Diverſis faverent partibus.

7 *Ætate ingraveſcente*] Qua moroſi plerumque ſenes efficiuntur. Ii autem ad amicitiam non ſunt apti, niſi ad utilem, ut Ariſtoteles ait 8. ad Nicomach. *Roger.*

8 *Prætexta*] Toga puerili. Ad differentiam virilis, & puræ, quæ ſumebatur anno ætatis 17.

interdum

interdum [1] contentione vel uxoriæ conditionis, vel [2] commodi alicujus, quod idem adipiſci uterque non poſſet. quod ſi qui longius in amicitia provecti eſſent, tamen ſæpe labefactari, ſi [3] in honoris contentionem incidiſſent: peſtem enim majorem eſſe nullam in amicitiis, quam in pleriſque [4] pecuniæ cupiditatem; in optimis quibuſque [5] honoris certamen, & gloriæ: ex quo inimicitias maximas ſæpe inter amiciſſimos extitiſſe. magna enim diſſidia, & plerumque juſta naſci, cum aliquid ab amicis, [6] quod rectum non eſſet, poſtularetur, ut aut [7] libidinis miniſtri, aut [8] adjutores eſſent ad injuriam. quod qui recuſarent, [9] quamvis honeſte id facerent, jus tamen amicitiæ deſerere arguerentur ab iis, quibus obſequi nollent: illos autem, qui quidvis ab amico auderent poſtulare, poſtulatione ipſa profiteri, omnia ſe amici cauſa eſſe facturos. eorum querela [10] inveteratas non modo familiaritates extingui ſolere; ſed etiam odia gigni ſempiterna. Hæc ita multa, quaſi [11] fata, impendere amicitiis, ut omnia ſub-

1 *Contentione uxoria conditionis*] *Conditio uxoria* eſt, in qua res uxoria agitur, ſeu res, quæ ad uxorem ducendam pertinet. Et *contentio* rei uxoriæ eſt, cum duo eandem uxorem poſcunt. Et in repudiis hæc erat uſitata verborum formula, *ejus conditione non utar. Lambin.* Diſtrahuntur amicitiæ adoleſcentium interdum, cum eandem vel virginem, vel mulierem uxorem proci petunt. *Conditionem* autem in nuptialibus, & meretriciis amorum fœderibus poni, tam eſt omnibus notum, quam Solem lucere. *Turneb.*

2 *Commodi alicujus*] Ut poſtea inter Cæpionem, & Druſum, trib. pl. ex annulo in auctione inimicitiæ cœpere. *Reger.*

3 *In honoris contentionem incidiſſent*] Ut olim factum ſæpe inter æquales magiſtratuum competitores, ut inter Scaurum, & Rutilium, dum peterent conſulatum; inter Pompeium, & Sulpitium, antea conjunctiſſimos. *Reger.* Adde Pompeium, & Cæſarem. *Grav.*

4 *Pecuniæ cupiditatem*] Itaque Themiſtius in oratione de amicitia inter χρηματικὰ, ex quibus cognoſci poteſt ingenium hominis non eſſe aptum ad amicitiam colendam, ponit avaritiam. *Grav.*

5 *Honoris certamen*] Ut ambitio labefactet amicitias, docet Saluſtius bello Catilinario: *Ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit, aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias, inimicitiaſque non ex re, ſed ex commodo æſtumare, magiſque vultum, quam ingenium bonum habere.* Itaque nec ambitioſos amicos capiendos eſſe ſuadet Themiſtius Orat. de amicitia. *Grav.*

6 *Quod rectum non eſſet*] Quod cum officio pugnaret. *Manut.*

7 *Libidinis miniſtri*] In prodenda ſuarum, vel violanda aliorum pudicitia. *Idem.*

8 *Adjutores ad injuriam*] Vel ad opprimendos inſontes, vel ad opes, & honores per fas, & nefas conſequendos. *Wolf.*

9 *Quamvis honeſte*] Quod enim injuſte petitur, jure negatur. *Idem.*

10 *Inveteratas familiaritates*] Hoc eſt, Longo uſu firmatas, & ſtabilitas. *Grav.*

11 *Fata*] Interpretamur, κῆρας, interitus, peſtes. *Lambin.* Vox amicitiarum calamitates, & incommoda exprimit. *Turneb.*

terfugere

terfugere non modo ſapientiæ, ſed etiam felicitatis diceret ſibi videri.

11. Quamobrem id primum videamus, ſi placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat. [1] num, ſi Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuere? num [2] Viſcellinum amici regnum appetentem, num Sp. Mælium debuerunt juvare? Ti. quidem Gracchum, remp. vexantem, à [3] Q. Tuberone, [4] æqualibuſque amicis derelictum videbamus. At [5] C. Bloſius Cumanus, hoſpes familiæ veſtræ, Scævola, cum ad me, qui aderam [6] Lænati, & Rupilio conſulibus [7] in conſilio, [8] deprecatum veniſſet, hanc, ut ſibi ignoſcerem, cauſam afferebat, quod tanti Ti. Gracchum feciſſet, ut, quidquid ille vellet, ſibi faciendum putaret. Tum ego, Etiamne, ſi te in Capitolium faces ferre vellet? Nunquam, inquit, voluiſſet id quidem. [9] Sed, ſi voluiſſet? Paruiſſem. Videtis, quam nefaria vox. & hercle ita fecit, vel plus etiam, quam dixit. non enim paruit ille Ti. Gracchi temeritati, ſed præfuit: nec ſe comitem illius furoris, ſed ducem præbuit. Itaque [10] hac amentia, [11] quæ-

1 *Num, ſi Coriolanus*] Hic, propter ſeveritatem ſuam civium odiis ſuſceptis, exul ad Volſcos ſe contulit; eorumque factus Imperator Romam magno cum periculo oppugnavit. Hanc, inquit, & ſi qui ſunt hujus ſimiles, amici juvare non debuerunt. Eodem etiam Sp. Caſſii, & Sp. Mælii, & cætera exempla pertinent. *Wolf.*

2 *Viſcellinum*] Eſt Caſſiorum cognomen. Sp. Caſſius Viſcellinus, poſt tertium conſulatum affectati regni damnatus, de ſaxo Tarpejo dejectus eſt. *Lang.*

3 *Q. Tuberone*] Homine Stoico, & auſtero. *Manut.*

4 *Æqualibus amicis*] Tuberoni ſimilibus virtute, & animi conſtantia. Si quis mavult *æquales, vel ſpectatæ, constantes* intelligere, non impedio. *Wolf.*

5 *C. Bloſius*] Fuit Antipatri, Tarſenſis Philoſophi, diſcipulus. Elapſus quæſtiones de Ti. Gracchi amicis habitas ad Ariſtonicum, Eumenis filium, Pergami regem fugit: cujus rebus afflictis, mortem ſibi conſcivit. *Lang.*

6 *Lænati, & Rupilio*] P. Popilius Lænas, & P. Rupilius conſules fuerunt anno U. C. DCXXI. *Grav.*

7 *In conſilio*] In quo, quid agendum contra ſocios Ti. Gracchi, deliberabatur. *Manut.*

8 *Deprecatum*] *Deprecari* hoc loco eſt, à ſe crimen removere. *Eraſm. Deprecari* diverſas capit ſignificationes. Interdum idem ſonat, ac, valde precari, orare, ſupplicari: interdum ſignificat, deteſtari, execrari, depellere, abominari. In quo ſenſu uſus eſt Catullus:

— *Quæſo non tentidem mea deprecer illi*
Aſſidua.

Significat, abigere, & amoliri, vel prece adhibita, vel quovis alio modo, teſte Gellio. Hoc loco idem valere videtur, quod *veniam petere, pœnas avertere.*

9 *Sed, ſi voluiſſet? Paruiſſem*] Immiſi interrogationem, ut priora ſint Lælii, ultima Bloſii. Et verisimile eſt, ultro tale nihil dixiſſe, ſed interrogatione coactum. *Grater.*

10 *Hac amentia*] Cum ita amens eſſet, ut ſeditioſum amicum pluris faceret, quam Reip. concordiam, & tranquillitatem. *Wolf.*

11 *Quæſtione nova*] Intelligitur inquiſitio eorum, qui Ti. Gracchо ſtuduiſſent. *Idem.*

ſtione

ſtione nova perterritus,[1] in Aſiam profugit, ad hoſtes ſe contulit, poenas reip.[2] graves, juſtaſque perſolvit. Nulla eſt igitur excuſatio peccati, ſi amici cauſa peccaveris. nam cum[3] conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit,[4] difficile eſt amicitiam manere, ſi à virtute deſeceris. Quod ſi rectum ſtatuerimus, vel concedere amicis, quidquid velint, vel impetrare ab iis, quidquid velimus,[5] perfecta quidem ſapientia ſumus, ſi nihil habeat res vitii: ſed loquimur de iis amicis, qui ante oculos ſunt, quos videmus, aut de quibus memoriam accepimus, aut quos novit vita communis. ex hoc numero nobis exempla ſumenda ſunt: & eorum quidem maxime,[6] qui ad ſapientiam proxime accedunt.[7] Videmus[8] Papum Æmilium C. Luſcino familiarem fuiſſe (ſic à patribus accepimus) bis una conſules, & collegas in cenſura: tum & cum iis, & inter ſe conjunctiſſimos fuiſſe, M. Curium, & T. Coruncanium, memoriæ proditum eſt. igitur ne ſuſpicari quidem poſſumus, quemquam horum ab amico quippiam[9] contendiſſe, quod contra fidem, contra jusjurandum, contra remp. eſſet. nam hoc quidem in talibus viris quid attinet dicere? ſi contendiſſet, ſcio[10] impetraturum non fuiſſe; cum

1 *In Aſiam profugit*] Ad Ariſtonicum, regis Eumenis filium, qui Aſiam occuparat. Rebus autem Ariſtonici profligatis, ſibi mortem conſcivit. *Manut.*

2 *Graves, juſtaſque*] Quia vitam amiſit, & ſeditionis ſupplicium luit. *Idem.*

3 *Conciliatrix*] *Conciliare* eſt, quaſi fores amicitiæ aperire. *Wolf.*

4 *Difficile eſt amicitiam manere*] Quia, ceſſante cauſa ceſſat & effectus. *Manut.*

5 *Perfecta ſapientia ſumus, ſi nihil habeat res vitii*] Perfecte ſapientes ſumus, ſi nihil ex eo ſequitur incommodi: quod fieri vix poteſt. Sed oſtendit Cicero, vitium in ea re eſſe: itaque perfecta ſapientia minime nos eſſe, ſi rectum ſtatuerimus utrumque. *Manut.* Canterus legit valde probabiliter, *ſi ſimus, nihil habeat. Gruter.* Nihil verius emendatione Canteri. Quæ Manutius affert, ſunt nullius momenti. Sententia, ſi Canterum audimus, eſt liquidiſſima, & planiſſima; ſed intricata, & aſpera valde, ſi obſequimur Manutio. Sed tamen, invitis omnibus libris, nihil ſum auſus immutare. *Grav.*

6 *Qui ad ſapientiam*] Qui pravis affectibus minimum indulſerunt, & omnis officii ſummum ſtudium habuerunt, etiamſi alicubi errarent, & laberentur, quod humanum eſt. *Manut.*

7 *Videmus*] Sic legendum eſſe pro *vidimus*, quod vulgati præ ſe ferant; oſtendit Rogerius ex duobus MSS. antiquiſſimis, necnon ex Ciceronis conſuetudine loquendi, qui *vidimus* utatur de tempore, in quo vixerunt ſermocinantes, *videmus*, de longe remotis à noſtra ætate temporibus. Ut in Bruto: *Videmus, inquit, paucis annis poſt regis exo aſſos. Grav.*

8 *Papum Æmilium*] Q. Æmilius Papus conſul fuit cum C. Fabricio Luſcino anno U. C. 471. Iterum quarto poſt anno. Cenſores una fuerunt anno 478. *Lamb.*

9 *Contendiſſe*] Vehementer petiiſſe.

10 *Impetraturum non fuiſſe*] Oſtendere vult bonitatem utriuſque; tum contendentis, quem negavit contra æquitatem aliquid ab amico exſaturum; tum ejus, unde contenditur, à quo itidem negat tale quid impetratum iri. *Gronov.*

illi

illi ſanctiſſimi viri fuerint: æque autem nefas ſit, tale aliquid & facere rogatum, & rogare. At vero Ti. Gracchum ſequebantur [1] C. Carbo, [2] C. Cato, & [3] minimus tum quidem Cajus frater, nunc idem [4] acerrimus.

12. Hæc igitur lex in amicitia ſanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. turpis enim excuſatio eſt, & minime accipienda, cum in cæteris peccatis, tum ſi quis contra remp. ſe amici cauſa feciſſe fateatur. Etenim [5] eo loco, Fanni, & Scævola, locati ſumus, ut nos longe [6] proſpicere oporteat futuros caſus reipublicæ. deflexit enim jam aliquantulum [7] de ſpatio, [8] curriculoque conſuetudo majorum. T. Gracchus regnum occupare conatus eſt, vel regnavit is quidem paucos menſes. Num quid ſimile populus Romanus audierat, [9] aut viderat? Hunc etiam poſt mortem ſecuti amici, & propinqui, quid in [10] P. Naſicam Scipionem effecerint, ſine lacrymis non queo dicere. nam Carbonem, quoque modo potuimus, [11] propter recentem pœnam T. Gracchi, [12] ſuſtinuimus. De C. Gracchi autem tribunatu

1 *C. Carbo*] Vir eloquentiſſimus, at ſeditioſus, qui & vivi, & mortui Tiberii factionem perpetuo ſecutus erat. Interfecto Cajo, non modo jure cæſum eum dixit, ſed etiam Opimium interfectorem ad populum defendit: ad optimates reverſus eſt: conſul etiam factus. Cicer. de oratore. *Lang.*

2 *C. Cato*] Quo modo Ti. partes ſit ſecutus, nihil habeo explorati. Sane, cum Porcia gens domeſtica quadam ſeveritate nobilium impotentiæ ſemper ſeſe oppoſuerit, & velut ſuffiamen quoddam effrænatæ eorum libidini injecerit, non alienum videtur C. Catonem Gracchos potius ſecutum, quam Scipiones totis niſibus legi agrariæ adverſantes. *Lang.*

3 *Minimus tum Cajus*] Hoc eſt, Leniſſimus, minime vehemens. Poteſt etiam ad ætatem reſpexiſſe. *Guilielm.*

4 *Acerrimus*] Partium fratris propugnator. *Grav.* In tribunatu plebis, quem gerebat hoc anno, quo hic ſermo habitus à Lælio fingitur. *Manut.* Infra: *De C. Gracchi autem tribunatu, quid expetlem, non libet augurari.*

5 *Eo loco locati ſumus*] Magiſtratuum dignitate honeſtamur, quorum officium eſt, cavere, ne quid detrimenti capiat Reſpublica.

6 *Proſpicere futuros caſus*] Ex præteritorum memoria, & præſentium conjecturis futura colligere. *Manut.*

7 *De ſpatio*] Scilicet virtutis, & integritatis: exceſſimus quaſi limites honeſtæ diſciplinæ à majoribus præfinitos. *Wolf.*

8 *Curriculo*] Metaphora à ſtadiis, curruumque certamine. *Manut.*

9 *Aut viderat*] Regnavit enim nemo poſt ejectos reges. *Manut.* Sp. Mælius affectarat quidem regnum, ſed non regnavit, uti Gracchus regnavit aliquot menſes. *Grav.*

10 *P. Naſicam Scipionem*] Qui à Gracchana factione per ſpeciem liberæ legationis in exilium actus fuit. *Wolf.*

11 *Propter recentem pœnam T. Gracchi*] Ne plebs ex recente Gracchi interitu illius cæde nimium exaſperaretur. *Grav.*

12 *Suſtinuimus*] Paſſi ſumus Carbonem impune plebem in Senatum concitantem.

[1] quid

[1] quid expectem, non libet [2] augurari. [3] Serpit deinde res, quæ proclivius ad perniciem, cum semel cœpit, labitur. Vi[4] detis [4] in tabella jam ante [5] quanta sit facta labes, primo [6] Gabinia lege, biennio autem post, [7] Cassia. Videre jam videor populum à senatu disjunctum; multitudinisque arbitrio res maximas agi. [8] plures enim discent, [9] quemadmodum hæc fiant, quam quemadmodum his resistatur. Quorsum hæc? quia sine sociis nemo quidquam tale conatur. Præcipiendum est igitur bonis, ut, si in ejusmodi amicitias ignari casu aliquo incíderint, ne existiment, ita se alligatos, ut ab amicis, magna aliqua re in remp. peccantibus, non discedant: improbis autem pœna statuenda est; nec vero minor ils, qui secuti erunt alterum, quam ils, qui ipsi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Græcia Themistocle? quis potentior? qui, cum imperator bello Persico servitute [10] Græciam liberasset, propterque invidiam in exilium pulsus esset, ingratæ patriæ injuriam [11] non tulit, [12] quam ferre debuit. [13] fecit idem, quod xx annis ante apud nos fecerat [14] Coriolanus. his adjutor

1 *Quid expectem*] An exitum status sit habiturus. Cæsus est ab Opimio consule, cum secum Resp. convellere conaretur. *Manut.*

2 *Augurari*] Signis quibusdam Resp. perniciem videre. *Idem.* Inhuli C. Gracchum eadem fore importunitate, qua fuerat frater ejus Tiberius. *Wolf.*

3 *Serpit deinde res*] Malum exemplum perniciem multis affert, cum id multi imitantur. *Idem.*

4 *In tabella*] Lex tabellaria lata fuerat, ut ambitus inhiberetur: cum candidati scire non possent, quorum suffragiis adjuti, aut destituti essent. *Idem.*

5 *Quanta sit facta labes*] Sic lib. 3. de legibus: *Quis non sentit sublatis omnem optimatium tabellarium legem abstulisse?* Improbat quoque tabellas Plinius lib. 3. epist. 20. *Est periculum, ne tacitis suffragiis impudentia irrepat. Nam quoto cuique eadem honestatis cura fuerit, qua palam? Multi famam, conscientiam pauci verentur.* Hac lege tabellaria cautum est, ut populus non voce, sed puncto in tabellam facto suffragia ferret. Unde Horatius: *Omne vafer punctum*, id est, omnium tribuum suffragium habuit.

6 *Gabinia lege*] Gabinia tabellaria de magistratibus lata fuit à Gabinio, tribuno plebis, Cn. Calpurnio Pisone, M. Pupillio Lætato, consulibus, anno U. C. DCXIV. *Grav.*

7 *Cassia*] Lata fuit à L. Cassio, M. Æmilio Lepido Porcina, & C. Hostilio Mancino, consulibus, anno U. C. DCXVI. *Grav.*

8 *Plures enim discent*] Quia plures mala exempla imitantur, quam bona. *Wolf.*

9 *Quemadmodum hæc fiant*] Id est, Quibus artibus sit concilianda plebs, & contra Senatum concitanda. *Manut.*

10 *Græciam liberasset*] Ejus enim virtute, & consiliis Persis navali prælio devictis, Xerxes, ro infesta, pari damno, & ignominia, suo excessu Græciam belli molestia levavit. *Idem.*

11 *Non tulit*] Id est, Non æquo animo, sed ægre tulit.

12 *Quam ferre debuit*] Nam patriæ caritas injuriæ dolorem superare debet. Sic Camillus Romam eversam, qua per injuriam exulabat, in integrum restituit. *Manut.*

13 *Fecit idem, quod*] Ad hostem se contulit. *Idem.*

14 *Coriolanus*] Qui Volscorum dux electus Romam perterruit.

contra patriam inventus est nemo. itaque mortem sibi uterque conscivit. Quare talis improborum consensio non modo excusatione amicitiæ tegenda non est, sed potius omni supplicio vindicanda: ut ne quis sibi concessum putet amicum vel bellum patriæ inferentem sequi, quod quidem, ut res cœpit ire, haud scio, an aliquando futurum sit. mihi autem non minori curæ est, qualis respub. post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit.

13. Hæc igitur prima lex amicitiæ sanciatur, ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus: [1] nec expectemus quidem, dum rogemur: studium semper adsit: [2] cunctatio absit: consilium vero dare gaudeamus [3] libere: plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas: eaque & [4] adhibeatur ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit: & adhibitæ pareatur. Nam quibusdam, quos audio sapientes habitos in Græcia, placuisse opinor [5] mirabilia quædam. sed nihil est, [6] quod illi non persequantur suis argutiis: partim [7] fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus: satis, superque esse sibi suarum cuique rerum: alienis nimis implicari molestum esse: commodissimum esse quam laxissimas habenas habere amicitiæ; quas vel adducas, cum velis, vel remittas. caput enim esse ad beate vivendum [8] securitatem; qua frui non possit animus, si tanquam partu-

1 *Nec expectemus, dum rogemur*] *Optimum est antecedere desiderium cujusque, proximum sequi: illud melius, occupare, antequam rogemur: quia, cum homini probo ad rogandum os concurrat, & suffundatur rubor, qui hoc tormentum remiserit, multiplicat munus suum.* Sic Seneca.

2 *Cunctatio absit*] Sic distichon Græcum:

Ὠκείαις χάρισιν γλυκερώτερος, ἢν ὁ βραδύνῃ,
Πάσης χάριτος κεῖται, μηδὲ λίγοντο χάρις.

3 *Libere*] Μετὰ παῤῥησίας. sine offensæ, aut privati incommodi metu. *wlf.*

4 *Adhibeatur ad monendum*] Sic Homerus:

— Ἀγαθὴ δ' ἦν παραφαίνεσθαι ἐπαρκεῖν.

5 *Mirabilia quædam*] Παράδοξα Stoicorum, Academicorum, & Epicuræ quædam dogmata. *Manut.*

6 *Quod illi non persequantur suis argutiis*] Quia & abundant otio, & novitate auditorum fastidiis conantur occurrere, aut ambitione, & spe quæstus impulsi novi auctores haberi volunt. *wlf.*

7 *Fugiendas esse nimias amicitias*] Non loquitur Cicero de φιλοφιλίᾳ, sed de amicitia nimia, quæ cum uno, aut pluribus contrahitur, ut sua quasi alter ego, & omnia amici bona, malaque tua ducas. De qua loquitur etiam Martialis in trito illo epigrammate:

Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animæ cavere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem:
Gaudebis minus, & minus dolebis. Grav.

8 *Securitatem*] Εὐθυμίαν. Cum animus

riat unus pro pluribus. Alios autem dicere aiunt multo etiam inhumanius (quem locum breviter perstrinxi paulo ante) præsidii, adjumentique causa, non benevolentiæ, neque caritatis, amicitias esse expetendas. itaque ut quisque minimum firmitatis habeat, minimumque virium, ita amicitias appetere maxime. ex eo fieri, ut mulierculæ magis amicitiarum præsidia quærant, quam viri; & inopes, quam opulenti; & calamitosi, quam ii, qui putentur beati. O præclaram sapientiam! Solem enim è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt: qua à Diis immortalibus nihil mellus habemus, nihil jucundius. quæ est enim ista securitas? specie quidem blanda, sed reapse multis locis repudianda. neque enim est consentaneum, ullam honestam rem, actionemve, [1] ne sollicitus sis, aut non suscipere, aut susceptam deponere. quod si curam fugimus, virtus fugienda est: quæ necesse est, cum aliqua cura res sibi contrarias asperneturatque oderit; ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignaviam fortitudo. Itaque videas rebus injustis justos maxime dolere, imbecillibus fortes, flagitiosis modestos. Ergo hoc proprium est animi bene constituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrariis. Quamobrem si cadit in sapientem animi dolor (qui profecto cadit, nisi ex ejus animo extirpatam humanitatem arbitremur) quæ causa est, cur amicitiam funditus tollamus è vita, ne aliquas propter eam suscipiamus molestias? Quid enim interest, [2] motu animi sublato, non dico inter hominem, & pecudem, sed inter hominem, & saxum, aut truncum, aut quidvis generis ejusdem? neque enim sunt isti audiendi, qui virtutem [3] duram, & quasi ferream esse volunt, quæ quidem est cum multis in rebus, tum in amicitia, tenera, atque tractabilis. [4] ut

mus tranquillus est, & in suis rebus acquiescens nec sperat, nec metuit quidquam, aut certe quam minimum. *Manut.* Tranquillitatem animi, quam amici res adversæ turbent. Qua in sententia videntur fuisse Cyrenaici. *Grav.*

1 *Ne sollicitus sis*] Præ sollicitudinis, & molestiarum metu.

2 *Motu animi sublato*] Affectibus sublatis: si homo neque gaudeat, neque doleat, neque amet, neque oderit, neque appetat, neque formidet quidquam. *Manut.*

3 *Duram, & quasi ferream esse volunt*] Ut Stoici, qui sapientem nec misereri, nec ingemiscere aliorum malis, nec gaudere bonis volebant. *Grav.*

4 *Ut & bonis amici quasi diffundantur*] Locutio familiaris Ciceroni: Ut homines inter se *bonis amici*, id est, amico suo obvenientibus, *diffundantur*, id est, lætitia quasi effundantur animo. *Lang.*

& bonis amici quasi diffundantur, & incommodis [1] contrahantur. Quamobrem [2] angor iste, qui pro amico sæpe capiendus est, non tantum valet, ut tollat è vita amicitiam: non plus, quam ut virtutes, quia nonnullas curas, & molestias afferunt, repudientur.

14. Cum autem contrahat amicitiam (ut supra dixi) si qua significatio virtutis eluceat, ad quam se similis animus applicet, & adjungat; id cum contingit, amor exoriatur necesse est. quid enim tam absurdum, quam delectari multis [3] inanibus rebus, ut [4] honore, ut [5] gloria, ut [6] ædificio, ut vestitu, cultuque corporis: [7] animo autem virtute prædito, eo, qui vel [8] amare, vel (ut ita dicam) redamare possit, non admodum delectari? nihil est enim remuneratione benevolentiæ, nihil vicissitudine studiorum, officiorumque jucundius. Quod si etiam illud addimus, quod recte addi potest, nihil esse, quod ad se rem ullam tam [10] illiciat, & tam [11] attrahat, quam ad amicitiam [12] similitudo; concedetur profecto verum esse, ut bonos boni diligant, [13] adsciscantque sibi quasi propinqui-

In eadem notione *diffundi* est apud Ovid. lib. 3. Metamorph.

Forte Jovem memorant diffusum nectare curas
Sedisse graves, vacuoque agitasse remisso
Cum Junone joco. —

Et lib. 4.

Pollicitusque opulis fundi, genetrici muneris Bacchi
Diffudere animos. — *Grav.*

1 *Contrahantur*] Mœrore. *Manut.*

2 *Angor*] In Tusculanis *ægrorem* definit, *ægritudinem prementem. Wolf.*

3 *Inanibus rebus*] Quarum possessio neque meliorem reddit, neque beatiorem. *Manut.*

4 *Honore*] Qui non tam ejus est, cui habetur, quam illius, qui habet alteri: non tam honorati, quam honorantis. *Wolf.*

5 *Gloria*] Quæ est fama de præstanti alicujus virtute, & sapientia. *Manut.*

6 *Ædificio, vestitu*] Quæ serviunt necessitati, & commoditati corporis. *Wolf.*

7 *Animo virtute prædito*] Summo scilicet naturæ humanæ in terris bono. *Idem.*

8 *Amare*] Nam amicitia ex amore nascitur, ut ait Pausanias in convivio Platonis. *Manut.*

9 *Ut ita dicam, redamare*] Excusat verbi novitatem. Nam *redama* insuetum. Græci ἀντερᾶν. *Idem.*

10 *Illiciat*] Suavitate quadam, & quasi blanditiis. *Idem.* Vulgati legunt, *alliciat*: minus bene. Sic Plautus Aululariæ: *Is me ad illam illexit. Gruter.*

11 *Attrahat*] Insita quædam Naturæ vi, cui vel inviti homines parere solent. *Wolf.*

12 *Similitudo*] Ingeniorum, morum, studiorum. Similitudo quoque fortunarum, & corporum, eadem natio, & civitas, & alia, quæ in benevolentiæ, & beneficentiæ officiis considerantur. *Manut.*

13 *Adsciscantque sibi*] Id est, Eorum consuetudinem, & familiaritatem expetant. *Wolf.*

tate

tate conjunctos, atque natura. nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura. Quamobrem hoc quidem, Fanni, & Scævola, constat (ut opinor) bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam esse: [1] qui est amicitiæ fons à natura constitutus. sed [2] eadem bonitas etiam ad multitudinem [3] pertinet. non est enim inhumana virtus, neque [4] immunis, neque superba: quæ etiam populos universos tueri, eisque optime consulere soleat: quod non faceret profecto, [5] si à caritate vulgi abhorreret. Atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatis causa fingunt amicitias, [6] amabilissimum nodum amicitiæ tollere. non enim tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat: tumque illud fit, quod ab amico est profectum, jucundum, si cum studio est profectum: tantumque abest, ut amicitiæ propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus, & copiis, maximeque virtute præditi (In qua plurimum est præsidii) minime alterius indigeant, liberalissimi sint, & beneficentissimi. Atque [7] haud scio, an ne opus sit quidem, nihil unquam omnino deesse amicis. Ubi enim studia nostra viguissent, si nunquam consilio, nunquam opera nostra nec domi, nec militiæ Scipio eguisset? non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consecuta est.

1 *Qui est amicitiæ fons*] Ut ad benevolentiam referatur. *Manut.*

2 *Eadem bonitas*] Quasi dicat: Etsi idem pluribus amicus esse vix potest, nihil tamen prohibet, quo minus omnibus bene velit, consultumque cupiat. *Wolf.*

3 *Pertinet*] Extendit sese. Boni viri amant consociationem totius generis humani. *Idem.*

4 *Immunis*] Festus: *Immunis aliquando improbus.* Plautus: *Immune est facinus. Lamb.* Quo modo fortasse etiam apud Horatium accipiendum est Od. 23. lib. 3. *Immunis aram si tetigit manus. Lambin.* Sed ista significatio vocis *immunis*, si unquam eam habuit, non potest accommodata esse huic loco. Quis enim sanus dixerit, virtutem *improbam* non esse? Qui enim, quod improbum est, potest dici virtus? *Neque immunis* significat, Non est otiosa, & suis tantum commodis intenta, alios non curans; sed negotiosa est, & extenditur, & late diffunditur ad totum populum, quem benevolentia complectitur, & cujus utilitatibus, quia ei bene cupit, invigilat. *Grav.* Expers munerum civilium, nihil conferens ad communem utilitatem. *Wolf. Immunem* dixit, quod abhorreat à communi functione vitæ, quemadmodum olim Philosophi, & hodie Monachi quidam. *Erasm.*

5 *Si à caritate vulgi abhorreret*] Id est, si virtus non diligeret vulgus hominum, sed potius odisset, atque contemneret. *Wolf.*

6 *Amabilissimum nodum*] Maximum fructum, amorem scilicet, & benevolentiam. *Idem.* Ab hujusmodi nominibus raro videmus superlativa. *Erasm.*

7 *Haud scio, an ne opus sit*] Id est, Fortassis commodum est, amicos aliqua re egere; quia mutuis officiis amicitia & declaratur, & augetur. *Wolf.*

15. Non

15. Non ergo erunt homines deliciis diffluentes audiendi, si quando de amicitia, quam [1] nec usu, nec [2] ratione habent cognitam, disputabunt. Nam quis est (pro Deum fidem, atque hominum!) qui velit, ut neque diligat quemquam, nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere? hæc enim est tyrannorum vita: in qua nimirum nulla fides, nulla caritas, [3] nulla stabilis benevolentiæ potest esse fiducia. [4] omnia semper suspecta, atque sollicita: nullus locus amicitiæ. quis enim aut eum diligat, quem metuit: aut eum, à quo se metui putat? Coluntur tamen simulatione [5] duntaxat ad tempus. quod si forte (ut fit plerumque) ceciderint, tum intelligitur, [6] quam fuerint inopes amicorum. quod Tarquinium dixisse ferunt tum exulantem, se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, cum jam neutris gratiam referre posset. quanquam miror illa superbia, & [7] importunitate si [8] quemquam habere potuit. Atque ut hujus, quem dixi, mores veros amicos parare non potuere, sic multorum opes præpotentium excludunt amicitias fideles. non enim solum ipsa fortuna cæca est, sed eos etiam plerumque [9] efficit cæcos, quos complexa est. Itaque [10] efferuntur illi fere [11] fastidio, &

1 *Nec usu*] Quia ex animo neque amant quemquam, neque amantur. *Idem.*

2 *Ratione*] Id est, Doctrina, & institutione. *Manut.*

3 *Nulla stabilis*] *Nulla sanctæ societati, nec fides regni est. Idem.*

4 *Omnia suspecta*] Hinc Dionysius Siculus barbam ne filiabus quidem tondendam credere ausus fuit. *Idem.*

5 *Duntaxat ad tempus*] Dum aut res illis secundæ sunt, aut fructum aliquem ex eorum familiaritate se percepturos esse sperant. *wolf.*

6 *Quam fuerint inopes amicorum*] Id est, Quam paucos, ac nullos potius habuerint amicos. *Idem.*

7 *Importunitate*] A quo nihil æqui posset impetrari, nihil præsidii sperari, nisi ipsi collibitum esset. Etsi *importunitas* pro morum perversitate, & insolentia sæpe usurpatur. *Idem.*

8 *Quemquam*] Scilicet fidum amicum, cum præ se omnes despiceret, atque injuriis afficeret. *Idem.* Non Tarquinii tantum, & Tyranni, sed & fere reges omnes, ac principes fidos amicos non habent. Vera sunt utique illa in Hercule Oetæo apud Senecam:

Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulset,
Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix unus fidus. Grav.

9 *Efficit cæcos, quos complexa est*] Nihil certius. Etenim

Fortuna, nimium quem fovet, stultum facit.

Ut scite P. Syrus Mimus. *Grav.*

10 *Efferuntur*] Superbire incipiunt. Langius legit, *efferantur*: hoc est, Extirpata ex eorum animis humanitate, in feras degenerant, quæ impetu feruntur, non ratione gubernantur. *wolf.*

11 *Fastidio*] Metaphora à stomacho plerosque cibos cum nausea quadam rejiciente. Significat morositatem, cui satisfacere nemo potest, τὸ δύσκολον. *Manut.*

1 contu-

[1] contumacia: neque quidquam insipiente fortunato intolerabilius [2] fieri potest. Atque hoc quidem videre licet, eos, qui antea commodis fuerunt moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari, [3] spernique ab iis veteres amicitias, [4] indulgere novis. Quid autem stultius, quam, cum plurimum copiis, facultatibus, opibus possint, cætera parare, quæ parantur pecunia, equos, famulos, vestem egregiam, vasa pretiosa: amicos non parare, optimam, & [5] pulcherrimam vitæ (ut ita dicam) supellectilem? etenim cætera cum parant, cui parent, nesciunt, nec cujus causa laborent. ejus enim est istorum quidque, qui vincit viribus: amicitiarum sua cuique permanet stabilis, & certa possessio: ut, etiam si illa maneant, quæ sunt quasi dona fortunæ, tamen vita inculta, & deserta ab amicis, non possit esse jucunda. Sed hæc hactenus.

16. Constituendi autem sunt, qui sint in amicitia fines, & quasi [6] termini diligendi: de quibus tres [7] video sententias ferri; quarum nullam probo: unam, ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmetipsos: alteram, ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentiæ pariter, æqualiterque respondeat: tertiam, ut, quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis. Harum trium sententiarum nulli prorsus assentior. nec enim illa prima vera est, ut, quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus. [8] quam multa enim, quæ nostra causa nunquam faceremus, facimus causa amicorum? precari ab indigno, supplicare; tum acerbius in aliquem invehi, insectarique vehementius: quæ

1 *Contumacia*] Dum se solos sapere putant, aliorum consilia non audiunt, sed derident, atque contemnunt. *Wolf.* Superbos autem, & arrogantes non aptos esse ad amicitiam colendam, ostendit Themistius orat. de amicitia. *Grav.*

2 *Fieri*] Dictum videtur pro, *esse*, Græcorum more. *Erasm.*

3 *Sperni ab iis*] Quod sint impares dignitate. *Manut.*

4 *Indulgere novis*] Ut eorum similes habeantur, quorum consuetudine utuntur. *Wolf.*

5 *Pulcherrimam vitæ supellectilem*] Unde vetus Tragicus:

Οὐκ ἔστ' ἐδώδιμον κτῆμα κάλλιον φίλου.

Et rursus:

Φίλους ἔχειν νόμιζε θησαυρὸς ἔχειν.

6 *Termini diligendi*] Pro, undique eligendi. *Erasm.* Hoc est, Amandi termini, seu amoris. *Grav.* Quousque dilectio, & amor progredi, & quam late patere debeat. *Wolf.*

7 *Video*] E doctorum scriptis cognovi. *Manut.*

8 *Quam multa enim*] Rectius hoc, quam Theologi quidam, qui docent ordinem caritatis. *Erasm.*

in

in noſtris rebus non ſatis honeſte, in amicorum fiunt honeſtiſſime: multæque res ſunt, in quibus de ſuis commodis viri boni multa [1] detrahunt, [2] detrahique patiuntur, ut iis amici potius, quam ipſi fruantur. [3] Altera ſententia eſt, quæ definit amicitiam paribus officiis, ac voluntatibus. hoc quidem eſt nimis exigue, & exiliter [4] ad calculos vocare amicitiam, ut par ſit ratio acceptorum, & datorum. Ditior mihi, & affluentior videtur eſſe vera amicitia: nec obſervare reſtricte, ne plus reddat, quam acceperit. [5] neque enim verendum eſt, ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat, aut ne plus æquo quid in amicitiam congeratur. Tertius vero ille finis determinat, ut, quanti quiſque ſe ipſe faciat, tanti fiat ab amicis. ſæpe enim in quibuſdam aut animus abjectior eſt, aut ſpes amplificandæ fortunæ fractior. non eſt igitur amici, talem eſſe in eum, qualis ille in ſe eſt: ſed potius eniti, & efficere, ut amici jacentem animum excitet, inducatque ſpem, cogitationemque meliorem. Alius igitur finis veræ amicitiæ conſtituendus eſt, ſi prius, quid maxime reprehendere Scipio ſolitus ſit, [6] edixero. Negabat ullam vocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quam ejus, qui dixiſſet, [7] ita amare oportere, ut ſi aliquando eſſet oſurus. nec vero ſe adduci poſſe, ut hoc, quemadmodum putaretur, à Biante eſſe dictum crederet, qui ſapiens habitus eſſet [8] unus è

1 *Detrahunt*] Utro concedunt amicis ea, quæ ad ipſos potius pertinent. *Manut.*

2 *Detrahi patiuntur*] Scilicet ab iis, qui in partem amicorum ſunt propenſiores. *Wolf.*

3 *Altera ſententia*] Id eſt, Alii ſentiunt, in amicitia paria officia eſſe debere. *Idem.*

4 *Ad calculos vocare*] Rationem inire, & æſtimare. *Manut.*

5 *Neque enim verendum*] Sic Martialis:

Extra Fortunam eſt, quicquid donatur amico:
Quæ dederis, ſolas ſemper habebis opes.

6 *Edixero*] Videtur uſurpaſſe pro, dixero. *Eraſm.* Expoſuero, præcepero. Habet enim hoc verbum jubendi auctoritatem: unde *edicta* prætorum, & principum. *Wolf.*

7 *Ita amare oportere*] Male Cicero hic à Rogerio reprehenditur, & Biantis ſententia laudatur. Cicero enim loquitur de vera, & perfecta amicitia virorum bonorum, & virtute præditorum, in quam ſane hæc cadere non poſſunt, nec quicquam accidere, quod odium parere poſſit: quia ſapiens, & vir bonus ſemper ſibi conſtat. De vulgari autem amicitia, qualis vulgo colitur ab hominibus, ſi Bias loquitur, recte utique loquitur. Fronti enim nulla fides. *Grav.*

8 *Unus è ſeptem*] Is tripodi aureum, ab Athenienſibus piſcatoribus inventum, ad ſe, tanquam ſapientem, delatum repudians ad Apollinem deferri juſſit. *Manut.*

ſeptem,

ſeptem, ſed [1] impuri cujuſdam, aut [2] ambitioſi, aut omnia [3] ad ſuam potentiam revocantis eſſe ſententiam. Quonam enim modo quiſquam amicus eſſe poterit, cui ſe putabit inimicum eſſe poſſe? quinetiam neceſſe erit cupere, & [4] optare, ut quam ſæpiſſime peccet amicus, quo plures det ſibi tanquam anſas ad reprehendendum: rurſum autem recte factis, commodiſque amicorum neceſſe erit angi, dolere, invidere, quare hoc quidem præceptum, cujuſcunque eſt, ad tollendam amicitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis comparandis, ut nequando amare inciperemus eum, quem aliquando odiſſe poſſemus. quinetiam, ſi minus felices in deligendo fuiſſemus, ferendum id Scipio potius, quam inimicitiarum tempus cogitandum, putabat.

17. His igitur finibus utendum arbitror, ut, cum [5] emendati mores amicorum ſint, tum ſit inter eos omnium rerum, [6] conſiliorum, voluntatum, ſine ulla exceptione communitas: ut, etiam ſi qua fortuna acciderit, ut minus juſtæ amicorum voluntates adjuvandæ ſint, in quibus eorum aut [7] caput agatur, aut fama, [8] declinandum ſit de via, modo ne ſumma turpitudo ſequatur. eſt enim, quatenus amicitiæ dari

1 *Impuri*] Id eſt, Hominis ſordidi, & avari, qui lucro omnia poſtponat. *Wolf.*

2 *Ambitioſi*] Qui gloriolam, & honores pluris faciat, quam virtutem. *Manut.*

3 *Ad ſuam potentiam revocantis*] Hominis oligarchici, & tyrannici. *Wolf.*

4 *Optare, ut quam ſæpiſſime peccet*] Hæc Ciceronis ratio non facit ad Biantem impugnandum. Negabit Bias ſe optare, ut amicus, quem ſic amat, tanquam accidere poſſet, ut odio aliquando proſequatur, peccet, & occaſionem habeat eum reprehendendi: imo hoc non optabit, ſed ut amicus ſic vivat, ut ſemper cum illo poſſit amicitiam initam colere ſine querela, & reprehenſione: ſed tamen ſemper cogitabit eum, tanquam hominem non perfectum, poſſe immutari: itaque nihil ei committendum eſſe, quod, ſi alienetur à te, tibi aut noxium, aut turpe poſſit eſſe. *Orav.*

5 *Emendati*] Ab iis vitiis alieni, quæ amicitiæ adverſantur. Ut perfidia, levitas, avaritia, ambitio, & ſimiles pravi affectus: quos qui extirpare non poſſunt, moderari ſaltem, & velare ſtudeant. *Manut.*

6 *Conſiliorum, voluntatum communitas*] Ut conferant conſilia inter ſe: & ut idem velint, atque idem nolint. *Idem.*

7 *Caput agatur, aut fama*] Longe aliud dicit, qui ita dicit, *agitur caput, res, fortuna, honor*: aliud qui, *agitur de capite, re, fortunis, honore*. Ille ſignificat, caput, rem, fortunas, honorem in diſcrimen eſſe adducta: hic, de capite, re, fortunis, honore conſultari, aut ſermonem haberi. *Lambin.*

8 *Declinandum ſit de via*] A ſummo jure nonnihil recedendum. *Manut.* Sic Cicero *declinavit de via*, cum Milonem, amicum ſuum, defendit, quem ſciebat ea voluntate fuiſſe, ut Clodium occideret, ſi ſe Lanuvium ituro in via offerret: eum tamen probavit inſidias non feciſſe. Sic M. Antonius orator C.

venia possit, nec vero [1] negligenda est fama: nec mediocre [2] telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium: quam [3] blanditiis, & assentando colligere turpe est. virtus, quam sequitur caritas, minime repudianda est. Sed sæpe (etenim redeo ad Scipionem, cujus omnis sermo erat de amicitia) querebatur, quod omnibus in rebus homines diligentiores essent; ut capras, & oves quot quisque haberet, dicere posset: amicos quot haberet, non posset dicere: & in illis quidem parandis adhibere curam, in amicis eligendis negligentes esse: nec habere [4] quasi signa quædam, & notas, quibus eos, qui ad amicitiam essent idonei, judicarent. Sunt igitur firmi, & stabiles, & constantes eligendi: cujus generis est [5] magna penuria: & judicare difficile est [6] sane, nisi expertum. experiendum autem est in ipsa amicitia. ita præcurrit amicitia judicium, tollitque experiendi potestatem. Est igitur prudentis, sustinere, ut currum, sic impetum benevolentiæ: quo utamur, [7] quasi equis tentatis, sic amicitiis, aliqua parte [8] periclitatis moribus amicorum. Quidam sæpe [9] in parva pecunia perspiciuntur, quam sint leves: quidam, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna. sin vero erunt aliqui reperti, qui pecuniam præferre

Narbanum, qui tribunus plebis seditionem excitarat, contra P. Sulpitium, qui eum accusavit, defendit, quia amicus ejus erat. *Grav.*

1 *Negligenda est fama*] Propter amicum: non est infamia suscipienda, quam hominum odium sequitur. Nam sic plus tibi noceres, quam amico prodesses. *Manut.*

2 *Telum*] Instrumentum. Nam telo adsequimur, quod ferimus. *Erasm.*

3 *Blanditiis, & assentando*] Quibus populares populi auram captabant. *Manut.*

4 *Quasi signa quædam*] Alludit ad eos, qui vaccas, equos, & alia jumenta emunt, qui ætatem, bonitatem, aut vitia certis quibusdam signis dignoscunt. *Manut.* Virgilius generosi pecoris signa enumerat:

— *Ardua cervix,*
Argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga:
Luxuriatque toris animosum pectus: honesti
Spadices, glaucique. —

5 *Magna penuria*] Ergo non temere fidendum. *Manut.*

6 *Sane*] Castigantis est. *Lang.*

7 *Quasi equis tentatis*] Nam, ut modice tentatus equos prius, quam laxemus illis frænos ad cursum, ita non statim recenti amico per omnia fidendum. *Erasm.* *Equum tentamus*, id est, ad cursum, & alia flammatimus, ut periclitemur, si cursu valet, si sessorem patitur, si ore contumaci non est, si verberas faciles præbet, si succussor non est, & alia ejusmodi, quibus cognitis eo vel utamur, vel ipsum repudiemus. Sic amicorum mores periclitandi. *Lang.*

8 *Periclitatis*] Passive dixit, pro, expertis, experimento probatis. *Erasm.*

9 *In parva pecunia perspiciuntur*] Ideo avaros non esse amicos deligendos docet Aristides in oratione de amicitia. *Grav.*

amici-

amicitiæ ſordidum exiſtiment, ubi eos inveniemus, qui honores, magiſtratus, imperia, poteſtates, opes amicitiæ non anteponent? ut, cum ex altera parte propoſita hæc ſint, ex altera jus amicitiæ, non multo illa malint? [1] imbecilla enim natura eſt ad contemnendam potentiam: quam etiam ſi neglecta amicitia conſecuti ſunt, [2] obſcuratum iri ſe arbitrantur, quia non ſine magna cauſa ſit neglecta amicitia. Itaque [3] veræ amicitiæ difficillime reperiuntur in iis, qui in honoribus, reque publica verſantur. Ubi enim iſtum invenias, qui honorem amici anteponat ſuo? Quid? hæc ut omittam, quam graves, quam difficiles pleriſque videntur [4] calamitatum ſocietates? ad quas [5] non eſt facile inventu, qui deſcendant. Quanquam Ennius recte:

Amicus certus [6] in re incerta cernitur:

tamen hæc duo levitatis, & infirmitatis pleroſque convincunt: aut [7] ſi in bonis rebus contemnunt, aut in malis deſerunt.

18. Qui igitur utraque in re gravem, conſtantem, ſtabilem ſe in amicitia præſtiterit, hunc ex maxime raro hominum genere judicare debemus, & pene divino. Firmamentum autem ſtabilitatis, conſtantiæque eſt ejus, quam in amicitia quærimus, [8] fides. Nihil enim eſt ſtabile, quod infi-

1 *Imbecilla natura eſt ad contemnendam potentiam*] Hinc & ambitioſos, & gloriæ nimis cupidos fugiendos eſſe cenſet idem Ariſtides dicto loco. *Grav.*

2 *Obſcuratum iri ſe arbitrantur*] Quaſi dicat, Emolumenti magnitudinem ſuiſſe obtentui eſſe futuram accuſationi neglectæ amicitiæ. *Lamb.* Putant culpam neglectæ amicitiæ honores, magiſtratus, potentiam, obſcuratam eſſe, & infamiam illam exinſtare, quia res magna ſit, propter quam amicitiam negligi non habeat indecorum. *Grav.*

3 *Veræ amicitiæ difficillime reperiuntur*] Infinita in omni memoriæ annalibus occurrunt exempla. Quis ignorat amicitiam & primorum, & locupletum Triumvirorum infidam? *Grav.*

4 *Calamitatum ſocietates*] Nam amicis in omni fortuna ſerviendum. *Grav.*

5 *Non eſt facile inventu, qui deſcendant*] *Inventu* ſupinum eſt, eandem caſum regens, quem verbum, unde oritur. Perinde ac, ſi diciſſet, Non eſt facile eos inveniri, qui deſcendant. *Lamb.* Sic Euripides in Electra:

Ὦ τέκνον, εἰ τὸν ἐσθλὸν εὑρεῖν ἐστι δύσκολον.

Ovidius, aliique quoties de amicorum penuria in rebus adverſis querunter? *Grav.*

6 *In re incerta*] In periculo. *Manut.* Sic Plautus in *re dubia amicum reperiſti* dicit. *Dubia res* ſæpe appellantur, tantum non deſperatæ. *Lamb.*

7 *Si in bonis*] Si vel in ſecundis ſuis rebus amicos contemnunt, vel in amicorum adverſis fidem mutant.

8 *Fides*] Οὐ γὰρ ἐστὶν ἄλλου τινὸς φύλαξ βέβαιος, auctore Ariſtotele.

dum eſt. [1] Simplicem præterea, & [2] communem, & [3] conſentientem, & qui rebus iiſdem moveatur, [4] eligi par eſt: quæ omnia pertinent ad fidelitatem. neque enim fidum poteſt eſſe multiplex ingenium, & tortuoſum: neque vero, qui non iiſdem rebus movetur, naturaque conſentit, [5] aut fidus, aut ſtabilis poteſt eſſe. Addendum eodem eſt, ut [6] ne criminibus aut inferendis delectetur, aut credat oblatis: quæ omnia pertinent ad eam, quam jamdudum tracto, conſtantiam. Ita fit verum illud, quod initio dixi, amicitiam, niſi inter bonos, eſſe non poſſe. Eſt enim boni viri (quem eundem ſapientem licet dicere) hæc duo tenere in amicitia: primum, [7] ne quid fictum ſit, neve ſimulatum: aperte enim vel odiſſe magis ingenui eſt, quam [8] fronte occultare ſententiam: deinde, non ſolum ab aliquo [9] allatas criminationes repellere, ſed ne ipſum quidem eſſe ſuſpicioſum, ſemper aliquid exiſtimantem ab amico eſſe violatum. [10] Accedat huc ſuavitas quædam oportet ſermonum, atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ. Triſtitia autem, & in omni re ſeveritas, [11] habet illa quidem gravitatem: ſed amicitia [12] remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem, facilitatemque proclivior.

19. Exiſtit autem hoc loco quædam quæſtio ſubdifficilis:

1 *Simplicem*] Ingenuum, veritatis, & æquitatis ſtudioſum.

2 *Communem*] Comem, humanum. *Wolf.* *Communis* eſt, benevolus, & non arrogans, ut ſuperius notatum ad Catonis cap. 17. *Grav.* Sic Iſocrates: Κοινὸν τοῖς ἄλλοις εἶναι.

3 *Conſentientem*] Conſenſum imprimis requirit amicitia, quæ Græcis eſt, ὁμόνοια, ὁμοφροσύνη. *Wolf.*

4 *Eligi par eſt*] Scilicet, ſi ſit facultas, & detur optio. *Idem.*

5 *Aut fidus, aut ſtabilis*] Itaque Plutarchus περὶ φιλοπολυφιλίας oſtendit non poſſe cum multis contrahi amicitiam, quia parcorum conſentiat natura, magnaque ſit ingeniorum diverſitas. *Grav.*

6 *Ne criminibus inferendis delectetur*] Nulla gravior peſtis eſt amicitiæ, quam calumnia, ut elegantiſſime Ariſtides præcipit in oratione ſæpius laudata de amicitia. *Grav.*

7 *Nequid fictum, neve ſimulatum*] Sine fuco, & fallacia vera amicitia colitur. *Grav.*

8 *Fronte occultare ſententiam*] Id eſt, Aliud vultu, & verbis præ ſe ferre, aliud ſentire: aliud lingua promptum, aliud pectore clauſum habere. *Wolf.*

9 *Allatas criminationes repellere*] Itaque Appium, cum hominibus Ciceronem criminantibus faciles præbuiſſet aures, caſtigat Cicero in epiſt. 8. lib. 3. ad familiares. *Grav.*

10 *Accedat ſuavitas*] Nec moroſi, nec queruli, & μεμψίμοιροι commodi ſunt amici. Nec Seneca eos in amicitiam admittendos cenſet de tranquillitate animi cap. 7. *Grav.*

11 *Habet illa gravitatem*] Id eſt, Severitas arguit ſtudium rerum honeſtarum, atque utilium. *Wolf.*

12 *Remiſſior*] Non rigida, aut intenta, ſed laxo magis vinculo colligata. *Manut.*

num-quando amici novi, digni amicitia, veteribus ſint anteponendi, ut [1] equis vetulis teneros anteponere ſolemus. Indigna homine dubitatio. non enim eſſe debent amicitiarum, ſicut aliarum rerum, ſatietates. Veterrima quæque (ut ea vina, quæ vetuſtatem ferunt) eſſe debent ſuaviſſima: verumque illud eſt, quod dicitur, [2] multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, [3] ut amicitiæ munus expletum ſit. [4] novitates autem, ſi ſpem afferunt, ut, tanquam [5] in herbis non fallacibus, fructus appareat, non ſunt illæ quidem repudiandæ: vetuſtas tamen loco ſuo conſervanda. [6] maxima eſt enim vis vetuſtatis, & conſuetudinis. Quin in ipſo equo, cujus modo mentionem feci, ſi nulla res impediat, nemo eſt, qui non eo, quo conſuevit, libentius utatur, quam intractato, & novo. Nec vero in hoc, quod eſt animal, ſed in iis etiam, quæ ſunt inanimata, conſuetudo valet: cum locis ipſis delectemur [7] montuoſis etiam, & ſilveſtribus, in quibus diutius commorati ſumus. Sed maximum eſt in amicitia, [8] ſuperiorem parem eſſe inferiori. ſæpe enim excellentiæ quædam ſunt, qualis erat Scipionis in noſtro (ut ita dicam) grege. Nunquam ſe ille Philo, nunquam Rupilio, nunquam Mummio antepoſuit, nunquam inferioris ordinis amicis.

1 *Equis vetulis*] Quos ſolebant domo pellere. Virgil. 3. Georg.

Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam ſegnior annis
Deficit, abde domo. --- Betul.

Et Horatius Epiſt. 1. lib. 1.

Pone ſenescentem mature ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

2 *Multos modios ſalis*] Proverbium ex frugalitate Græcorum natum eſſe videtur, qui ſale, oleo, & vino ſæpe pro cœna ſunt uſi. *Wolf.*

3 *Ut amicitiæ munus expletum ſit*] Ut amicitia perficiatur; certoque conſtet, neque de fide mutua dubitetur. *Manut.*

4 *Novitates*] Scilicet amicitiarum: novæ amicitiæ: novi amici. *Wolf.*

5 *In herbis*] Ovidius in Epiſtola Helenes ad Paridem;

Sed nimium properas, & adhuc tua meſſis in herba eſt. Manut.

6 *Maxima vis conſuetudinis*] Id Ovidius de amore Venereo præcepit:

Fac tibi conſuetas: nil aſſuetudine majus. Idem.

7 *Montuoſis etiam*] Ut Ulyſſes Ithaca ſua, de qua Homerus:

Τραχεῖ', οὐδ' ἀγαθὴ κατερήφατος· ἐν δέ τε νῆσοι
Ἧς πανσυδίης γαίης γλυκερώτερον ἄλλο οὐδέν. *Wolf.*

Hanc cauſam quoque reddit Florus, cur Romam poſuerit Romulus ad Tiberim, & in collibus: *Ipſe fluminis amator, & montium, apud quos erat educatus. Grav.*

8 *Superiorem parem eſſe inferiori*] Nulla poteſt eſſe amicitia ſine æqualitate quadam. *Grav.*

1 Q. vero

[1] Q. vero Maximum fratrem, egregium virum, omnino ſibi nequaquam parem, quod is anteibat ætate, tanquam ſuperiorem, colebat; ſuoſque omnes per ſe eſſe ampliores volebat. Quod faciendum, imitandumque eſt omnibus: ut, ſi quam præſtantiam virtutis, ingenii, fortunæ conſecuti ſunt, impertiant eam ſuis, communicentque cum proximis: ut, ſi parentibus nati ſint humilibus, ſi propinquos habeant imbecilliores vel animo, vel fortuna, eorum augeant opes, eiſque honori ſint, & dignitati: ut in fabulis, qui aliquandiu propter ignorationem ſtirpis, & generis in famulatu fuerint, cum cogniti ſunt, & [2] aut Deorum, aut regum filii inventi, retinent tamen caritatem in paſtores, quos patres multos annos eſſe [3] duxerunt. Quod quidem eſt multo profecto magis in veris patribus, certiſque faciendum. [4] fructus enim ingenii, & virtutis, omniſque præſtantiæ, tum maximus capitur, cum in proximum quemque confertur.

20. Ut igitur ii, qui ſunt in amicitiæ, conjunctioniſque neceſſitudine ſuperiores, exæquare ſe cum inferioribus debent; ſic [5] inferiores non dolere, ſe à ſuis aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate ſuperari. quorum plerique aut [6] queruntur ſemper aliquid, aut etiam exprobrant: eoque magis, ſi habere ſe putant, quod officioſe, & amice, aut cum labore aliquo ſuo factum queant dicere. Odioſum ſane genus hominum, officia exprobrantium: [7] quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt, non commemorare, qui contulit. Quamobrem, ut ii, qui ſuperiores ſunt, ſummittere ſe debent in amicitia; ſic quodam modo inferiores extollere. ſunt enim quidam, qui moleſtas amicitias faciunt,

1 *Q. Maximum fratrem*] Ejuſdem Pauli filium, ſed à Q. Fabio Maximo adoptatum. *Manut.*

2 *Aut Deorum, aut regum filii*] Ut Telephus Herculis, Ægyſthus Thyeſtis; alter à cerva, alter à capra nutritus, à paſtoribus inventi. Ut Romulus, & Remus, à Fauſtulo educati. Ut Cyrum, regem Medorum, expoſitum ab Aſtyage, paſtor Mithridates aluit. Ut Semiramis, dia ab ovibus alita, à paſtoribus ſublata, regis conjux facta fuit. *Idem.*

3 *Duxerunt*] Id eſt, Exiſtimarunt. *Eraſm.*

4 *Fructus enim ingenii*] Sic Martialis:

Extra Fortunam eſt, quicquid donatur amicis.

Et Alexander quoque ſolebat dicere, nuſquam tutius deponi pecuniam, quam apud amicos. *Grav.*

5 *Inferiores non dolere*] Quod invidorum eſt, qui alienis rebus marceſcunt opimis. *Manut.*

6 *Queruntur*] Queruli autem homines amicitiæ idonei non ſunt. Proverbium Græcum: Οἱ ἐπαινοῦντες οὐ φιλοῦσιν, ἀλλὰ χαίρουσιν. *Idem.*

7 *Quæ meminiſſe*] Videtur reſpexiſſe cum

cum ipsi se contemni putant: quod non fere contingit, nisi iis, [1] qui etiam contemnendos se arbitrantur: qui hac opinione non modo verbis, sed etiam opere levandi sunt. Tantum autem cuique tribuendum, primum, [2] quantum ipse efficere possis: deinde etiam, quantum ille, quem diligas, atque adjuves, sustinere. non enim tu possis, quantumvis licet [3] excellas, omnes tuos ad honores amplissimos [4] producere: ut Scipio P. Rutilium potuit consulem efficere, fratrem ejus Lucium non potuit. Quod si etiam possis quidvis deferre ad alterum, videndum est tamen, quid ille possit sustinere. Omnino [5] amicitiæ corroboratis jam, confirmatisque & ingeniis, & ætatibus judicandæ sunt: nec, si qui ineunte ætate venandi, aut pilæ studiosi fuerint, [6] eos habere necessarios oportet, quos tum eodem studio præditos dilexerunt. ipsto enim modo nutrices, & pædagogi jure vetustatis plurimum benevolentiæ postulabunt: qui [7] negligendi quidem non sunt, sed [8] alio quodam modo colendi. [9] aliter amicitiæ stabiles permanere non possunt. dispares enim mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias: nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, [10] quanta

ad Græcum proverbium:

Χάρεν λαβεῖν μίμνειν· δὺς δ' ἐπιπλάδην. *Ursin.*

1 *Qui contemnendos se arbitrantur*] Nihil arrogantes de se sentientes. *Manut.*

2 *Quantum ipse efficere possis: deinde, quantum*] Eatenus scilicet, quatenus & facultates tuæ sinant, & illorum vires ingenii, atque animi sustinere possint. *Wolf.* Nam si in indignum conferat honor, dignorum movetur indignatio: quæ seditionum, intestinorumque bellorum causa solet esse. *Grav.*

3 *Excellas*] Excelle certe, & excellere dici Priscianus probat. *Lang.*

4 *Producere*] Præcipium verbum de iis, qui ad honores extollantur. Cicero lib. 3. de finibus: *Nemo dicit in regia, regem ipsum quasi productum esse.* Suetonius: *Quid ergo, quod dubitemus, quin per ostium artificis, & gradus producendus fuerit, per quæ frater ejus producitur?* Sic & alibi apud Ciceronem: *Producti ad dignitates*, eodem modo, ut *prorsus ad honores. Grav.*

5 *Amicitiæ corroboratis ætatibus judicandæ sunt*] Nimirum, quia suscipiuntur amicitiæ juvenum voluptatis causa. Ætates autem diversis diversis quoque voluptatibus sequi: Ἀλλ' ἡλικίαι μέν εἰσι διάφοροι. ἕκαστοι, docet Aristoteles ad Nicomachum. *Grav.*

6 *Eos habere necessarios*] Id est, Persuasum habere, non licere ab eorum amicitia discedere, tametsi minime sint apti moribus tuis. *Wolf.*

7 *Negligendi non sunt*] Præter labores, & molestias, quas tui causa ceperunt, & præter officia, quæ præstiterunt. *Idem.*

8 *Alio quodam modo colendi*] Ut scilicet benevolentiam erga illos retineas, & rebus necessariis egere non patiatur. *Idem.*

9 *Aliter*] Alioqui. *Erasm.* Id est, si vetustatis potius habeatur ratio, quam morum. *Wolf.*

10 *Quanta maxima possit*] Hanc loquendi formam nullus auderet sequi, nisi Cice-

maxima poteſt eſſe, morum, ſtudiorumque diſtantia. Recte etiam præcipi poteſt in amicitiis, ne intemperata quædam benevolentia (quod perſæpe fit) impediat magnas utilitates amicorum. nec enim (ut ad fabulas redeam) Trojam [1] Neoptolemus capere potuiſſet, ſi Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrymis iter ſuum impedientem, audire voluiſſet. & ſæpe incidunt magnæ res, ut diſcedendum ſit ab amicis: quas qui impedire vult, quod [2] deſiderium non facile ferat, is & infirmus eſt, molliſque natura, & ob eam ipſam cauſam in amicitia [3] parum juſtus. Atque in omni re conſiderandum eſt, & quid poſtules ab amico, & quid patiare a te impetrari.

21. Eſt etiam quaſi quædam calamitas in amicitiis dimittendis nonnunquam neceſſaria: jam enim [4] à ſapientium familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio noſtra delabitur. Erumpunt ſæpe vitia amicorum tum in ipſos amicos, tum in alienos; quorum tamen ad amicos [5] redundet infamia. tales igitur amicitiæ ſunt [6] remiſſione uſus eluendæ, & (ut Catonem dicere audivi) diſſuendæ magis, quam diſcindendæ. niſi quædam [7] admodum intolerabilis injuria exarſerit, ut neque rectum, neque honeſtum ſit, neque fieri poſſit, ut non ſtatim alienatio, disjunctioque facienda ſit. ſin autem aut morum, aut ſtudiorum [8] commutatio quædam (ut fieri ſolet)

Ciceronem auctorem haberemus. *Eraſm.*

1 *Neoptolemus*] Quod de Neoptolemo Lælius ait, omnes de Achille narrant. Itaque vel errat per memoriam Cicero; vel (quod potius credo) de induſtria Lælio, ut illa ætate, Græcanicarum fabularum ignorationem concedit. Quod etiam in Catone Majore factum videmus; tametſi iſte jam ſenex Græcis literis ſedulam operam navaverit. *Lang.* Non video, cur mutetur hæc lectio. Nam Achilles quidem gener Lycomedis fuit, Pyrrhus, ſive Neoptolemus, nepos. Ac probabile eſt, ſenem utrumque apud ſe retinere cupiviſſe. Trojam autem cepit non Achilles, ſed Neoptolemus, ejus filius. *Wolf.*

2 *Deſiderium*] Vox ſignificat abſentiam: ut Philipp. 2. *Quod deſiderium tui ferre non poſſet.* *Lang.*

3 *Parum juſtus*] Quod plus delectationi ſuæ tribuit, quam aut utilitati, aut officio amici. *Manut.*

4 *A ſapientium*] Nam ſapiens amicus Stoico quidem more perpetuo eſt idem, nec ulla ejus erumpere vitia poſſunt. *Wolf.*

5 *Redundet*] Ab inundatione, quæ ripas egreſſa proxima quæque comprehendit, atque involvit. *Eraſm.* Quod ſcilicet tales vulgo perhibeantur, qualis eſt vitioſus eorum amicus. *Wolf.*

6 *Remiſſione uſus eluenda*] Sententia ſatis aperta eſt: Ab amicitia eorum paulatim eſſe recedendum, ut animorum appareat alienatio. *Idem.*

7 *Admodum intolerabilis*] Ut ſi conſtet, amicum capiti tuo inſidiari, aut famam tuam petere: ſi bellum patriæ, aut religioni indicat: ſi repudiata virtute turpiſſimus exiſtat. *Idem.*

8 *Commutatio quædam*] Non tanta, neque tanti momenti, ut odium mereatur. *Manut.*

ſolet) facta erit, aut in reip. partibus diſſenſio interceſſerit (loquor enim jam, ut paulo ante dixi, non de ſapientium, ſed de communibus amicitiis) cavendum erit, ne non ſolum amicitiæ depoſitæ, ſed inimicitiæ etiam ſuſceptæ videantur. nihil enim eſt turpius, quam cum eo bellum gerere, qui-cum familiariter vixeris. Ab amicitia Q. Pompeii meo nomine ſe removerat (ut ſcitis) Scipio: propter diſſenſionem autem, quæ erat in republica, alienatus eſt [1] à collega noſtro Metello. utrumque egit [2] graviter, auctoritate, & offenſione animi non acerba. Quamobrem primum danda opera eſt, nequa amicorum [3] diſcidia fiant: ſin tale aliquid evenerit, ut extinctæ potius amicitiæ, quam oppreſſæ eſſe videantur. Cavendum vero, ne etiam in graves inimicitias convertant ſe amicitiæ: ex quibus jurgia, maledicta, contumeliæ gignuntur. quæ tamen, ſi tolerabilia erunt, ferenda ſunt: & hic honos veteri amicitiæ tribuendus, ut is in culpa ſit, qui faciat, non qui patiatur injuriam. Omnino omnium horum vitiorum, atque incommodorum una cautio eſt, atque una proviſio, ut ne nimis cito diligere [4] incipiant, neve non dignos. Digni autem ſunt amicitia, [5] quibus in ipſis [6] ineſt cau-

1 *A collega noſtro Metello*] Q. Cæcilius Macedonicus cum Q. Pompeio Ruſo inimicitias acerrimas geſſit. Rebus itaque in Hiſpania pene à ſe confectis, cum audiſſet Q. Pompeium ſucceſſorem ſibi mitti, victoriæ jam propemodum adeptæ palmam, atque gloriam ſibi prærepturum, omnes commeatum, miſſionemque petentes dimiſit, nec cauſis excuſſis: horreis cuſtodes ademit, arcus Cretenſes frangi, abjicique juſſit, elephantis cibaria dari vetuit. Id factum Scipionem (opinor) offendit, ſtodioſiſſimum Reipublicæ, quod privatam ſimultatem in necem Reip. derivaſſet. A Pompeii vero amicitia receſſit Lælii gratia, ut hic dicitur. Cum eſſet enim Scipioni perfamiliaris, eique promiſiſſet pro Lælio, conſulatus candidato, prenſaturum, pro ſe ipſe prenſavit. Id Scipionem ægre tuliſſe veriſimile eſt. *Collegam* autem, & Scipionis, & ſuum vocat *Metellum*, quia augur erat. *Lang.*

2 *Graviter*] Ratione in conſilium adhibita. Quod & Q. Pompeius injuriam facere videretur Lælio, & Q. Metellus parum utiliter conſulere Reipublicæ. *Wolf.*

3 *Diſcidia*] Nomen eſt à verbo *diſcindo* natum; ut *exitium* ab *exindo*. *Lambin.*

4 *Incipiant*] Eſt locutio illa Ciceroni, & antiquis omnibus admodum uſitata, ut in tertia plurali nomen omittant, cum de univerſitate loquantur. Sic Varro: *Carcer à coëircendo; quod exire prohibentur. Lang.*

5 *Quibus in ipſis*] Detractis ſcilicet omnibus Fortunæ ornamentis; atque ſubſidiis. *Wolf.*

6 *Ineſt cauſa, cur diligantur*] Hinc Ariſtoteles ait, ridiculos eſſe amatores, qui, cum minus amabiles ſint, quam ii, quos ipſi amant, tantopere tamen poſtulent ab iis amari, quantum illos ament. Eſſe æquum iſtorum poſtulationem, ut æque redamentur, ſi æque ipſi amabiles eſſent, & digni eodem amore forent. Sed, cum nihil ejuſmodi habeant, iniquo id illos poſtulare, & merito irrideri. *Grav.*

ſa, cur diligantur. Rarum genus (& quidem omnia præclara rara) nec quidquam difficilius, quam reperire, quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum. ſed plerique neque in rebus humanis quidquam bonum norunt, niſi quod fructuoſum ſit: & amicos, tanquam pecudes, eos potiſſimum diligunt, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos. ita pulcherrima illa, & maxime naturali carent amicitia, per ſe, & propter ſe expetenda: [1] nec ipſi ſibi exemplo ſunt, hæc vis amicitiæ qualis, & quanta ſit. [2] Ipſe enim ſe quiſque diligit, non ut aliquam à ſe ipſe mercedem exigat caritatis ſuæ, ſed quod per ſe ſibi quiſque carus eſt. quod niſi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperietur. eſt enim is, qui eſt tanquam alter idem. Quod ſi hoc apparet in beſtiis, volucribus, nantibus, agreſtibus, cicuribus, feris, primum ut ſe diligant ipſæ (id enim pariter cum omni animante naſcitur) deinde, ut requirant, atque appetant, ad quas ſe applicent ejuſdem generis animantes, idque faciunt cum deſiderio, & cum quadam ſimilitudine amoris humani; quanto id magis in homine ſit [3] natura, qui & ſe ipſe diligit, & alterum anquirit, [4] cujus animum ita cum ſuo miſceat, ut efficiat pene unum ex duobus?

22. Sed plerique perverſe, ne dicam impudenter, amicum habere talem volunt, quales ipſi eſſe non poſſunt: [5] quæque ipſi non tribuunt amicis, hæc ab iis deſiderant. Par eſt autem, primum ipſum eſſe virum bonum, tum alterum ſimilem ſui quærere. Equidem in talibus ea, quam jamdudum tractamus, ſtabilitas amicitiæ confirmari poteſt: cum homines benevolentia conjuncti primum cupiditatibus iis, quibus cæteri ſerviunt, imperabunt: deinde æquitate, juſtitiaque gaudebunt, omniaque alter pro altero ſuſcipiet: neque quidquam unquam, niſi honeſtum, & rectum alter ab altero po-

1 *Nec ipſi ſibi exempla ſunt*] Hoc eſt, Nec ipſi ſe intuentes, & conſiderantes vident, quæ ſit vera amicitia. *Grav.*

2. *Ipſe enim ſe*] Nemo enim ſe amat propter utilitatem, ſed per ſe ipſum. Ariſtoteles omnia officia, quæ amicus præſtat amico, manare ab illo amore, quo Naturæ munere ſe ipſe quiſque amat, oſtendit. *Grav.*

3 *Natura*] Non opinione, non ex inopia, aut neceſſitate, aut ſpe commodorum. *Wolf.*

4. *Cujus animum cum ſuo miſceat*] Quocum conſilia communicet. *Manut.*

5. *Quæ ipſi non tribuunt amicis, ab iis deſiderant*] Hoc imprimis fit, cum amicitia colitur utilitatis cauſa. Vera autem amicitia magis in eo vertitur, ut amet, quam ametur. *Grav.*

ſtulabit:

ſtulabit: neque ſolum [1] colent inter ſe, ac diligent, ſed etiam verebuntur. nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Itaque in iis pernicioſus eſt error, qui exiſtimant libidinum, peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum amicitia adjutrix à natura data eſt, non vitiorum comes: ut, quoniam ſolitaria non poſſet virtus ad ea, quæ ſumma ſunt, pervenire, conjuncta, & conſociata cum altera perveniret: quæ ſi quos inter ſocietas aut eſt, aut fuit, aut futura eſt, eorum eſt habendus ad ſummum naturæ bonum optimus, beatiſſimuſque comitatus. Hæc eſt, inquam, ſocietas, in qua omnia inſunt, quæ putant homines expetenda, honeſtas, gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas: ut &, cum hæc adſint, beata vita ſit, & ſine his eſſe non poſſit. Quod cum optimum, maximumque ſit, ſi id volumus adipiſci, virtuti opera danda eſt: ſine qua neque amicitiam, neque ullam rem expetendam conſequi poſſumus. ea vero neglecta, qui ſe amicos habere arbitrantur, tum ſe denique erraſſe ſentiunt, cum eos gravis aliquis [2] caſus experiri cogit. Quocirca (dicendum eſt enim ſæpius) cum judicaris, diligere oportet: non, cum dilexeris, judicare. ſed cum multis in rebus negligentia plectimur, tum maxime in amicis & deligendis, & colendis. præpoſteris enim utimur conſiliis, & acta agimus, quod vetamur vetere proverbio. Nam implicati ultro, & citro vel uſu diuturno, vel etiam officiis, repente in medio curſu amicitias, exorta aliqua offenſione, dirumpimus.

23. [3] Quo etiam magis vituperanda eſt rei maxime neceſſariæ tanta incuria. Una eſt enim amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore conſentiunt. namque à multis ipſa virtus contemnitur, & venditatio quædam, atque oſtentatio eſſe dicitur. multi divitias deſpiciunt, quos parvo con-

1 *Colent inter ſe*] Elegans eſt, *amare inter ſe, amplexari inter ſe.* Sic 13. ad Attic. *Poſthac enim poterimus tolere inter nos in Tuſculano.* In Catilinam: *Sic furtim inter ſe adſpiciebant.* De Natura Deorum: *Dii inter ſe diligunt.* De divinatione: *Noſque inter nos eſſe complexos.*

2 *Caſus experiri cogit*] Fidem eorum, quos ſibi amicos eſſe falſo putabant. *Manut.* Tum enim deſtituentur ab iis amicis, quos virtus non conjunxit; verumque eſſe comperient, quod Ovidius cecinit:

Diligitur nemo, niſi cui Fortuna ſecunda eſt,
Quæ ſimul intonuit, proxima quaque fugat. Grav.

3 *Quo etiam magis vituperanda*] Ad amicitiam enim conſervandam magna cura eſt adhibenda. *Grav.*

tentos tenuis victus, cultuſque delectat: honores vero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, ut nihil inanius, nihil eſſe levius exiſtiment! itemque cætera, quæ quibuſdam admirabilia videntur, permulti ſunt, qui pro nihilo putent. de amicitia omnes ad unum idem ſentiunt, & ii, qui ad rempub. ſe contulerunt, & ii, qui rerum cognitione, doctrinaque delectantur: & ii, qui ſuum negotium gerunt [1] otioſi: poſtremo ii, qui ſe totos tradiderunt voluptatibus, ſine amicitia vitam eſſe nullam, ſi modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. ſerpit enim neſcio quomodo per omnium vitas amicitia, nec ullam ætatis degendæ rationem patitur eſſe expertem ſui. Quinetiam, ſi quis ea aſperitate eſt, & immanitate naturæ, congreſſus ut hominum fugiat, atque oderit, qualem fuiſſe Athenis Timonem neſcio quem accepimus; tamen is pati non poſſit, [2] ut non anquirat aliquem, apud quem evomat [3] virus acerbitatis ſuæ. Atque hoc maxime judicaretur, ſi quid tale poſſet contingere, ut aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in ſolitudine uſpiam collocaret, atque ibi ſuppeditans omnium rerum, quas natura deſiderat, abundantiam, & copiam, hominis omnino adſpiciendi poteſtatem eriperet. quis tam eſſet ferreus, qui eam vitam ferre poſſet, cuique non auferret fructum voluptatum omnium ſolitudo? Verum ergo illud eſt, quod, à Tarentino Archyta (ut opinor) dici ſolitum, noſtros ſenes commemorare audivi, ab aliis ſenibus auditum: Si quis in cœlum aſcendiſſet, naturamque mundi, & pulchritudinem ſiderum perſpexiſſet, inſuavem illam admirationem ei fore; quæ jucundiſſima fuiſſet, ſi aliquem, cui narraret, habuiſſet. Sic natura ſolitarium nihil amat, ſemperque ad aliquod tanquam adminiculum annititur: quod in amiciſſimo quoque dulciſſimum eſt.

24. Sed, cum [4] tot ſignis eadem natura declaret, quid velit, anquirat, deſideret, obſurdeſcimus tamen neſcio quomodo; nec ea, quæ ab ea monemur, audimus. eſt enim varius, &

1 *Otioſi*] *Otioſi* Latine, qui à re publica ſe removerunt. *Guilielm.*

2 *Ut non anquirat aliquem*] Perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Is tamen pati, ſeu durare non poſſet, ut non quærat aliquem, in quem evomat acerbitatis ſuæ virus. *Grav.*

3 *Virus acerbitatis ſuæ*] Sic appellat inſectationem perpetuam ſtultitiæ, & improbitatis humanæ. *Wolf.*

4 *Tot ſignis*] Argumentis evidentibus. *Manut.*

multi-

multiplex uſus amicitiæ, multæque cauſæ ſuſpicionum, offenſionumque dantur: quas tum evitare, tum [1] elevare, tum ferre, [2] ſapientis eſt. [3] una illa ſublevanda offenſio eſt, ut & [4] veritas in amicitia, & fides retineatur. nam & monendi amici ſæpe ſunt, & objurgandi: & hæc [5] accipienda amice, cum benevole fiunt. Sed neſcio quomodo verum eſt, quod in Andria [6] familiaris meus dicit:

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Moleſta veritas, ſi quidem ex ea naſcitur odium, quod eſt [7] venenum amicitiæ. ſed obſequium multo moleſtius, quod, [8] peccatis indulgens, [9] præcipitem amicum ferri ſinit. maxima autem culpa in eo eſt, qui & veritatem aſpernatur, & in fraudem obſequio impellitur. Omni igitur hac in re habenda ratio, & diligentia eſt: primum, ut monitio acerbitate, deinde, ut objurgatio contumelia careat: [10] in obſequio au-

1 *Elevare*] Id eſt, Leviores reddere: unde *elevatur* auctoritas hominis, cui pondus detrahitur. *Eraſm.* Minuere, extenuare, parvi ducere. *Wolf.*

2 *Sapientis*] Juxta Naturæ præſtriptum viventis. *Manut.*

3 *Una illa ſublevanda offenſio*] Verba ſunt paulo obſcuriora, ſed hæc ſententia eſſe videtur: Propter admonitiones fideles, & objurgationes amicorum, nos odiſſe illos non debere. Nam illa offenſio, niſi *ſublevata*, id eſt, ſublata fuerit, neque utilitas in amicitia, neque fides retinebitur. Id eſt, Amici nobis ſine hac libertate monendi, & objurgandi, neque utiles eſſe poſſunt, neque fideles. *Wolf.* Illa offenſio, quæ neceſſario ſuſcipienda eſt in amicitia, cum liberius monendi ſunt, & objurgandi amici, qui monitiones tamen ferre non poſſunt, ſed iis offenduntur, ut & utilitatem illam capiamus ex amicitia, quam nobis illa promittit, & ut fidi ſimus amici, non adulatores, eſt minuenda. Illa autem ut ſublevanda, & minuenda ſit, docet non longe poſt: nimirum, ſi *monitio acerbitate, objurgatio* careat *contumelia. Grav.*

4 *Veritas*] Sic legit Lambinus. Non recte. Cæteræ, ait, offenſiones vitandæ: una retinenda, quæ ex monitionibus ſuſcipienda erit, ne fides, & *utilitas*, quæ maxime hac in re conſiſtunt, ab amicitia exulent. Ea tamen *ſublevanda* eſt, hoc eſt, mitiganda, &, quoad poteſt, lenienda comitate quadam. Hæc hujus loci ſententia. *Guilielm.* Rectius Lambinus; præſertim cum duo Aldi Manutii *veritas* quoque probent. Nam ſine veritate amicitiæ nomen valere non poteſt, quia ſimulatio eſt peſtis amicitiæ veræ. Simulamus vero, ſi laudamus amicum peccantem, cum aliter animus ſentit de ejus factis, ac os præ ſe fert. *Grav.*

5 *Accipienda amice*] Ab eo ſcilicet, qui monetur, & objurgatur. *Wolf.*

6 *Familiaris meus*] Adeo Lælii familiaris fuit Terentius, ut ab eo ſcriptæ putentur, quæ Terentii nomine Comœdiæ circumferuntur. *Manut.*

7 *Venenum amicitiæ*] Id eſt, Sicut venenum vitam, ſic odium amicitiam tollit. *Wolf.*

8 *Peccatis indulgens*] Id eſt, Ea non reprehendens, ſed potius approbans, & collaudans. *Idem.*

9 *Præcipitem ferri*] In periculum agi. *Manut.* Quaſi ex alto, & prærupto loco præcipitari. *Wolf.*

10 *In obſequio*] *Obſequium* duplex eſt: unum, cum ad gratiam & dicuntur,

&

tem (quoniam [1] Terentiano verbo lubenter utimur) [2] comitas adſit, [3] aſſentatio, vitiorum adjutrix, procul amoveatur: quæ non modo amico, ſed ne libero quidem digna eſt. [4] aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur. Cujus autem aures veritati clauſæ ſunt, ut ab amico verum audire nequeat, [5] hujus ſalus deſperanda eſt. ſcitum eſt enim illud Catonis, ut multa; Melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum ſæpe dicere, hos nunquam. Atque illud abſurdum eſt, quod ii, qui monentur, eam moleſtiam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, qua debent vacare. peccaſſe enim ſe non anguntur, objurgari moleſte ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere.

25. Ut igitur & monere, & moneri proprium eſt veræ amicitiæ: & alterum libere facere, non aſpere; alterum patienter accipere, non repugnanter: ſic habendum eſt, nullam in amicitiis peſtem eſſe majorem, quam [6] adulationem, blanditiam, aſſentationem. [7] quamvis enim multis nominibus eſt hoc vitium notandum, levium hominum, atque fallacium, ad vo-

& ſunt omnia, etiam cum pernicie amici: alterum, quando amico in rebus honeſtis, aut certe non turpibus mos geritur. *Idem.* Hac voce in ſignificatione haud ita caſta utitur Ovidius Faſtorum lib. 6.

Arſerat obſequio Semele Jovis.

1 *Terentiano verbo*] Reprehendit Tullium Donatus, quod id verbum tribuat Terentio, tanquam primo ejus auctori, cum ante Terentium eo uſus ſit Plautus, & Nævius. *Grav.*

2 *Comitas*] Græce eſt ἐυκολτικὸς τρόπος. & excluditur ruſticitas, atque aſperitas. Comitatis egregium exemplum in Mitione, ruſticitatis, & aſperitatis in Demea ſuo proponit Terentius. *Wolf.*

3 *Aſſentatio, vitiorum adjutrix*] Aſſentatores dicit Ariſtides ſimiles eſſe medicis, qui nimis indulgent ægrotis, & morbum alunt, non curant. *Grav.*

4 *Aliter cum tyranno*] Cujus aures non ſunt radendæ mordaci vero, ut Satyricus ait. Hinc non nemo dixit, non, niſi byſſinis, verbis apud Regem eſſe utendum. *Grav.*

5 *Hujus ſalus deſperanda eſt*] Id eſt, Vix, ac ne vix quidem fieri poteſt, quin talis homo in exitium ſuum ruat: cum nec ipſe ſapiat, animoque moderetur, nec amicorum ſalutaria conſilia, & honeſtas admonitiones admittat. *Wolf.* Videtur accepiſſe ab Heſiodo, qui in ἔργοις de hoc hominum genere prodidit eadem:

Οὗτος μὲν παναάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει.

Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.

Ὃς δέ κε μήτ' αὐτὸς νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων

Ἐν θυμῷ βάλληται, ὁδ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ. *Grav.*

6 *Adulationem, blanditiam, aſſentationem*] *Adulatio* Græcis eſt proprie κολακεία, *blanditia*, & *aſſentatio*, ἀρέσκεια. De utraque vide characteres Theophraſti. *Grav.* Tribus vocabulis rem eandem deſignavit, quo melius intelligeretur. *Adulatio* autem, & *blanditia* videtur potius in rebus, & geſtibus verſari, *aſſentatio* vero in verbis. *Wolf.*

7 *Quamvis multis*] Eleganter, pro, admodum multis. *Guilielm.*

luntatem

ſuntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Cum autem [1] omnium rerum ſimulatio eſt vitioſa ([2] tollit enim judicium veri, idque [3] adulterat) tum amicitiæ repugnat maxime. delet enim veritatem, ſine qua nomen amicitiæ valere non poteſt. Nam, cum amicitiæ vis ſit in eo, ut unus quaſi animus fiat ex pluribus; qui id fieri poterit, ſi ne in uno quidem quoque unus animus erit, idemque ſemper; ſed varius, commutabilis, multiplex? Quid enim poteſt eſſe tam flexibile, tam [4] devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo ſenſum, ac voluntatem, ſed etiam vultum, atque nutum convertitur?

Negat quis? nego: ait? aio. poſtremo imperavi egomet mihi
Omnia aſſentari:

ut ait idem Terentius, ſed ille in Gnathonis perſona: quod amici genus adhibere, omnino levitatis eſt. Multi autem Gnathonum ſimiles cum ſint, [5] loco, fortuna, fama ſuperiores; horum eſt aſſentatio [6] moleſta, cum ad vanitatem acceſſit auctoritas. ſecerni autem blandus amicus à vero, & internoſci tam poteſt, adhibita diligentia, quam omnia fucata, & ſimulata à ſinceris, atque veris. Concio, quæ ex im-

1 *Omnium rerum ſimulatio*] Scilicet alterius decipiendi cauſa inſtituta. Eſt enim ſimulatio quædam neceſſaria, & ſalutaris; qua hominibus parum prudentibus, & contumacibus conſulitur, qui apertam, & ſimplicem veritatem aſpernantur, atque repudiant. Talis ſimulatio eſt nutricum, & medicorum, quando pharmaca acerbiora propinanda ſunt pueris. *Idem.*

2 *Tollit judicium veri*] Id eſt, Efficit, ut veritas à mendacio diſcerni non poſſit. *Idem.*

3 *Adulterat*] Metaphora à mercibus vitioſis, & corruptis, quæ pro bonis, integrisque venduntur. *Idem.*

4 *Devium*] Cum hic de animo inconſtante, & mutabili, qui cum quovis vento, ut velum, vertitur, loquatur Tullius, quid ſibi velit *devium*, non video. Qui interpretantur, tortum, multiplex, facile cuivis voci poſſunt quamvis affingere notionem. *Grav.* Forſan interpretari licear, erraticum, à recta via deflectens, à firmo, conſtanti, ſtabili propoſito alienum.

5 *Loco*] Dignitate. *Manut.* Natalibus, genere; ut apud Juſtin. *Erat Lyſimachus illuſtri quidem Macedonia loco natus.* Et hinc Cicero lib. 14. epiſt. 18. *Videte, quid alia faciant iſto loco famina.* Hoc eſt, Quæ ſunt ejuſdem ſortis, generis, & conditionis: quæ ſunt ejuſdem ordinis: ut apud Terent. *Mei loci, atque ordinis homo.* Livius: *Terentius Varro loco non ſolum humili, ſed etiam ſordido ortus.* Et rurſus: *Loco obſcuro, tenuique fortuna ortus. Grav.*

6 *Moleſta*] Id eſt, Periculoſa, nocens, graviter, atque iniquo animo patienda. *Wolf.*

peritiſſimis

peritiſſimis conſtat, tamen judicare ſolet, quid interſit inter popularem, id eſt, aſſentatorem, & levem civem, & inter conſtantem, ſeverum, & gravem. Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de [1] tribunis plebis reficiendis? Diſſuaſimus nos. Sed nihil de me: de Scipione dicam libentius. Quanta illa (Dii immortales!) fuit gravitas, quanta in oratione majeſtas! ut facile ducem populi Romani, non comitem diceres. ſed affuiſtis, & eſt in manibus oratio. itaque lex popularis ſuffragiis populi repudiata eſt. Atque (ut ad me redeam) meminiſtis, [2] Q. Maximo, fratre Scipionis, & L. Mancino, conſulibus, quam popularis [3] lex de ſacerdotiis C. Licinii Craſſi videbatur? cooptatio enim collegiorum [4] ad populi beneficium transferebatur. Atque is primum inſtituit [5] in forum verſus agere cum populo. tamen illius [6] vendibilem orationem religio Deorum immortalium, nobis [7] defendentibus, facile vincebat. atque id actum eſt prætore me, quinquennio an-

1 *Tribunis plebis reficiendis*] Scilicet ante juſtum temporis ſpatium interjectum: quod Romæ ideo decretum fuit, ne magiſtratus, & poteſtatis continuatio tyrannidi præberet occaſionem. *Wolf.* Papirius Carbo, tribunus plebis, rogationem tulit, ut eundem tribunum plebis, quoties vellet, creari liceret.

2 *Q. Maximo*] Q. Fabio Maximo Æmiliano. *Grav.*

3 *Lex de ſacerdotiis*] Ut populus ſacerdotes crearet, cum ea poteſtas antea ipſorum ſacerdotum fuiſſet. *Manut.* Cum ante ſacerdotes omnes à ſuis collegiis cooptarentur, lege Licinia ad populi jus hoc beneficium transferebatur. Sed ea lex, Lælio diſſuadente, antiquata eſt, donec Cn. Domitius, Mario iterum, & Fimbria, conſulibus, eam reſuſcitavit. Certe lex iſta non ſolummodo popularis videbatur, ſed omnino erat: multa videlicet in ſuperbiam, & tyrannidem nobilium ſub ſpecie ſacerdotiorum auſpicia omnia, atque ita univerſum rerum ſtatum ſibi vendicantium. *Lang.*

4 *Ad populi beneficium transferebatur*] Hoc eſt, Poteſtas eos creandi in Comitiis populo committebatur. Hæc vis eſt in voce *beneficium*. Hinc magiſtratus dicitur *beneficium populi*. Hinc illud loquendi genus elegans, *beneficii ſui facere funktionem*, ſeu *magiſtratum*, hoc eſt, poteſtatem creandi magiſtratum ſibi vendicare. Juſtin. *Inter principes provinciæ dividit, ſimul ut & removeret æmulos, & munus imperii beneficii ſui faceret.* Et Sueton. *Commeatus à Senatu peti ſolitos beneficii ſui fecit.* Idem. *Per quoſdam beneficii ſui centuriones*, hoc eſt, quos provexerat ad centurionatum. *Grav.*

5 *In forum verſus*] Antiquum eſt, & elegans, *ad forum verſus, ad orientem verſus.* Varro: *Quæ ſpectat ad orientem verſus.* Tributis autem, & curiatis comitiis qui cum populo agebant, honoris ergo ad Senatum, & Comitium verſus faciem convertere, ſpectareque conſueverant. At Craſſus, tribunus plebis, ut popularis, ad forum, & populum verſus conſtitit. Ita hic Ciceronis locus accipiendus. *Lang.* Mihi ſane videtur vox *verſus* participii, non adverbii, aut præpoſitionis officio fungi. Sic Plutarchus: *Εἰς τὸ κατὰ μέσον κομιδῆς στρατιᾶς.*

6 *Vendibilem*] Plauſibilem, popularem, quæ laudetur in vulgus. *Manut.*

7 *Defendentibus*] Scilicet collegia ſacerdotum, quorum erat cooptatio. *Wolf.* Diſſuaſerat Lælius, & morem majorum in ſacerdotibus creandis defenderat. *Guilielm.*

te, quam conſul ſum factus. itaque [1] rei veritate magis, quam ſumma auctoritate cauſa illa defenſa eſt.

26. [2] Quod ſi in ſcena, id eſt, in concione, in qua rebus fictis, & adumbratis loci plurimum eſt, tamen verum valet (ſi modo id patefactum, & illuſtratum eſt) quid in amicitia fieri oportet, [3] quæ tota veritate perpenditur? in qua niſi (ut dicitur) [4] apertum pectus videas, tuumque oſtendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas: [5] ne amare quidem, aut amari; cum id quam vere fiat, ignores. Quanquam iſta aſſentatio [6] quamvis pernicioſa ſit, nocere tamen nemini poteſt, niſi ei, qui eam recipit, atque ea delectatur. ita fit, ut is aſſentatoribus patefaciat aures ſuas maxime, qui [7] ipſe ſibi aſſentetur, & ſe maxime ipſe delectet. [8] Omnino eſt a-

1 *Rei veritate*] *Rei veritas* eſt juſtitia cauſæ; qua magis, quam auctoritate virorum ſummorum, ac in Rep. valde potentium, qui illam cauſam agebant, vicimus. *Grav.*

2 *Quod ſi in ſcena*] Reſpicit hic ad ea fabularum argumenta, quæ ſupra dixerat, de iis, qui ignoratione parentum, cum diu in famulatu fuiſſent, tandem inveniuntur aut regum, aut Deorum filii: tunc plauſus excitari à populo exultante ad veritatem, quam poeta fingit patefactam. *Lang.*

3 *Quæ tota veritate perpenditur*] Quæ ſine veritate conſtare, aut nomen ſuum tueri non poteſt. *Wolf.*

4 *Apertum pectus*] Videtur alludere ad ſtatuam hominis, effictam à Vulcano, in qua Momus id unum reprehendebat, quod pectori fallaciſſimi animantis nullam januam, aut feneſtram addidiſſet. *Idem.*

5 *Ne amare*] Videtur ſubintelligi, *poſſis*, aut vox conſimilis.

6 *Quamvis pernicioſa ſit*] Id eſt, Valde ſit pernicioſa. Cicero lib. 3. de oratore cap. 26. *Quare bene, & præclare quamvis mihi ſæpe dicatur.* Hoc eſt, Admodum ſæpe nobis dicatur bene, & præclare. Lib. 1. Tuſc. Quæſt. cap. 21. *Quamvis copioſe hæc diceremus, ſi res poſtularet.* Varro de re ruſtica cap. 5. *Homo quamvis humanus, ac jocoſus.* Virg. Æneid. 7. v. 492.

Ipſe domum ſera quamvis ſe voſſe ferebat. *Grav.*

7 *Qui ipſe ſibi aſſentetur*] Qui eſt valde φιλαυτος, & ſe, & ſua omnia miratur, & amat nimis. Eadem ratione ſordidus ille dives Athenis, qui à populo ſibilis conſcindebatur, ſibi ipſe plaudebat, cum arcam ſuam nummorum plenam inſpiceret, ut ipſe ait apud Horatium:

--- Populus me ſibilat: at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca. *Grav.*

8 *Omnino eſt amans ſui virtus*] Hinc Ariſtoteles lib. 9. ad Nicom. cap. 4. docet virum bonum ſe ipſum maxime amare, quia ſibi ipſi ea, quæ ſunt bona, & velit, & faciat, & omnia ſibi feliciter evenire cupiat. Itaque ſic ſe erga ſe ipſum habere, ut ſe habeat erga amicum. Cum amico vero quemlibet optare, ut ſibi conviverè, atque una eſſe, & habitare liceat. Virum bonum libenter etiam ſecum habitare, & ſecum vivere, propter voluptatem, quam capit ex meditationibus, & agitatione animi, quam bonis rebus impendit. Contra virum improbum nec ſibi amicum eſſe, nec aliis. Sibi, quia ſectetur voluptates, quæ illi ſint pernicioſæ: dein, quia diſſentiat à ſe ipſo, & modo hæc, modo illa velit: & quia videat meliora, probetque, deteriora ſequatur: & quia conſcientia ſcelerum vitam ei reddat tam acerbam, ut eam odio habeat, & ſæpe ejus tædio ſibi manus inferat. Præterea non poſſe ſecum habitare improbum; ſed

mans ſui virtus: optime enim ſe ipſa novit, quamque amabilis ſit, intelligit. ego autem non de virtute nunc loquor, ſed de virtutis opinione. virtute enim ipſa non tam multi præditi eſſe, quam videri volunt. Hos delectat aſſentatio: his fictus ad ipſorum voluntatem ſermo cum adhibetur, orationem illam vanam teſtimonium eſſe laudum ſuarum putant. nulla eſt igitur hæc amicitia, cum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus eſt. Nec paraſitorum in comœdiis aſſentatio nobis [1] faceta videretur, niſi eſſent milites glorioſi.

[2] *Magnas vero agere gratias Thais mihi?*

Satis erat reſpondere, Magnas: Ingentes, inquit. [3] ſemper auget aſſentator id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, [4] vult eſſe magnum. Quamobrem, quanquam blanda iſta vanitas apud eos valeat, qui ipſi illam allectant, & invitant, tamen etiam graviores, conſtantioreſque admonendi ſunt, ut animadvertant, ne callida aſſentatione capiantur. aperte enim adulantem nemo non videt, niſi qui admodum eſt excors. callidus ille, & occultus ne ſe [5] inſinuet, ſtudioſe cavendum eſt. nec enim facillime agnoſcitur: quippe qui etiam [6] adverſando ſæpe aſſentetur: & litigare ſe ſimulans blandiatur, atque ad extremum det manus, vincique ſe patiatur, ut is, qui illuſus ſit, [7] plus vidiſſe videatur. quid autem turpius, quam illudi? Quod ne accidat, magis cavendum eſt, ut in [8] Epiclero:

quærere ſodales, cum quibus garriat, ne ſolitudo ei memoriam ſcelerum refricet. Hinc & Seneca dicit: *Niſi ſapienti ſua non placent: omnis ſtultitia laborat faſtidio ſui.* Qui autem ſe ipſum non amet, nec alios amare poſſe. *Grav.*

1 *Faceta videretur*] Ita delectaret nos. *Wolf.*

2 *Magnas vero*] Vide Terentii Eunuch. Act. 3. Scen. 1.

3 *Semper auget aſſentator*] Sic Juvenalis de Græcis aſſentatoribus:

— Rides? Majore cachinno
Concutitur. Flet, ſi lacrymas inſpexit amici,
Nec dolet. Igniculum brumæ ſi tempore poſcas,
Accipit endromidem: ſi dixeris, æſtuo, ſudat
Græculus eſuriens.

4 *Vult eſſe magnum*] Id eſt, Magni facit, aliiſque rebus præfert. *Wolf.*

5 *Inſinuet*] Irrepat in ſinum, penetraliaque amicitiæ. *Manut.*

6 *Adverſando*] Hujus aſſentationis Æſchines Demoſthenem in epiſtolis accuſat. *Wolf.*

7 *Plus vidiſſe*] Sapientius judicaſſe. Sic Epiſt. Fam. lib. 7. *Vidiſſe mihi multum videris.* *Manut.*

8 *Epiclero*] *Epiclerus* Cæcilii fuit comœdia, Cæciliique hos verſus eſſe, ait Cicero in Catone. *Idem.*

Hodie

Hodie me ante omnes [1] *comicos ſtultos ſenes*
Verſaris, atque luſeris lautiſſime.

[2] Hæc enim etiam in fabulis ſtultiſſima perſona eſt improvidorum, & credulorum ſenum. Sed, neſcio quo pacto, ab amicitiis perfectorum hominum, id eſt, ſapientium (de hac dico ſapientia, quæ videtur [3] in hominem cadere poſſe) ad [4] leves amicitias deflexit oratio.

27. Quamobrem ad illa prima redeamus, eaque ipſa concludamus aliquando. Virtus, virtus, inquam, C. Fanni, & tu, Q. Muci, & conciliat amicitias, & conſervat. [5] in ea eſt enim convenientia rerum, in ea ſtabilitas, in ea conſtantia: quæ cum ſe extulit, & oſtendit lumen ſuum, & eidem adſpexit, agnovitque in alio, ad id ſe admovet, viciſſimque accipit illud, quod in altero eſt: ex quo exardeſcit ſive amor, ſive amicitia: utrumque enim dictum eſt ab amando. amare autem nihil aliud eſt, niſi eum ipſum diligere, quem ames, [6] nulla indigentia, nulla utilitate quæſita. [7] quæ tamen ipſa efloreſcit ex amicitia, etiam ſi tu eam minus ſecutus ſis. hac nos adoleſcentes benevolentia ſenes illos, [8] L. Paulum, [9] M. Catonem, [10] C. Gallum, [11] P. Naſicam, [12] T. Gracchum, Sci-

1 *Comicos ſenes*] Quod ſenes in Comœdiis plerumque à callidis ſervis decipiantur; ut Simo à Davo, Demea, & Chremes à Syro. *Wolf. Comicos ſenes* appellat, qui in Comœdiis inducuntur, ſtultos, leves, improvidos, futiles, obliviosos, credulos. *Lambin.* Hi *Comici ſenes* ſunt, quales in Comœdiis introduci ſolent, pilæ ſervorum, à quibus plerumque illis os ſublinitur. *Grav.*

2 *Hæc enim in fabulis*] Id eſt, Nulla ſtultior perſona introducitur in Comœdiis, quam improvidi, & credili ſenes. *Wolf.*

3 *In hominem*] Nam Stoica illa Idea divinitatis potius eſt, quam humanitatis. *Idem.*

4 *Leves*] Quas etiam vulgares appellat, quæ vel voluptate, vel utilitate conciliantur. *Idem.*

5 *In ea eſt convenientia rerum*] Id eſt, Omnia conſentiunt inter ſeſe, quæ cum virtute ſunt conjuncta. Nihil ineſt contrarium, nihil repugnans: propterea quod ratio, virtutis gubernatrix, ſemper ſui eſt ſimilis, & ad eundem ſcopum perpetuo collimat. *Idem.*

6 *Nulla indigentia*] Propter nullam indigentiam. *Idem.*

7 *Quæ tamen ipſa*] Scilicet utilitas. *Idem.*

8 *L. Paulum*] Fuit is filius Pauli ejus, qui conſul in Cannenſi ignominia periit. *Roger.*

9 *M. Catonem*] Is eſt familiæ princeps, conſularis, & cenſorius vir, cujus collega fuit Flaccus. *Roger.*

10 *C. Gallum*] C. Sulpicium Gallum, Aſtrologum, qui conſul fuit cum Marcello, de quo ſuperius. *Roger.*

11 *P. Naſicam*] P. Cornelium Scipionem Naſicam, qui vir optimus eſt dictus. *Grav.*

12 *T. Gracchum*] Fuit hic pater Gracchorum. Pater ejus bis conſulatum geſſit. Duxit Corneliam, minorem Africani majoris filiam. Sempronium filiam ejus ſtultam, & deformem Scipio Æmilianus duxit. *Roger. Et al.*

pionis noſtri ſocerum, dileximus. hæc etiam magis elucet inter æquales, ut inter me, & Scipionem, L. Furium, P. Rupilium, [1] Sp. Mummium. vicifſim autem ſenes in adoleſcentium caritate acquieſcimus; ut in veſtra, ut in [2] Q. Tuberonis; equidem etiam admodum adoleſcentis, P. Rutilii, A. Virginii familiaritate delector. Quoniamque ita ratio comparata eſt vitæ, naturæque noſtræ, ut alia ætas oriatur; maxime quidem optandum eſt, ut cum æqualibus poſſis, quibuſcum tanquam è carceribus emiſſus ſis, cum iiſdem ad calcem, ut dicitur, pervenire. Sed quoniam res humanæ fragiles, caducæque ſunt, ſemper aliqui anquirendi ſunt, quos diligamus, & à quibus diligamur. caritate enim, benevolentiaque ſublata, omnis eſt è vita ſublata jucunditas. Mihi quidem Scipio, quanquam eſt ſubito ereptus, vivit tamen, ſemperque vivet: virtutem enim amavi illius viri, [3] quæ extincta non eſt. nec mihi ſoli verſatur [4] ante oculos, qui illam ſemper in manibus habui, ſed etiam poſteris erit clara, & inſignis. nemo unquam animo, aut ſpe majora [5] ſuſcipiet, qui ſibi non illius memoriam, atque imaginem proponendam putet. Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna, aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis poſſim comparare. [6] In hac mihi de repub. conſenſus, in hac rerum privatarum conſilium; in eadem requies plena oblectationis fuit. nunquam illum [7] ne minima quidem re offendi, quod quidem ſenſerim: nihil audivi ex eo ipſe, quod nollem. una domus erat, idem victus, iſque communis: neque ſolum militia, ſed etiam peregrinationes, ruſticationeſque communes. Nam quid ego de ſtudiis dicam cognoſcendi ſemper aliquid, atque diſcendi? in quibus remoti ab oculis populi omne [8] otioſum tempus contrivimus? Quarum rerum recordatio,

1 *Sp. Mummium*] Lucii fratrem. *Manut.* Sp. autem Mummius fuit doctus ex diſciplina Stoicorum. *Roger.*

2 *Q. Tuberonis*] Q. F. Tubero L. Pauli Macedonici ex filia nepos, vivo avo ſuo præturam petens, repulſam tulit. *Lang.*

3 *Quæ extincta non eſt*] Vel, quia res ab eo geſtæ adhuc pro aris Reipublicæ; vel, quia in recenti adhuc hominum memoria verſantur. *Wolf.*

4 *Ante oculos*] Præſens. Nam cara ob oculos verſantur. *Manut.*

5 *Suſcipiet*] Conabitur. *Idem.*

6 *In hac mihi*] Perfectæ amicitiæ deſcriptio. *Idem.*

7 *Ne minima quidem re offendi*] Hoc veri amici eſt. Nam

Amicum ladere ne joco licet. Grav.

8 *Otioſum*] A Reipub. videlicet negotiis. *Guilielm.* Sic ſupra: *Qui ſuum negotium gerunt otioſi.*

&

& memoria ſi una cum illo occidiſſet, deſiderium conjunctiſſimi, atque amantiſſimi viri ferre nullo modo poſſem. ſed nec illa extincta ſunt, alunturque potius, & augentur cogitatione, & memoria mea: &, ſi illis plane orbatus eſſem, magnum tamen afferret mihi ætas ipſa ſolatium: diutius enim jam in hoc deſiderio eſſe non poſſum. Omnia autem brevia tolerabilia eſſe debent, etiam ſi magna ſint. Hæc habui, de amicitia quæ dicerem. Vos autem hortor, ut [1] ita virtutem locetis, ſine qua amicitia eſſe non poteſt, ut, ea excepta, nihil amicitia præſtabilius putetis.

1 *Ita virtutem locetis*] *Locare mentem, operam, tempus in aliquid*, leguntur apud Tullium, & alios. Sed *virtutem locare* non memini quemquam dixiſſe, nec quo ſenſu dici poſſit, niſi addatur res, in quam locetur virtus, video. Vereor, ne ex literarum trajectione labes orta ſit, quæ hunc locum fœdavit. Legendum ſuſpicor, *ita virtutem colatis*. *Grav.*

M. T.

M. T. CICERONIS

[1]PARADOXA

AD MARCUM [2]BRUTUM.

1. ANimadverti, Brute, ſæpe [3] Catonem, avunculum tuum, cum in ſenatu ſententiam diceret, locos graves ex philoſophia tractare, abhorrentes ab hoc uſu forenſi, & publico: ſed [4] dicendo conſequi tamen, ut illa etiam populo probabilia viderentur. quod eo [5] majus eſt illi, quam aut tibi, aut nobis, quia nos [6] ea philoſophia plus utimur, quæ peperit dicendi copiam, & in qua dicuntur ea, quæ [7] non multum diſcrepant ab opinione populari. Cato autem, perfectus (mea ſententia) Stoicus, & ea ſentit, quæ non ſane probantur [8] in vulgus; & in ea eſt [9] hæreſi,

1 *Paradoxa*] Id eſt, A communi opinione abhorrentia.

2 *Brutum*] Scribit Plutarchus hunc Brutum referre genus paternum ad Brutum eum, qui Tarquinios ex urbe ejecit, & maternum ad Servilium Ahalam, quo magiſtro equitum Sp. Mælius occiſus eſt. *Sylvius.*

3 *Catonem*] Fratrem Serviliæ Bruti matris: qui poſtea, cum ſe Uticæ occidiſſet, Uticenſis eſt appellatus. *Manut.*

4 *Dicendo conſequi*] Oratoriis ornamentis adhibitis efficere. *Wolf.*

5 *Majus*] Gravius, difficilius. *Manut.*

6 *Ea philoſophia*] Academica, & Peripatetica. *Sylvius.*

7 *Non multum diſcrepant ab opinione populari*] Peripatetici, & Academici corporis, & Fortunæ bona eſſe dicunt. Negant Stoici quicquam eſſe bonum, præter virtutem. Vitia eſſe paria hi dicunt, illi negant. Aliaque innumerabilia ſunt, de quibus non convenit inter Stoicos, & Academicos, & Peripateticos. *Sylvius.*

8 *In vulgus*] Nove dictum, pro, vulgo. *Eraſm.* Græciſmus, pro, apud vulgus. Sic alibi dixit, *frigere ad populum*, pro, parvi fieri, & negligi à populo. *Wolf.*

9 *Hæreſi*] *Hæreſis* fit παρὰ τὸ αἱρεῖσθαι, à delectu opinionis. *Idem.* Id eſt, Secta, Stoicorum ſcilicet. *Grav.*

quæ

quæ [1] nullum ſequitur florem orationis, neque dilatat argumentum: minutis [2] interrogatiunculis, quaſi [3] punctis, quod propoſuit, [4] efficit. Sed nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur. quod cum ita putarem, feci etiam audacius, quam ille ipſe, de quo loquor. Cato enim duntaxat de [5] magnitudine animi, de [6] continentia, de [7] morte, de [8] omni laude virtutis, de [9] Diis immortalibus, de [10] caritate patriæ, [11] Stoice ſolet, oratoriis ornamentis adhibitis, dicere. Ego vero illa ipſa, [12] quæ vix in gymnaſiis, & in otio Stoici probant, ludens [13] conjeci in [14] communes locos. quæ quia ſunt admirabilia, contraque opinionem omnium, ab ipſis etiam παράδοξα appellantur. Tentare volui, poſſentne proferri in lucem, id eſt, in forum, & ita dici, ut probarentur: an alia quædam eſſet erudita,

1 *Nullum ſequitur florem*] Stoici enim ſunt ineleganter; quanquam (ut ait Cicero de finibus lib. 4.) *ſcripſit artem Rhetoricam Cleanthes, Chryſippus etiam: ſed ſic, ut ſi quis obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat. Sylvius.* Idem de claris oratoribus dicit Stoicorum orationem aliquantò contractiorem eſſe, quam aures populi requirant; Peripateticorum vero, & Academicorum liberiorem, & latiorem, quam patiatur conſuetudo judiciorum, & fori. *Grav.* Stoicos eloquentiæ non dediſſe operam ſcribit Quintilianus lib. 10. *Manut.*

2 *Interrogatiunculis*] Intelligit argumentandi genus, quod interrogando adverſarium per inductionem colligitur. *Latomus.*

3 *Punctis*] Hoc eſt, Rebus acutis, & breviſſimis. Punctum enim, quod breve admodum eſt, dicitur à pungendo. Quia ſpinæ pungunt, orationis genus, quo Stoici utuntur, ſpinoſum appellat Cicero de finibus lib. 5. *Grav.* Metaphora à Geometris, qui puncta dicunt, partes, ex quibus lineæ conficiuntur minutiſſimæ. *Manut.*

4 *Efficit*] Pro, colligit. *Eraſm.* Id eſt, Quod vult perſuadere, & aliis probare, id conſequitur illis minutis interrogatiunculis. *Grav.*

5 *Magnitudine animi*] Quæ in deſpicientia rerum humanarum, & in unius virtutis admiratione maximè cernitur. *Manut.*

6 *Continentia*] Ne propter voluptatem, aut emolumentum juſtitia, & modeſtia relinquatur. *Wolf.*

7 *Morte*] Eam viro ſapienti non eſſe metuendam, ſed cauſa honeſtatis, ſi neceſſe ſit, fortiter oppetendam. *Idem.*

8 *Omni laude virtutis*] Virtutem ſummum bonum eſſe, & unicum; nec aliud quidquam laudandum. *Manut.*

9 *Diis*] Eorum providentia mundum regi, & omnibus hominibus conſuli. *Idem.*

10 *Caritate patriæ*] Omnibus commodis, etiam vitæ patriam anteponendam eſſe. *Wolf.*

11 *Stoice*] Ex ſententia Stoicorum. *Idem.*

12 *Quæ vix in gymnaſiis*] Quo major eſt mea laus, quam Catonis. Ille enim ornat ea, quæ ornari facile poſſunt: ego autem probanda, laudandaque ſuſcepi, quæ Stoici ipſi, nedum cæteri Philoſophi, vix in gymnaſiis diſputantes probant. *Manut.*

13 *Conjeci*] Pro, collegi, ſed tumultuarie. *Eraſm.*

14 *Communes locos*] Communes ſententias, vulgo etiam probabiles. *Latomus.*

alia

alia [1] popularis oratio: eoque ſcripſi libentius, quod mihi iſta παράδοξα, quæ appellant, maxime videntur eſſe Socratica, longeque veriſſima. Accipies igitur hoc parvum opuſculum, lucubratum [2] his jam contractioribus noctibus: quoniam [3] illud majorum vigiliarum munus in tuo nomine [4] apparuit. & deguſtabis genus hoc exercitationum earum, quibus uti conſuevi, cum ea, quæ dicuntur in ſcholis [5] θετικὰ, ad noſtrum hoc oratorium transfero dicendi genus. Hoc tamen opus [6] in acceptum ut referas, nihil poſtulo. non eſt enim, ut in [7] arce poni poſſit, quaſi illa Minerva Phidiæ: ſed tamen, ut ex eadem officina exiſſe appareat.

PARADOXON I.

[8] Ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν.

Quod honeſtum ſit, id ſolum bonum eſſe.

1. VEreor, ne cui veſtrum ex Stoicorum hominum diſputationibus, non ex meo ſenſu deprompta hæc videatur oratio: dicam tamen, quod ſentio, & dicam brevius, quam res tanta dici poſcit. Nunquam hercule ego neque [9] pecunias [10] iſtorum, neque [11] tecta magnifica, neque [12] opes, neque imperia, neque eas, quibus maxime adſtricti ſunt, voluptates in bonis rebus, aut expetendis eſſe duxi:

1 *Popularis*] Ad vulgi captum accommodata. *Latomus.*

2 *His contractioribus noctibus*] Æſtivis. *Manut.*

3 *Illud majorum vigiliarum munus*] Libri, ut exiſtimo, de finibus bonorum, & malorum: etſi ad eundem & Tuſculanas quæſtiones ſcripſit, librum epiſtolarum, de claris oratoribus, & oratorem. *Wolf.*

4 *Apparuit*] In apertum prodiit. *Eraſm.*

5 Θετικὰ] Idæſt, Propoſita; unde Θέσις, quæſtio. *Latomus.* Poſitiones ſunt, & argumenta diſputantium. *Eraſm.*

6 *In acceptum ut referas*] Quaſi dicat, Tantulum eſt, ut acceptum ferre non debeas. *Lang.* Id eſt, Ut quicquam te mihi hoc nomine debere exiſtimes. Quaſi dicat, Leve munuſculum eſt, & nullius momenti. *Wolf.*

7 *Arce*] Athenienſi, in qua collocata eſt ærea Phidiæ Minerva.

8 Ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν] Græcis utitur inſcriptionibus, quod declamationum themata ſint hæc, à Græcis ſumpta. *Manut.* Cicero alibi hoc Paradoxum ad Zenonem auctorem refert, Laertius ad Hecatonem, & Chryſippum. *Grav.*

9 *Pecunias*] M. Craſſi. *Manut.*

10 *Iſtorum*] Cum contemptu dictum. *Idem.*

11 *Tecta magnifica*] L. Luculli. *Idem.*

12 *Opes, imperia*] Cn. Pompeii. *Idem.*

quippe

quippe cum viderem, [1] rebus his circumfluentibus, ea tamen deſiderare maxime, quibus abundarent. neque enim expletur unquam, nec ſatiatur cupiditatis ſitis: neque ſolum ea, quæ habent, libidine augendi cruciantur, ſed etiam amittendi metu. in quo equidem continentiſſimorum hominum, majorum noſtrorum, ſæpe requiro prudentiam, qui hæc [2] imbecilla, & commutabilia pecuniæ membra, verbo bona putaverunt appellanda, cum re, ac factis longe aliter judicaviſſent. [3] Poteſtne bonum cuiquam malo eſſe? aut poteſt quiſquam in abundantia bonorum ipſe eſſe non bonus? Atqui iſta omnia talia videmus, ut etiam improbi habeant, & obſint probis. Quamobrem licet irrideat, ſi quis vult: plus apud me tamen vera ratio valebit, quam vulgi opinio. neque ego unquam bona perdidiſſe dicam, ſi qui pecus, aut ſupellectilem amiſerit: neque non ſæpe laudabo ſapientem illum Biantem, ut opinor, qui [4] numeratur in ſeptem: cujus cum patriam [5] Prienen cepiſſet hoſtis, cæterique ita fugerent, ut multa de ſuis rebus ſecum aſportarent: cum eſſet admonitus à quodam, ut idem ipſe faceret: Ego vero, inquit, facio. Nam [6] omnia mea porto mecum. Ille hæc [7] ludibria fortunæ ne ſua quidem putavit, quæ nos appellamus etiam bona. Quid eſt igitur, quæret aliquis, bonum? ſi quid recte fit, & honeſte, & cum virtute, id bene fieri vere dicitur: &, quod rectum, & honeſtum, & cum virtute eſt, id ſolum opinor bonum.

2. Sed hæc videri poſſunt obſcuriora, cum lentius diſpu-

1 *Rebus his circumfluentibus*] Hoc eſt, In magna rerum iſtarum copia. *Grav.*

2 *Imbecilla, & commutabilia pecuniæ membra*] Incertas iſtas poſſeſſiones rerum corporalium, quas Fortunæ debemus, quæque facile, ut Fortunæ, mutari poſſunt. Pecuniæ nomine omnia intelliguntur, quæ in bonis ſunt, præcipue corporalia, quorum multa ſunt membra. *Grav.*

3 *Poteſne bonum cuiquam malo eſſe*] At quot perdiderunt divitiæ, honores, forma, nobilitas! *Grav.*

4 *Numeratur*] Æſtimatur, habetur. Sic lib. 7. ad familiares epiſt. 1. *Me autem uterque numerat ſuum.* Hoc eſt, Exiſtimat me ſuarum partium eſſe. *Grav.*

5 *Prienen*] Ioniæ urbem, Thebarum coloniam. *Manut.*

6 *Omnia mea*] Virtutem, & ſapientiam, quæ homini non niſi cum vita eripi poſſunt. *Manut.*

7 *Ludibria fortunæ*] Ludit enim Fortuna, divitiis nunc tribuendis, nunc eripiendis. Ovidius:

Nempe dat & quodcunque libet Fortuna, rapitque:
Irus & eſt ſubito, qui modo Cræſus erat.

Horatius:

Si Fortuna volet, fies de Rhetore conſul:
Si volet hac eadem, fies de conſule Rhetor. Manut.

tantur. vita, atque factis illustranda sunt summorum virorum hæc, quæ verbis [1] subtilius, quam satis est, disputari videntur. Quæro enim à vobis, num [2] ullam cogitationem habuisse videantur ii, qui hanc remp. tam præclare fundatam nobis reliquerunt, aut [3] argenti ad avaritiam, aut amœnitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates? Ponite ante oculos unumquemque regum. [4] Vultis à Romulo? vultis post liberam civitatem, ab iis ipsis, qui liberaverunt eam? Quibus tandem gradibus Romulus [5] ascendit in cœlum? iisne, quæ isti bona appellant? an rebus gestis, atque virtutibus? Quid à Numa Pompilio? minusne gratas Diis immortalibus [6] capedines, ac fictiles urnulas fuisse, quam [7] filicatas aliorum pateras arbitramur? Omitto reliquos: sunt enim omnes pares inter se, præter Superbum. [8] Brutum si qui roget, quid egerit in patria liberanda: si quis item reliquos ejusdem [9] consilii socios, quid spectaverint, quid secuti sint: num quis existet, cui voluptas, cui divitiæ, cui denique præter officium fortis, & magni viri, quidquam aliud propositum fuisse videatur? Quæ res ad necem Porsennæ [10] C. Mucium impulit, sine ulla spe salutis suæ? Quæ vis Coclitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? quæ patrem Decium, qui filium devotavit, atque immisit in armatas hostium copias? Quid continentia C. Fabricii? quid tenuitas victus M. Curii sequebatur? Quid

1 *Subtilius*] More Stoicorum. *Idem.*

2 *Ullam cogitationem*] Non modo non maximam, ut plerique, sed nec ullam prorsus. *Idem.*

3 *Argenti*] *Argentum* apud antiquos usurpatur pro omni pecunia, sive sit ærea, sive argentea, sive aurea. Terent. Heaut. *Argentum, quod illi es pollicitus, inveniam.* Adelph. *Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam.* Exempla congerere putidum est. *Grav.*

4 *Vultis à Romulo*] Scilicet exemplum. *Grav.*

5 *Ascendit in cœlum*] Quia subito extinctus non apparuit, ascendisse in cœlum creditus est. Hinc Ennius:

— *Romulus in cœlo cum Diis agit ævum.* *Manut.*

6 *Capedines*] Vasis genus, à Numa sacris adhibitum. Sic Festus: *Capis, poculi genus, à capiendo dictum. Idem. Capis, capedo, capula, capeduncula*, dicitur vas ansatum ligneum, aut fictile, quo olim in sacris utebantur. Varro.

7 *Filicatas*] Filicata patera dicta, quod ad filicis herbæ speciem sit cælata. Festus. A filice herba, cujus imago in poculis, & pateris cælari solita fuerit. *Manut.*

8 *Brutum*] Intelligit L. Junium Brutum, Tarquiniorum expulsorem.

9 *Consilii socios*] Sp. Lucretium, P. Valerium Tricipitinum, Collatinum, & alios. *Manut.*

10 *C. Mucium*] Scævolam.

[1] duo

[1] duo propugnacula belli Punici, Cn. & P. Scipiones, qui Carthaginiensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt? quid Africanus major? quid minor? quid inter horum ætates interjectus Cato? quid innumerabiles alii? (nam domesticis exemplis abundamus) cogitasse quidquam putamus in vita sibi expetendum, nisi quod laudabile esse, & præclarum videretur?

3. Veniant igitur isti irrisores hujus orationis, ac sententiæ, & jam vel ipsi judicent, utrum se horum alicujus, qui marmoreis tectis, ebore, & auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui cælato auro, & argento, qui [2] Corinthiis operibus abundant, an C. Fabricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, esse similes malint? Atque hæc quidem, quæ modo huc, modo illuc transferuntur, [3] facile adduci solent, ut in rebus bonis esse negent. Illud [4] arcte tenent, accurateque defendunt, voluptatem esse summum bonum. quæ quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum. Tu, cum tibi sive Deus, sive mater (ut ita dicam) rerum omnium natura, dederit animum, quo nihil est præstantius, neque divinius, sic te ipse abjicies, atque prosternes, ut nihil inter te, atque quadrupedem aliquam putes intersse? [5] Quidquam bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorem facit? Ut enim quisque est maxime boni particeps, ita & laudabilis maxime: neque est ullum bonum, de quo non is, qui id habeat, honeste possit gloriari. Quid autem est horum in voluptate? Melioremne efficit, aut laudabiliorem virum? an quisquam in potiundis voluptatibus gloriando se, & prædicatione effert? Atqui, si voluptas, quæ plurimorum patrociniis defenditur, in rebus bonis habenda non est: eaque, quo est major, eo magis mentem è sua sede, & statu dimovet: profecto nihil est aliud bene, & beate vivere, nisi honeste, & recte vivere.

1 *Duo propugnacula belli*] Virgilius:
— *Scipiadas, duo fulmina belli.*
Et Silius Italicus:
— *Belligeri, Mavortia pectora, fratres.*

2 *Corinthiis operibus*] Ex ære Corinthio post ipsam Corinthum à L. Mummio eversam. *Manut.*

3 *Facile adduci solent*] Id est, Sunt nonnulli, qui facile credunt hæc bona non esse. *Sylv.*

4 *Arcte tenent*] Metaphora ab iis ducta, qui sibi eripi aliquid, & extorqueri de manibus non patiuntur. *wolf.*

5 *Quidquam bonum est*] Sic Seneca Epist. 87. *Quod bonum est, bonum facit: fortuita bonum non faciunt: ergo non sunt bona.*

PARADOXON II.

Ὅτι [1] αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν.

In quo virtus ſit, ei nihil deeſſe ad beate vivendum.

1. NEC [2] vero ego M. Regulum ærumnoſum, nec infelicem, nec miſerum, unquam putavi. non enim magnitudo animi ejus cruciabatur à Pœnis, non gravitas, non fides, non conſtantia, non ulla virtus, non denique animus ipſe: qui tot virtutum præſidio, tantoque comitatu, cum corpus ejus caperetur, capi certe [3] ipſe [4] non potuit. C. vero Marium vidimus, qui mihi ſecundis rebus unus ex fortunatis hominibus, [5] adverſis unus ex ſummis viris videbatur: quo [6] beatius eſſe mortali nihil poteſt. [7] Neſcis, inſane, neſcis, quantas vires virtus habeat: nomen tantum virtutis uſurpas: quid ipſa valeat, ignoras. [8] Nemo poteſt non beatiſſimus eſſe, qui eſt totus [9] aptus ex ſeſe, quique in ſe uno ſua ponit omnia. cui ſpes omnis, & ratio, & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil poteſt eſſe certi; nihil, quod exploratum habeat permanſurum ſibi unum diem. [10] Eum tu hominem terreto, ſi quem eris nactus, iſtis [11] mortis, aut exi-

1 Αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν] *Αὐτάρκειαν ſufficientem* vulgo interpretantur, & *αὐτάρκειαν ſufficientiam*. Quam tamen vocem Latina puritas reſpuit. Eſt quidem hæc Zenonis, Chryſippi, Hecatonis, non tamen omnium Stoicorum ſententia. Panætius enim, & Poſidonius diſſentiunt; qui præter virtutem ad beatam vitam contendunt requiri bonam valetudinem, & vires corporis. *Betul.*

2 *Nec vero*] Ex abrupto, exordio prorſus diſſimulato. *Manut.*

3 *Ipſe*] Animus Reguli. *Sylv.*

4 *Non potuit*] Quippe qui munitus, ſeptuſque tot virtutum præſidio corporis cruciatibus non perturbatus eſt.

5 *Adverſis*] Quas conſtantiſſime pertulit. *Manut.*

6 *Beatius eſſe*] Id eſt, Contingere. Sententia eſt: Feliciſſimum eſſe eum, qui virtutem cum felicitate conjunxerit. *Wolf.*

7 *Neſcis, inſane*] Apoſtrophe, qua in M. Antonium invehitur. *Latom.*

8 *Nemo poteſt non*] Eſt hoc ſcitum Stoicum triciſſimum: Sapientis felicitatem pendere à ſe ipſo, non a rebus externis, & fortuitis, eumque in ſe omnia poſita habere. *Grav.*

9 *Aptus*] Id eſt, Junctus ex ſeſe, neque ex Fortuna, aut aliunde pendens. *Latom.*

10 *Eum*] Qui a Fortuna pendet. *Manut.*

11 *Mortis, exilii*] Vox prior Reguli, poſterior Marii ſortem reſpicit. Magnifica eſt illa vox Theodori Cyrenæi, qui Lyſimacho regi, ſibi crucem minitanti, *Iſtis, quaſo*, inquit, *iſta horribilia minitare purpuratis tuis: mea quidem nihil intereſt, humi ne, an in ſublime putrefiam.*

ſii minis. mihi vero quidquid acciderit in tam ingrata civitate, ne recuſanti quidem evenerit, non modo non repugnanti. [1] Quid ego enim laboravi, aut quid egi, aut in quo evigilaverunt curæ, & cogitationes meæ, ſi quidem nihil peperi tale, nihil conſecutus ſum, ut eo ſtatu eſſem, quem neque fortunæ temeritas, neque inimicorum labefactaret injuria? Mortemne mihi minitaris, ut omnino ab hominibus: an exilium, ut ab improbis demigrandum ſit? Mors terribilis eſt iis, [2] quorum cum vita omnia extinguuntur: non iis, quorum laus emori non poteſt: exilium autem illis, quibus quaſi circumſcriptus eſt habitandi locus: non iis, qui omnem [3] orbem terrarum unam urbem eſſe ducunt. Te miſeriæ, te ærumnæ premunt, qui te beatum, qui florentem putas: tuæ libidines te torquent: tu dies, noctesque cruciaris; [4] cui nec ſat eſt, quod eſt, &, idipſum ne non ſit diuturnum, times: te conſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum: te metus exanimant judiciorum, atque legum: quocunque adſpexeris, [5] ut furiæ, ſic tuæ tibi occurrunt injuriæ, quæ te reſpirare non ſinunt. Quamobrem ut improbo, & ſtulto, & inerti nemini bene eſſe poteſt; ſic bonus vir, & ſapiens, & fortis miſer eſſe non poteſt. Nec vero, cujus virtus, moreſque laudandi ſunt, ejus non laudanda vita eſt: neque porro fu-

1 *Quid ego laboravi*] Sententia eſt: Ioane eſſet meum Philoſophiæ ſtudium, fruſtra Reip. ſalutem defendiſſem, niſi animo eſſem adverſus omnes terrores confirmato. *Muſ.*

2 *Quorum cum vita omnia extinguuntur*] Id eſt, Qui nihil unquam in vita geſſerunt, quod apud poſteritatem ulla laude dignum eſſet: quorum memoria (ut dici ſolet) perit cum ſonitu. Ea autem laus, apud poſteritatem permanſura, virtute paratur. Inde eſt illud Virgil. Æneid. 10.

— Breve, & irreparabile tempus
Omnibus eſt vita, ſed famam extendere factis
Hoc virtutis opus. Sylv.

Nimirum iis eſt mors terribilis, qui vitam ſilentio tranſeunt, veluti pecora, ut ait Saluſtius. *Grav.*

3 *Orbem terrarum unam urbem ducunt*] Ut Socrates, qui, cum interrogaretur, cujatem ſe eſſe diceret, Mundanum, dixit. Totius enim mundi ſe incolam, & civem arbitrabatur. *Sylv.* Eodem modo Diogenes interrogatus, unde eſſet, reſpondit, Sum Κοσμοπολίτης. Sic Epictetus: Πολίτης ὁ τοῦ κόσμου καὶ μέρος ἀπ' τοῦ. Et rurſus: Ὁ κόσμος ἓν τι ἐκ πολλῶν ἐστι. Sic Minucii Octavius: *Non poſſis pulchre gerere rem civilem, niſi cognoveris hanc communem omnium mundi civitatem. Grav.*

4 *Cui nec ſat eſt, quod eſt*] Quis *Luxuria deſunt multa, avaritiæ omnia*, ut ait P. Syrus Mimus. *Grav.*

5 *Ut furiæ*] Vide Adagium: *Conſcientia mille teſtes.* Alludit ad Oreſtis fabulam, à poetis deſcriptam, quem fingunt occurſu Furiarum exagitari, ardentes faces quatientium. Unde exclamet:

Ἆλλ', ἦ μὰν τάδ' ἐγὼ δᾷδα πρέπουσ'.

Hinc Virgilius Æneid. 3.

— Scelerum furiis agitatus Oreſtes.

Et rurſus:

Aut Agamemnonius ſcenis agitatus Oreſtes. Manut.

gienda

gienda vita, quæ laudanda eſt, eſſet autem fugienda, ſi eſſet miſera. Quamobrem quidquid eſt laudabile, idem & beatum, & florens, & expetendum videri debet.

PARADOXON III.

Ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὰ κατορθώματα.

Æqualia eſſe peccata, & recte facta.

1. PArva, inquis, res eſt: at magna culpa. nec enim peccata rerum eventu, ſed vitiis hominum metienda ſunt. In quo peccatur, id poteſt aliud alio majus eſſe, aut minus: ipſum quidem illud peccare, quoquo te verteris, [2] unum eſt. [3] Auri navem evertat gubernator, an paleæ; in re aliquantulum, in gubernatoris inſcitia nihil intereſt. Lapſa eſt libido in muliere ignota: dolor ad panciores pertinet, quam ſi petulans fuiſſet in aliqua generoſa, ac nobili virgine: peccavit vero nihilominus, ſi quidem eſt peccare, tanquam [4] tranſilire lineas: quod cum feceris, culpa commiſſa eſt: quam longe progrediare, cum ſemel tranſieris, ad augendam tranſeundi culpam nihil pertinet. Peccare certe licet nemini. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, [5] ſi arguitur non licere. Id ſi nec majus, nec minus unquam fieri poteſt (quoniam in eo eſt peccatum, ſi non licuit; quod ſemper unum, & idem eſt) quæ ex eo peccata naſcun-

1 Ἴσα τὰ ἁμαρτήματα.] Hoc Paradoxum eſt Stoicorum. Hi enim peccata paria exiſtimant. Nam ſi verum vero majus non eſt, nec falſum falſo majus erit. Ita nec fraus fraude, nec peccato peccatum. Nam & qui centum ſtadia abeſt à Canopo, & qui unum, æque in Canopo non ſunt. Itaque & qui minus peccat, & qui amplius, æque in ſecto opere non ſunt. *Sylv.*

2 *Unum eſt*] Scilicet genere, ſed ſpecies diverſas ſub ſe continet. *Muſſ.*

3 *Auri navem*] Id eſt, Navem auro onuſtam.

4 *Tranſilire lineas*] Quod erat curſorum in ſtadio. Duæ erant in ſtadio lineæ. Altera erat in longum cavata in limine ſtadii, cui curſores inſiſtebant, ut ex æquo limine progrederentur. Si qui ultra lineam vellent evagari, & limitem præcipere, voce præconia revocari ſolet, *Recte! ſinistrè, Ad rectè mane, lineam redde, ad lineam pedem pone.* Inde illæ apud Tertullianum crebræ locutiones, *linea inſiſtere, ad lineam dimicare, intra lineas gradum colligere*, & ſimiles. Erat & alia linea in fine ſtadii, quæ dicebatur ultima linea, ad quam curſus finiebatur. *Salmaſ.* Primam hic reſpicit Cicero, quam qui tranſiliebat ante ſignum datum, peccabat. *Grav.*

5 *Si arguitur*] Si oſtenditur. *Sylv.*

tur,

tur, æqualia ſint oportet. Quod ſi virtutes pares ſunt inter ſe, paria eſſe etiam vitia neceſſe eſt. Atqui pares eſſe virtutes, [1] nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec ſapiente ſapientiorem poſſe fieri, facillime poteſt perſpici. An virum bonum dices, qui depoſitum nullo teſte, cum lucrari impune poſſet, auri pondo decem reddiderit, ſi idem in decem millibus pondo auri non idem fecerit? aut temperantem, qui ſe in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? Una virtus eſt, [2] conſentiens cum ratione, & perpetua conſtantia. nihil huic addi poteſt, quo magis virtus ſit: nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur. etenim, ſi benefacta recte facta ſunt, & nihil recto rectius, certe ne bono quidem melius quidquam inveniri poteſt. Sequitur igitur, ut etiam vitia ſint paria: ſiquidem pravitates animi recte vitia dicuntur. Atqui, quoniam pares virtutes ſunt, recte facta, quando à virtutibus proficiſcuntur, paria eſſe debent: itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, ſint æqualia neceſſe eſt.

2. A philoſophis, inquis, iſta ſumis. Metuebam, ne à lenonibus diceres. Socrates diſputabat iſto modo. Bene hercle narras. nam iſtum doctum, & ſapientem virum fuiſſe, memoriæ traditum eſt. Sed tamen quæro ex te (quando verbis inter nos contendimus, non pugnis) utrum bonis eſt quærendum, quid bajuli, atque operarii, an quid homines doctiſſimi ſenſerint? præſertim cum hac ſententia non modo verior, ſed ne utilior quidem hominum vitæ reperiri ulla poſſit. Quæ vis enim eſt, quæ magis arceat homines ab improbitate omni, quam ſi ſenſerint, nullum in delictis eſſe diſcrimen? æque peccare ſe, ſi privatis, ac ſi magiſtratibus manus adferant? quamcunque in domum ſtuprum intulerint,

1 *Nec bono viro meliorem*] Stoici negant, quemquam virum bonum eſſe, niſi ſapientem. Sapientem autem dicunt eum, qui perfectus eſt, & abſolutus, ut omnes virtutis numeros habeat: quam ſapientiam adhuc mortalis nemo eſt conſecutus, ut ait Cicero in Lælio. Bono igitur viro melior eſſe non poteſt, ſi is demum bonus eſt, qui omnes virtutis numeros habet. Nam plures alius habere non poteſt. *Sylv.* Scholæ Stoicæ pronuntiant, omnes, qui non ſunt ſapientes, eſſe ſtultos, nihil eſſe medium: peccata enim non diſtingui, ſed eſſe æqualia. Sapientem autem nulla ex parte eſſe, niſi qui totus ſapiat; quia virtutes ſe mutuo conſequantur, ut qui unam habeat, omnes habere ſit neceſſe, & qui una careat, omnibus nudatum eſſe neceſſario. *Caſaub.*

2 *Conſentiens cum ratione, & perpetua conſtantia*] Hoc eſt, Semper ſibi conſtans nunquam à ratione diſcedit. *Grav.*

eandem

eandem esse labem libidinis? Nihilne igitur interest (nam hoc dicet aliquis) patrem quis necet, an servum? [1] Nuda ista si ponas, judicari, qualia sint, non facile possunt. patrem vita privare si per se scelus est, [2] Saguntini, qui parentes suos liberos emori, quam servos vivere maluerunt, parricidæ fuerunt. ergo & parenti nonnunquam adimi vita sine scelere potest: & servo sæpe sine injuria non potest. Causa igitur hæc, non natura distinguit: quæ quando [3] utro accessit, id fit propensius; si utroque adjuncta sit, paria fiant necesse est. illud tamen interest, quod in servo necando, si adsit injuria, semel peccatur. in patris vita violanda multa peccantur. violatur is, qui procreavit; is, qui aluit; is, qui etudivit; is, qui in sede, ac domo, atque in rep. collocavit. multitudine peccatorum præstat, eoque pœna majore dignus est. Sed nos in vita, non quæ cuique peccato pœna sit, sed quantum cuique liceat, spectare debemus. quidquid non oportet, scelus esse: quidquid non licet, nefas putare debemus. Etiamne in minimis rebus? etiam: si quidem [4] rerum modum fingere non possumus; [5] animorum modum tenere possumus. Histrio [6] si paulum se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior, aut longior, exibilatur, & exploditur: in vita tu, qui omni gestu moderatior, omni versu aptior esse debes, ut [7] in syllaba te peccare dices? [8] poëtam non audio in nugis: in vitæ societate audiam civem, [9] digitis peccata dimetien-

1 *Nuda*] Remota à circumstantiis. *Manut.*

2 *Saguntini*] Sagunti, Hispaniæ oppidi, incolæ, ab Hannibale diu obsessi. Iode proverbium: *Saguntina fames.*

3 *Utro*] Pro, *utrovis. Manut.*

4 *Rerum modum fingere*] Sententia est: Cum labi semel cœperis, aut ruere, difficile esse consistere, & inhibere gradum, nec longius progredi. *Wolf.*

5 *Animorum modum tenere*] Scilicet, ne incipias deflectere ab æquitate, & veritate. *Idem.*

6 *Si paulum se movit extra numerum*] Hoc est, Si non commode saltavit, aut in saltando peccavit contra leges Saltationis. *Numeri* tam ad Musicam pertinent, quam ad saltationem. De Musicis Virgilius:

--- *Numeros memini, si verba tenerem.*

De saltationum numeris Persius:

--- *Nec, cum sis cætera fossor,*
Tres tantum ad numeros Satyri movere Bathylli.

Lucretius lib. 2.

Ludunt, in numerumque exultant sanguine lati. Casaub.

7 *In syllaba*] Figurate dictum, pro, in aliqua vel minima particula ejus. *Lang.*

8 *Poetam non audio*] Se excusantem: non fero, si peccat. *Manut.*

9 *Digitis peccata dimetientem*] Id est, Qui propterea se excusatum putet, quod peccaverit quidem, sed neque sæpe, neque magnis in rebus. *Wolf.* Alludit ad poetas carminum pedes digitis metiri solitos. Unde Horatius de arte poetica:

Legitimumque sonum digitis callemus, & arte.

tem

tem ſua? quæ [1] ſi viſa ſunt breviora, leviora qui poſſint videri, cum quidquid peccatur, perturbatione peccetur rationis, atque ordinis? perturbata autem ſemel ratione, & ordine, nihil poſſit addi, quo magis peccari poſſe videatur.

PARADOXON IV.

Ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται.

Omnem ſtultum inſanire.

1. EGO [3] vero [4] te non ſtultum, ut ſæpe: non improbum, ut ſemper; ſed dementem, & inſanum [5] rebus vincam neceſſariis. Sapientis animus magnitudine conſilii, [6] tolerantia rerum humanarum, [7] contemptione fortunæ, virtutibus denique omnibus, ut mœnibus, ſeptus, vincetur, & expugnabitur, qui ne civitate quidem pelli poteſt? quæ eſt enim civitas? Omniſne conventus etiam ferorum, & immanium? omniſne etiam fugitivorum, ac latronum congregata unum in locum multitudo? certè negabis. [8] Non igitur erat illa tum civitas, [9] cum leges in ea nihil valebant,

1 *Si viſa ſunt breviora*] Id eſt, Si minus longè receſſeris à medio, id eſt, à virtute. *Wolf. Breve* pro exiguo ubique obvium eſt. Quo vocabulo uſus eſt propter inſtitutum comparationem de ſyllabarum quantitate. *Lang.*

2 Ὅτι ἄφρων μαίνεται] Stultus dicitur, qui etiam leve aliquod crimen admiſit, etiam ex imprudentia. Infanus verò, qui multis criminibus vel graviſſimis, dedita opera ſuſceptis, ita ſe implicavit, ut hoc ipſum peccare eum delectet, etiamſi nulla peccandi cauſa ſit. Stoici verò, ut omnia peccata exiſtimant æqualia, ita ſtultitiam inſaniæ parem faciunt. Hoc autem Paradoxon non tam probat Cicero, quam docet P. Clodium inſanum eſſe, eumque, multis legibus damnatum, exulem fuiſſe, quamvis ſolum non mutaverit: ſe verò exulem fuiſſe negat, quamvis, ut Clodiano furori cederet, ex urbe exiverit. *Sylv.*

3 *Ego vero*] Propoſitione aſpera, & vehementi irrumpit in hanc cauſam ſine exordio. *Manut.*

4 *Te*] Clodi: nam in eum invehitur. *Idem.*

5 *Rebus vincam neceſſariis*] Hoc eſt, Evincam invictis argumentis. Nam *res* ſæpe ſunt, rationes, argumenta. Cæl. Aurel. *Sed horum deliratio manifeſtis rebus probatur.* Apul. Metamorph. lib. 10. *Quibus autem verbis accuſator egerit, quibus rebus diluerit rem. Vincere* autem, pro, *evincere*, tritiſſimum Ciceroni. Lib. 11. ad Famil. epiſt. 28. *Perinde ac, ſi jam vicerint obitum ejus Reip. fuiſſe utilem.* Pro Cluentio: *Vince deinde virum bonam fuiſſe Oppianicum. Grav.*

6 *Tolerantia rerum humanarum*] Hoc eſt, Patientia earum rerum, quæ adverſæ hominibus eveniunt. *Sylv.*

7 *Contemptione*] Hanc vocem à Cicerone ſæpe, *contemptum* raro dici inveniius. *Sylv.*

8 *Non erat illa tum civitas*] Quia (ut lib. 2. de officiis docuit) *civitas eſt eorum, qui legibus obtemperant. Grav.*

9 *Cum leges in ea nihil valebant*] Non hoc ſolum fecit Clodius eo anno, quo fuit

cum judicia jacebant, cum mos patrius occiderat, cum, ferro pulsis magistratibus, [1] senatus nomen in rep. non erat. Prædonum ille concursus, & te duce latrocinium in foro constitutum, & reliquiæ conjurationis à Catilinæ furiis ad tuum scelus, furoremque conversæ, non civitas erat. Itaque pulsus ego civitate non sum, quæ nulla erat; arcessitus in civitatem sum, cum esset in rep. [2] consul, qui tum nullus fuerat: esset senatus, qui tum [3] occiderat: [4] esset consensus populi liberi: esset juris, & æquitatis (quæ vincla sunt civitatis) repetita memoria. Ac vide, quam ista tui latrocinii tela contempserim. jactam, & immissam à te nefariam in me injuriam semper duxi: [5] perveniſſe ad me nunquam putavi: nisi forte, [6] cum parietes disturbabas, aut cum tectis sceleratas faces inferebas, meorum aliquid ruere, aut deflagrare arbitrabare. Nihil neque meum est, neque cujusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses divinam animi mei constantiam, meas curas, vigilias, consilia, quibus resp. te invitissimo [7] stat; si hujus æterni beneficii immortalem memoriam deleviſſes, multo etiam magis, si illam [8] mentem, unde hæc consilia manarunt, mihi eripuisses, tum ego accepisse me confiterer injuriam. Sed si hæc nec feciſti, nec facere potuisti, reditum mihi gloriosum injuria tua dedit, non exitum calamitosum. Ergo ego semper civis; & tum maxime, cum meam salutem senatus

fuit tribunus plebis, ut leges nihil valerent, sed etiam multas leges Reip. perniciosas tulit. *Sylv.* Imaginem ostendit illius temporis, cum à Clodio, tribuno plebis, ejectus est. *Manut.*

1 *Senatus nomen in Rep. non erat*] Nam auctoritas Senatui detracta erat à tribuno, & consulibus. Quin etiam consul Gabinius in concione dixerat, errare homines, si Senatum aliquid in Rep. posse arbitrarentur. *Sylv.* Sic loqui videtur Cicero, ut exaggeret temporis illius iniquitatem; sicut paulo post dicit, *senatus occiderat, civitas non erat, consul non erat. Grav.*

2 *Consul*] P. Lentulus, auctor, & princeps in revocando Cicerone. *Manut.*

3 *Occiderat*] Quod nihil ejus valeret auctoritas. *Idem.*

4 *Esset consensus populi liberi*] Id est, Cum populus Romanus, qui, Pisone, & Gabinio consulibus, liber non fuerat, legem libere tulisset uno consensu de meo reditu. *Sylv.*

5 *Perveniſſe ad me nunquam*] Est hoc Stoicorum, qui credunt, nihil sapienti nocere, ne Fortunam quidem posse. *Betul.*

6 *Cum parietes disturbabas*] Quo die Cicero ex urbe discessit, P. Clodius domum ejus, quæ in palatio erat, incendit, parietes disturbavit, ut in eo loco Deæ libertatis templum ædificaret; tanquam Ciceronis exilium Romanæ civitati libertatem afferret. *Sylv.*

7 *Stat*] *Stare* firmitudinem quandam habet. *Manut.*

8 *Mentem*] Quam se accepisse à Diis immortalibus dicit orat. Catil. 3. *Betul.*

exteris

exteris nationibus, ut civis optimi, commendabat; tu ne nunc quidem; niſi forte idem eſſe hoſtis, & civis poteſt. An tu civem ab hoſte natura, ac loco, [1] non animo, factiſque diſtinguis? [2] Cædem in foro feciſti, armatis latronibus [3] templa tenuiſti, privatorum domos, [4] ædes ſacras incendiſti. Cur hoſtis [5] Spartacus, ſi tu civis? potes autem eſſe tu civis, propter quem aliquando civitas non fuit? & me [6] tuo nomine appellas, cum omnes meo diſceſſu exulaſſe remp. putent? Nunquamne, homo amentiſſime, te circumſpicies? nunquamne, quid facias, conſiderabis, nec quid loquare? neſcis, exilium ſcelerum eſſe poenam? [7] meum illud iter [8] ob præclariſſimas res à me geſtas eſſe ſuſceptum? Omnes ſcelerati, atque impii, quorum tu te ducem eſſe profiteris, quos leges exilio affici volunt, exules ſunt, etiam ſi [9] ſolum non mutarunt. an, cum omnes leges te exulem eſſe jubeant, non eris tu exul? [10] Num appellatur inimicus, [11] qui cum telo fuerit? [12] ante ſenatum tua ſica deprehenſa eſt. qui hominem occiderit? tu plurimos occidiſti. qui in-

1 *Non animo, factiſque*] Civis perniciosus hoſtis potius, quam civis habendus eſt. Itaque Cicero in prima invectivarum in Catilinam negat eos, qui à Rep. defecerunt, unquam jura civium tenuiſſe. *Sylv.*

2 *Cædem in foro feciſti*] Cum Clodiani armati forum, curiam, comitium occuparunt, tam multos fuiſſe ab his occiſos Cicero dixit pro Seſtio, ut corporibus civium Tiberis repletus, & cloacæ refertæ fuerint. *Sylv.*

3 *Templa tenuiſti*] Templum Caſtoris intelligit, quod armatis hominibus, & ſervis Clodius occupavit, ne lex ferretur de Ciceronis reditu. *Sylv.*

4 *Ædes ſacras*] Templum Nympharum. *Manut.*

5 *Spartacus*] Servorum rebellium dux.

6 *Tuo nomine*] Scilicet exulis, quod in te potius, quam in me convenit. *Manut.* Id eſt, Quo nomine tu appellandus es. *Sylv.*

7 *Meum illud iter*] Meum diſceſſum. *Sylv.*

8 *Ob præclariſſimas res à me geſtas*] In opprimenda conjuratione, & civitate ſervanda. Nam propter conjuratos eos, de quibus ultimum ſupplicium in carcere ſumpſit Cicero, abire coactus eſt, quod indemnatos eos fuiſſe Clodius diceret. Eos enim populus Romanus non damnaverat, cujus injuſſu non licebat lege Sempronia de capite civis Romani ſupplicium ſumere. *Sylv.*

9 *Solum non mutarunt*] Urbem non reliquerunt. *Sylv.*

10 *Num appellatur inimicus*] Argumentatur à minori ad majus. Si inimicus eſt, qui deprehenſus alicubi cum telo; quid tu, cujus ſica penetravit in ſanctiſſimum urbis locum curiam? ſi inimicus, qui unicum occidit, quid tu, qui plurimos? *Gruter.*

11 *Qui cum telo fuerit*] Lege Cornelia de ſicariis teneri eum, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulaverit, Martianus ſcribit. Auctore autem Caio juriſconſulto, teli appellatione & fuſtis, & ferrum, & lapis, omne denique, quod nocendi cauſa habetur, ſignificatur. *Gruter.*

12 *Ante ſenatum tua ſica deprehenſa eſt*] Auctore Cicerone pro Milone, comprehenſus eſt in veſtibulo curiæ ſervus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. Extorta eſt confitenti ſica de manibus. *Gruter.*

cendium fecerit? ædes Nympharum manu tua deflagravit. qui [1] templa occupaverit? [2] in foro castra posuisti. Sed quid ego communes leges profero, quibus omnibus es exul? [3] Familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut, si [4] in opertum Bonæ Deæ accessisses, exulares. At te id feciſſe etiam gloriari soles. Quomodo igitur, tot legibus in exilium ejectus, nomen exulis non perhorrescis? Romæ sum, inquis. & tu quidem [5] in operto fuisti. Non igitur, ubi quisque erit, ejus loci jus tenebit, si ibi eum legibus esse non oportebit.

PARADOXON V.

Ὅτι [6] μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος.

Solum sapientem liberum esse, & stultum omnem servum.

1. LAudetur vero [7] hic imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur. quomodo, aut cui tandem hic [8] libero imperabit, qui [9] non potest cupidi-

1 *Templa*] Sunt loca sub dio patentia, auspiciis capiundis apta. Varro de lingua Lat. Cicero in Rhetoricis. *Lang.*

2 *In foro castra posuisti*] Non solum Castoris templum armatis hominibus occupasti, sed etiam in eo castra posuisti. *Sylv.*

3 *Familiarissimus tuus*] Q. Cornificius. *Grav.* Historia parum diligenter inspecta. Nam de Clodii incestu mentionem quidem fecit in senatu Cornificius, privilegium tamen, id est, rogationem in Clodium ipsius familiarissimus tulit M. Piso consul. *Manut.*

4 *In opertum Bonæ Deæ*] In sacrificium, quod Bonæ Deæ in domo Cæsaris consulis fiebat. *Sylv.* Hanc Deam Phryges Midæ regis matrem fuisse dicunt. Romani, Nympham Δρυάδα. Fauni conjugem. Græci, aliquam ex Liberi matribus, τὴν ἄρρητον, quam nominare nefas sit. *Manut.*

5 *In operto*] Scilicet Bonæ Deæ. *Lang.*

6 *Μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος*] Cato se Uticæ interempturus de hoc Paradoxo fortiter disseruit. Vide Plutarchum in ejus vita. *Betul.*

7 *Hic imperator*] Contra L. Lucullum, qui de Mithridate, & Tigrane triumphavit. *Manut.* In M. Antonium hoc dictum videri potest. Antonius gubernacula Reip. Romanæ sibi sumpsit, tantum abfuit ab imperio, ut non modo non imperator, sed ne liber quidem, imo servus insuper turpissimus fuerit. Nisi hæc de Sylla, vel Tarquinio magis intelligere velis. *Betul.*

8 *Libero*] Antiquo jure Romanorum servis militare non licebat. Itaque secundo bello Punico, inopia liberorum hominum, octo millia juvenum validorum ex servitiis prius emerunt, & libertate donarunt. Auctore Martiano Jurisconsulto, ab omni militia servi prohibentur, alioqui capite puniantur. Imperator igitur, nisi liberis, non imperat: sed ne ipse quidem imperator esse potest, nisi liber sit. *Sylv.*

9 *Non potest cupiditatibus imperare*] Lactantius institutionum divinarum lib. 1. Herculem fuisse fortem negat, quod cupiditatibus suis imperare non potuerit. *Sylv.*

tatibus

tatibus ſuis imperare? Refrænet primum libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat avaritiam, cæteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, cum ipſe [1] improbiſſimis dominis, dedecori, ac turpitudini, parere deſierit. dum quidem his obediet, [2] non modo imperator, ſed [3] liber habendus omnino non erit. præclare enim eſt hoc uſurpatum à doctiſſimis, quorum auctoritate non uterer, ſi mihi apud aliquos agreſtes hæc habenda eſſet oratio. cum vero apud prudentiſſimos loquar, quibus hæc inaudita non ſunt, cur ego ſimulem, me, ſi quid in his ſtudiis operæ poſuerim, perdidiſſe? Dictum eſt igitur ab eruditiſſimis viris, niſi ſapientem, liberum eſſe neminem. Quid eſt enim libertas? poteſtas vivendi, [4] ut velis. Quis igitur vivit, ut vult, niſi [5] qui recta ſequitur, qui [6] gaudet officio, [7] cui vivendi via conſiderata, atque proviſa eſt? qui legibus quidem [8] non propter metum paret, ſed eas ſequitur, atque colit, quia id ſalutare maxime eſſe judicat: qui nihil dicit, ni-

1 *Improbiſſimis dominis*] Nam vitia, dominorum inſtar, imperant iis, qui eis ſunt dediti. *Grav.*

2 *Non modo imperator*] Pro, *non modo non imperator.* Sic Græci: Οὐχ' ὅτως. Μὰ ὄν, Μὰ ὄν γε, Μὰ ὄν δὲ. Μά νι, Μάτι δὲ, Μάτί γε, Μάτι γε δέ. *Manut.*

3 *Liber habendus non erit*] Egregie Claudianus de Honorio:

Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,
Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris ira,
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius leges.

Extremam ſervitutem vocat Boethius. *Extrema eſt ſervitus, cum anima humana, vitiis dedita, rationis propria poſſeſſione cecidit. Grav.*

4 *Ut velis*] Ut velle debeas, ut ratio præſcribit. *Manut.* Non, ut libido ſuadet, ſed ratio dictitat. Nam hac ſignificatione Stoici hoc verbo utuntur. Auctorem habeo ipſum Ciceronem, qui in Tuſcul. Quæſt. lib. 4. cap. 6. ſic ſcribit: *Voluntas eſt, qua quid cum ratione deſiderat. Qua autem adverſus rationem incitata eſt vehementius, ea libido eſt, vel cupiditas effrenata, qua in omnibus ſtultis invenitur.* Unde noſter Cicero libidines refrænandas ſæpe monet. *Betul.*

5 *Qui recta ſequitur*] Qui nihil, quod cum ulla virtute pugnet, appetit, atque agit. *Wolf.* Is enim rex eſt. Sic Horatius:

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam ſi Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni. Grav.

6 *Gaudet officio*] Id eſt, Recta non tantum ſequitur, ſed etiam cum delectatione, ut optimam vivendi rationem jucundiſſimam reddat conſuetudo. *Wolf.*

7 *Cui vivendi via conſiderata, atque proviſa*] Id eſt, Qui non pendet à temeritate Fortunæ. *Idem.* Hoc eſt, Qui diu cogitavit, & tandem conſtituit, quod vitæ genus ſequatur, ad quem finem, tanquam ad ſcopum, omnes vitæ ſuæ actiones dirigat.

8 *Non propter metum*] Magiſtratuum ſcilicet, & ſuppliciorum. *Manut.* Tritiſſimum eſt illius poetæ:

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Grav.

hil

hil facit, [1] nihil cogitat denique, niſi [2] libenter, ac libere: cujus omnia conſilia, reſque omnes, quas gerit, [3] ab ipſo proficiſcuntur, eodemque feruntur: nec eſt ulla res, quæ plus apud eum polleat, quam ipſius voluntas, atque judicium: cui quidem etiam ([4] quæ vim habere maximam dicitur) [5] Fortuna ipſa cedit: ſicut [6] ſapiens poeta dixit, [7] Suis ea cuique fingitur moribus. Soli igitur hoc contingit ſapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. quod etſi ita eſſe pluribus verbis differendum eſt, illud tamen & breve, & confitendum eſt, niſi qui ita ſit affectus, eſſe liberum neminem. Servi igitur omnes improbi. nec hoc tam re eſt, quam dictu inopinatum, atque mirabile. non enim ita [8] dicunt eos eſſe [9] ſervos, ut mancipia, quæ ſunt dominorum facta [10] nexu, aut aliquo jure civili: ſed, ſi ſervitus ſit, ſicut eſt, obedientia fracti animi, & abjecti, & [11] arbitrio carentis ſuo, quis neget, omnes [12] leves, omnes [13] cupidos, omnes denique [14] improbos, eſſe ſervos?

1 *Nihil cogitat*] Nam bonus vir æque rationem habet cogitationum, ac dictorum, & factorum. *Grav.*

2 *Libenter*] Non muneribus corruptus, non gratia victus, aut odio. *Manut.*

3 *Ab ipſo proficiſcuntur*] Hoc eſt, Ab ipſius animo, non cupiditatibus. *Sylv.*

4 *Quæ vim habere maximam dicitur*] Fortuna eſt domina rerum & externarum, & ad corpus pertinentium, ut ait Cicero Tuſc. Quæſt. lib. 5. *Sylv.*

5 *Fortuna ipſa cedit*] Nihil enim bonum, niſi virtutem, ſapiens exiſtimat: virtus autem nullum habet cum Fortuna commercium; quin potius virtuti Fortuna cedit; igitur & ſapienti. *Sylv.*

6 *Sapiens Poeta*] Hunc arbitror eſſe Appium, de quo Saluſtius in oratione ad C. Cæſarem de Rep. ordinanda, *Res*, inquit, *docuit id verum eſſe, quod in carminibus Appius ait, Fabrum eſſe quemque Fortunæ. Sylv.*

7 *Suis ea cuique fingitur moribus*] Proverbiale dictum, cujus meminit Cornelius Nepos in vita Pomponii: *Suam cuique mores fingunt Fortunam. Eraſm.* Quod fortaſſe à Plauto ſumptum, qui ait: *Sapiens ipſe fingit Fortunam ſibi. Manut.* Juvenalis rectè dicit, Fortunam nullum eſſe Numen, ſed prudentiam: ſtultitia hominum inter Deas referri Fortunam. Sat. 10.

Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia; ſed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cæloque locamus. Sylv.

8 *Dicunt*] Stoici. *Manut.*

9 *Servos*] Servitus eſt duplex: corporis, & animi. *Idem.*

10 *Nexu*] Hoc eſt, Quæ mancipio vendita ſunt, id eſt, quæ ſic vendita ſunt, ut evictionis periculum in ſe reciperet, & præſtaret venditor. *Nexus* eſt, obligatio. Mancipio dationem ſemper ſequebatur traditio *nexu*, qua tradens ſe dominum profitebatur, ſeque obligabat, & nexum faciebat ad evictionem præſtandam. *Grav.* Cic. pro Muræna: *Quod ſi in rebus repetendis, quæ mancipi ſunt, is periculum præſtare debet, qui ſe nexu obligavit.* Lex. 12. Tab. *Cum nexum faciet, mancipiumque, uti lingua nuncupaſſit, ita jus eſto.*

11 *Arbitrio carentis ſuo*] Qui non recta ſequitur, nec officio gaudet. *Manut.*

12 *Leves*] Quorum appetitus imperat menti. *Wolf.*

13 *Cupidos*] Non tantum pecuniæ, ſed aliarum quoque rerum. *Manut.*

14 *Improbos*] Virtutis expertes, vitiis quibuſcunque præditos, Ὑβρις φαύλους. *Idem.*

2. An

2. An ille mihi liber, [1] cui mulier imperat? cui leges imponit, præſcribit, jubet, vetat, quod videtur? qui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare audet? poſcit? dandum eſt: vocat? veniendum: ejicit? abeundum: minatur? extimeſcendum. Ego vero iſtum non modo ſervum, ſed nequiſſimum ſervum, etiam ſi in ampliſſima familia natus ſit, appellandum puto. Atque, ut in magna familia ſunt alii lautiores (ut ſibi videntur) ſervi, ſed tamen ſervi, [2] atrienſes, ac topiarii; pari ſtultitia ſunt, quos ſigna, quos tabulæ, quos cælatum argentum, quos Corinthia opera, quos ædificia magnifica nimio opere delectant. At ſumus, inquiunt, civitatis principes. Vos vero ne conſervorum quidem veſtrorum principes eſtis. Sed, ut in familia, qui tractant iſta, [3] qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, [4] qui ſpargunt, non honeſtiſſimum locum ſervitutis tenent; ſic in civitate, qui ſe iſtarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipſius [5] ſervitutis locum pene infimum obtinent. Magna, inquis, bella geſſi: magnis imperiis, & provinciis præfui. Gere igitur animum laude dignum. [6] Echionis tabula te ſtupidum detinet, aut ſignum aliquod [7] Polycleti. O-

1 *Cui mulier imperat*] Uxorius: Græci, γυναικοκρατούμενος. *Idem.* Qualis fuit Antonius, cum Cleopatræ, & Hercules, cum Omphalæ ſerviret. *wolf.* Et quanquam Cicero Antonii cæcum in Cleopatram amorem videre non potuit, præbuit tamen ante ſpecimen in Fulvia conjuge, quæ Clodio prius nupta fuerat; quæ, ut erat imperioſa, ita eum finxit, ut Cleopatræ jugum facilius ferre poſſit. *Betul.*

2 *Atrienſes, topiarii*] Nam, cum in atriis ponerentur longa ſerie imagines gentilitiæ, ſtatuæ, picturæ, & alia ejuſmodi (ut Philipp. 2. teſtatur) ea cura ad *atrienſem* ſpectabat; cujus in familia primus locus erat, ut ex Plauto patet: ſicut hortorum poliendorum, & varie exornandorum ad *topiarios*. *Lang. Topiarius* eſt, qui topiaria facit. *Topiarium* autem dicitur, opus ex arbore, aut frutice, aut herba factum ad decorem; ut ſunt teſtudines, naves, aviculæ, & hujuſmodi, quæ ex buxo, vel hedera, quarum natura ſequax eſt, & flexibilis, fieri conſueverunt. Dictum ἀπὸ τοῦ τέχνου, hoc eſt, à locis, quæ in his varia conſtituuntur, teſte H. Stephano.

3 *Qui tergunt, qui ungunt*] Nimirum ſigna, ut magis niteant, & ne rubigo, aut ærugo incommodum afferat. *Sylv.* Quod in primis faciebant ſolennibus, & feſtis diebus. Poſſis etiam intelligere de ſervis, quorum opera utebantur in balneis. Aliptæ ſane, ſive *unctores* ſunt notiſſimi. Nec dubito fuiſſe ſervos quoque, qui tergerent dominos, ſicut erant, qui tonderent. *Grav.*

4 *Qui ſpargunt*] Ut ille apud Phædrum lib. 2.

Perambulante lata domino viridaria,
Alveolo cœpit ligneo conſpargere
Humum aſtuantem. Grav.

5 *Servitutis*] Alii legunt, *civitatis*. Nihil vero certius eſt hac ſcriptura. Non enim cum civibus comparat viros nobiles, his cupiditatibus deditos, ſed cum ſervis. Non civilium, ſed ſervorum ultimos illos eſſe dicit. *Grav.*

6 *Echionis*] Pictorem Echionem commemorat Cicero in Bruto. Commemorat & Plinius lib. 35. cap. 10. *Lambin.*

7 *Polycleti*] Sidonii, ſculptoris eximii, diligentia, ac decore ſupra cæteros facile

mitto, unde ſuſtuleris, & quomodo habeas. intuentem te, admirantem, clamores tollentem cum video, ſervum te eſſe ineptiarum omnium judico. Nonne igitur ſunt iſta feſtiva? Sunt. nam nos quoque oculos eruditos habemus. ſed obſecro te, ita venuſta habeantur iſta, non ut vincula virorum ſint, ſed ut oblectamenta puerorum. Quid enim cenſes? ſi L. Mummius aliquem iſtorum videret [1] matellionem Corinthium cupidiſſime tractantem, cum ipſe [2] totam Corinthum contempſiſſet: utrum illum civem excellentem, an atrienſem diligentem putaret? Reviviſcat M. Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa, ac domo nihil ſplendidum, nihil ornatum fuit, [3] præter ipſos; & videat aliquem ſummis populi beneficiis uſum, [4] barbatulos mullos [5] exceptantem de piſcina, & pertractantem, & murænarum copia gloriantem: nonne hunc hominem ita ſervum judicet, ut ne in familia quidem dignum majore aliquo negotio putet? An eorum ſervitus dubia eſt, qui [6] cupiditate peculii nullam conditionem recuſant duriſſimæ ſervitutis? [7] hæreditatis ſpes quid iniquitatis in ſerviendo non ſuſcipit? quem nutum locupletis orbi ſenis non obſervat? loquitur ad voluntatem: quidquid denuntiatum ſit, facit: aſſectatur, aſſidet, [8] muneratur. quid horum eſt liberi? quid non denique ſervi inertis?

3. Quid? jam illa cupiditas (quæ videtur eſſe liberalior) honoris, imperii, provinciarum, quam dura eſt domina! quam imperioſa! quam vehemens! [9] Cethego, homini non probatiſſimo, ſervire [10] coegit eos, qui ſibi eſſe ampliſſimi

facile vincentis, ut loquitur Quintil. Hinc Statius:

Quod Polycleteis viſum eſt ſpirare ezminis.

1 *Matellionem*] *Matellio*, ut ait Sextus Pompeius, vas urinæ eſt. *Sylv.* Arbitror dici, ſignum præſentans ſervum porrigentem matulam. *Eraſm.*

2 *Totam Corinthum contempſiſſet*] Fuit enim abſtinentiſſimus, & lautitiarum contemptor. *Grav.*

3 *Præter ipſos*] Præter eorum animos, Platonico more. *Manut.*

4 *Barbatulos*] In libro inferiori. *Idem.*

5 *Exceptantem de piſcina*] Tacite hic carpere videtur Cicero Lucullum, & Hortenſium, quos *piſcinarios* vocat epiſt. 1. ad Atticum.

6 *Cupiditate peculii*] Hoc eſt, Patrimonii, facultatum augendarum. *Grav.*

7 *Hæreditatis ſpes quid iniquitatis*] Hos hæredipetas, quos Cicero peſſimorum ſervorum in numero habet, exagitant lepide Juvenalis, Martialis, & Lucianus. *Grav.*

8 *Muneratur*] Munera dat favoris conciliandi gratia.

9 *Cethego*] Non eſt is, qui cum Catilina conjuravit, ſed is, de quo Plutarchus in Lucullo. *Manut.*

10 *Coegit*] Scilicet, cupiditas honorum. Notat Lucullum. *Lang.* Lucul-

lus,

videbantur: munera mittere, noctu venire domum ad eum, precari, denique ſupplicare. quæ ſervitus eſt, ſi hæc libertas exiſtimari poteſt? Quid? cum cupiditatum dominatus exceſſit, & alius eſt dominus, exortus ex conſcientia peccatorum, timor? quam eſt illa miſera, quam dura ſervitus! [1] adoleſcentibus paulò loquacioribus eſt ſerviendum: omnes, qui aliquid ſcire videntur, [2] tanquam domini, timentur. Judex vero quantum habet dominatum? quo timore nocentes afficit? an non eſt omnis metus ſervitus? Quid valet igitur illa eloquentiſſimi viri, L. Craſſi, copioſa magis, quam ſapiens [3] oratio? Eripite nos ex ſervitute. quæ eſt iſta ſervitus tam claro homini, tamque nobili? Omnis animi debilitati, & humilis, & fracti timiditas, ſervitus eſt. Nolite ſinere nos cuiquam ſervire. In libertatem vindicari vult? minime. Quid enim adjungit? Niſi vobis univerſis. Dominum mutare, non liber eſſe vult. [4] Quibus & poſſumus, & debemus. Nos vero, ſiquidem animo excelſo, & alto, & virtutibus [5] exaggerato ſumus, nec debemus, nec poſſumus. Tu poſſe te dicito, quoniam quidem potes: debere ne dixeris: quoniam nihil quiſquam debet, niſi quod eſt turpe non reddere. Sed hæc hactenus. Ille videat, quomodo imperator eſſe poſſit: cum eum ne liberum quidem eſſe ratio, & veritas ipſa convincat.

lus, cum Ciliciam provinciam affectaret, non ſolum Cethego, ſed ejus amicæ Preciæ ſerviebat. *Sylv.*

1 *Adoleſcentibus paulo loquacioribus eſt ſerviendum*] Quia adoleſcentes ex magnorum virorum accuſatione probitatis, & eloquentiæ laudem capeſſere ſolebant. *Grav.*

2 *Tanquam domini, timentur*] Sic Juvenalis Sat. 3.

Quis nunc diligitur, niſi conſcius? & cui fervens
Æſtuat occultis animus, ſemperque tacendis?
Nil tibi ſe debere, nihil tibi conferet unquam,
Participem qui te ſecreti fecit honeſti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accuſare poteſt. Sylv.

3 *Oratio*] Qua ſuaſit legem Serviliam, egitque ſenatus cauſam, contra judicum, & accuſatorum factionem. *Manut.*

4 *Quibus & poſſumus*] Verba ſunt ex Craſſi oratione, cum antecedentibus illis, *niſi vobis univerſis*, connectenda.

5 *Exaggerato*] Omnimodis virtutibus prægnanti. *Exaggerare* eſt, coacervare, in unum quaſi aggerem, & acervum cogere.

PARADOXON VI.

Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.

Solum ſapientem eſſe divitem.

1. QUÆ eſt iſta in commemoranda pecunia [2] tua tam inſolens oſtentatio? ſoluſne tu dives? Pro Dii immortales! egone me audiviſſe aliquid, & didiciſſe non gaudeam? Soluſne dives? Quid ſi ne dives quidem? quid ſi pauper etiam? Quem enim intelligimus divitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus? opinor [3] in eo, cui tanta poſſeſſio eſt, ut ad liberaliter vivendum facile contentus ſit: qui nihil quærat, nihil appetat, [4] nihil optet amplius. [5] Animus oportet tuus te judicet divitem, non hominum ſermo, neque poſſeſſiones tuæ: nihil ſibi deeſſe putet, nihil curet amplius. ſatiatus eſt, aut contentus etiam pecunia? concedo, dives es. ſin autem propter aviditatem pecuniæ nullum quæſtum turpem putas, cum [6] iſti ordini ne honeſtus quidem

1 Μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.] Paradoxum Socraticum eſt. Socrates enim apud Platonem in Phædro Deos orat, ut ſapientem ſolum divitem exiſtiment. Idem rogatus, an quiſquam Crœſo, qui regum omnium opulentiſſimus erat, beatior eſſet, neſcire ſe, quantum haberet virtutis, reſpondit. Significabat enim ne divitem quidem eum eſſe, niſi ſapiens eſſet. Auctore Val. Max. Gyges, regno Lydiæ armis, & divitiis abundantiſſimo inflatus, Apollinem Pythium ſciſcitatum venit, an quiſquam mortalium ſe eſſet felicior. Deus, ex abdita ſacrarii caverna voce miſſa, Aglaum ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus, ſed ætate jam ſenior terminos agelli ſui nunquam exceſſerat, parvuli ruris fructibus contentus. In hoc autem Paradoxo primum probat Cicero eum eſſe divitem, non qui multa poſſidet, ſed qui ſuis rebus contentus ſit: deinde, eum vere divitem eſſe, qui virtutem habeat. *Sylv.* In hoc autem Paradoxo M. Craſſi avaritia, & L. Luculli luxus perſtringi videntur. Conſtat ex duabus propoſitionibus: quarum una eſt, animi divitias, hoc eſt, virtutem, & eruditionem pecuniæ, & poſſeſſionibus præſtare: altera, avaros, & luxurioſos non eſſe divites, ſed pauperes potius.

2 *Tua*] M. Craſſum appellat, omnium Romanorum, excepto Sylla, ditiſſimum, teſte Plinio.

3 *In eo, cui*] Definitio divitis philoſophica, Naturæque conſentanea. *Wolf.*

4 *Nihil optet*] Sic Horatius:

Quod ſatis eſt, cui contigerit, nihil amplius optet.

5 *Animus oportet tuus*] Si animo tuo dives es, revera dives es, etiam in fortunarum mediocritate. *Grav.*

6 *Iſti ordini*] Senatorio, ex quo tu es. Auctore Livio lib. 22. *Claudius tribunus plebis legem tulit, ne quis Senator maritimam navem, qua plus, quam 300 amphorarum eſſet, haberet. Id ſatis habitum ad fructus ex agris vectandos.* His verbis ſignificat, mercaturam, omnemque alium quæſtum Senatori turpem eſſe. *Sylv.*

poſſit

poſſit eſſe ullus; ſi quotidie fraudas, decipis, poſcis, paciſceris, aufers, eripis; ſi ſocios ſpolias, [1] ærarium expilas: ſi teſtamenta amicorum [2] expectas, aut [3] ne expectas quidem, atque ipſe [4] ſupponis: hæc utrum abundantis, an egentis ſigna ſunt? [5] Animus hominis dives, non arca appellari ſolet. quamvis illa ſit plena, dum te [6] inanem videbo, divitem non putabo. etenim ex eo, [7] quantum cuique ſatis eſt, metiuntur homines divitiarum modum. Filiam quis habet? pecunia eſt opus. duas? majore. plures? majore etiam. & ſi ([8] ut aiunt Danai) quinquaginta ſint filiæ, tot dotes magnam quærunt pecuniam. quantum enim cuique opus eſt, ad id accommodatur, ut ante dixi, divitiarum modus. qui igitur non filias plures, ſed innumerabiles cupiditates habet, quæ brevi tempore maximas copias exhaurire poſſint, hunc quo modo ego appellabo divitem, cum ipſe etiam egere ſe ſentiat? multi ex te audierunt, cum diceres, neminem eſſe divitem, niſi qui exercitum alere poſſet ſuis fructibus: quod populus Romanus tantis vectigalibus jampridem vix poteſt. ergo, hoc propoſito, nunquam

1 *Ærarium expilas*] M. Craſſum ſuo, & Pompeii conſulatu tertio, rapuiſſe 2000 pondo auri è Capitolini Jovis ſolio, à Camillo ibi condita, Plinius auctor eſt. Ut ne ærario quidem abſtinuiſſe credas, qui tali ſacrilegio ſe obſtrinxit. *Sylv.*

2 *Expectas*] *Expectat teſtamenta*, qui ea deſiderat, iiſque inhiat; qui eſt hæredipeta. Sic dicitur *expectare mortem* alicujus, qui mori illum quam primum vellet. *Wolf.* Quod vero ſcelus eſt *expectare teſtamenta amicorum*? Certe vis eſt in verbo, *expectare*. Odioſa eſt enim illa aviditas. Et fortaſſis huc facit, quod Rutilius Lupus refert de verbo: *Cum Proculeius filium ſuum hortaretur, audaciter de rebus ſuis ſumptum faceret, etiam ſe vivo; filiuſque reſpondiſſet, non eſſe ea adhortatione opus; non enim expectare ſe patris mortem: Imo vero, inquit, te ero, ut expectes.* Id eſt, Ne ante tempus me per inſidias occidas. *Lang. Expectare teſtamentum* dicitur hic utique invidioſe, ut *expectare mortem*. Proprium in hac re verbum eſt, quod uſurpant de iis, qui optant, ut aliquis moriatur. Igitur *expectare teſtamentum* eſt, optare, ut quis moriatur, ut tu hæreditatem capias, aut legatum promiſſum conſequaris. *Grav.*

3 *Ne expectas*] Vi, aut fraude antevertis.

4 *Supponis*] *Supponere teſtamentum* eſt, teſtamentum falſum fingere, & pro vero ſubſtituere: quod eſt falſariorum. *Grav.*

5 *Animus hominis dives*] Hoc eſt, Ille demum dives dicitur, cujus animus iis, quæ poſſidet, contentus eum divitem eſſe judicat.

6 *Inanem*] Sic Lucanus:

Semper inops, quicunque cupit.

7 *Quantum cuique ſatis*] Sive ad neceſſitatem, ſive ad cupiditatem importunam. *Wolf.*

8 *Ut aiunt Danai*] Id eſt, Ut fingunt poetæ fuiſſe Danai, Argivorum regis, quinquaginta filias. Quæ omnes, excepta unica Hypermneſtra, maritos ſuos una nocte occiderunt.

eris dives ante, quam tibi ex tuis poſſeſſionibus tantum [1] reficiatur, ut ex eo tueri ſex legiones, & magna equitum, ac peditum auxilia poſſis. Jam fateris igitur non eſſe te divitem, cui tantum deſit, ut expleas id, quod exoptas. itaque iſtam paupertatem, vel potius egeſtatem, ac mendicitatem tuam [2] nunquam obſcure tuliſti.

2. Nam, ut iis, qui honeſte rem quærunt mercaturis faciendis, [3] operis dandis, [4] publicis ſumendis, intelligimus [5] opus eſſe quæſito; ſic, qui videt domi tuæ pariter [6] accuſatorum, atque [7] judicum [8] conſociatos greges; qui [9] nocentes, & pecunioſos reos eodem te auctore corruptelam judicii molientes; qui tuas [10] mercedum pactiones in patrociniis, [11] interceſſiones pecuniarum

1 *Reficiatur*] *Reficere* dicitur id, quod capitur. Exemplis intelligitur. Lib. 3. in Verrem: *Dominus, ignarus incommodi ſui, gaudeat, villicoque delectetur, quod tanto ſibi plus mercedis ex fundo refectum ſit.* Dixit etiam Celſus Juriſconſultus in Pandectis: *Quantum ex bonis ejus reficere poteſt.* *Manut.*

2 *Nunquam obſcure tuliſti*] In apertum protuliſti, omnibus patefactam exhibuiſti.

3 *Operis dandis*] Mercedis cauſa inſerviendo aliis. *Manut.* Operas ſuas locando. *Sylv.* Sed hoc nimis *γνωσὸν*. Rectius puto *operas dare* hic eſſe, publicanis ſervire, aut eſſe publicanum. Cic. epiſt. 55. lib. 13. ad Fam. *Cum P. Terentio Hiſpone, qui operas in ſcriptura pro magiſtro dat.* Hoc eſt, qui vicarius eſt magiſtri illius ſocietatis. Orat. 2. in Verrem cap. 10. *Canuleius, qui in portu Syracuſis operam dabat.* Hoc eſt, qui erat inter publicanos, qui Syracuſis portorium exigebant. Sic & alibi Cicero. *Grav.* Hoc autem parum diſtare videtur ab eo, quod ſequitur, *publicis ſumendis.* Fortaſſe igitur *operam dare* hoc loco ſignificat, ſcribarum, notariorum munere, ſeu negotio fungi.

4 *Publicis ſumendis*] Conducendis vectigalibus; quod publicanorum erat. *Manut.*

5 *Opus eſſe quæſito*] Id eſt, Eos non habere ſatis, non contentos eſſe re ſua familiari. *Wolf.*

6 *Accuſatorum*] Quos Craſſus ſubornabat ad homines locupletes criminandos. *Manut.*

7 *Judicum*] Quos corrupit Craſſus, ut ſontes abſolverent, innocuos damnarent.

8 *Conſociatos*] Accuſatores, & judices coire flagitioſum eſt. Judex enim nec partes facere, nec ſequi debet. Conveniebant autem, ut corrumperentur judices ad damnandos reos, quorum bonis inhiabant. *Grav.*

9 *Nocentes, & pecunioſos*] Utrumque valet ad judicum corruptelam. Nam qui innocens eſt, judices non vult corrumpere: qui pecunioſus non eſt, non poteſt. *Sylv.*

10 *Mercedum pactiones*] Sordidum, & legibus interdictum erat, mercede defendere. *Wolf.* Lege Cincia pœna ſtatuebatur adverſus eos, qui pretio cauſas oraviſſent. *Sylv.*

11 *Interceſſiones*] Hoc eſt, Sponſiones interpoſita fide ſua, ſe ſolvturum pro iis, ni ipſi ſolverent, quam promittebant, pecuniam. *Grav.* Uſitatum eſt Ciceronibus, verbum *intercedere* ad pecuniam accommodare; tum ſcilicet, cum ſpondemus nos aliquid pro aliquo ſoluturos eſſe. Philipp. 2. *Tantum ſe pro te interceſſiſſe dicebat.* Ad Attic. lib. 1. epiſt. 14. *Accerſivit ad ſe, promiſit, interceſſit, dedit.* *Manut.*

in

in [1] coitionibus candidatorum, dimissiones libertorum ad [2] de-
fœnerandas, diripiendasque provincias; qui [3] expulsiones vi-
cinorum, qui [4] latrocinia in agris, qui cum servis, cum libertis,
cum clientibus [5] societates, qui [6] possessiones vacuas, qui [7] pro-
scriptiones locupletium, qui [8] cædes municipiorum, qui illam
Syllani temporis [9] messem recordetur, qui testamenta [10] subjecta,
qui sublatos tot homines; qui denique omnia venalia, [11] de-

1 *Coitionibus*] *Coitiones* alioqui conspirationes sunt, & factiones. Puto hic significari conventicula candidatorum; qui & ipsi, ut accusatorum, & judicum greges, Crassi domum frequentarunt, quo facilius magistratus obtinerent. *Mss.*

2 *Defœnerandas*] Id est, Fœnore opprimendas, & iniquis usuris onerandas. *Idem.*

3 *Expulsiones vicinorum*] Ex agris, quos occupabant potentiores, & opulentiores, aut vi, & calumniarum metu, aut pretio non justo, aut usurpatione, & furto. Hinc illa latifundia Romanorum nobilium, de quibus multa multis in locis apud Plutarchum. Inde Florus de Graccho: *Depulsam agris suis plebem miseratus est. Grav.*

4 *Latrocinia in agris*] Nimirum ingenuos homines excipiendo, & in ergastula conjiciendo, ut instar mancipiorum opus facerent. Hinc postea recognovit Augustus ergastula. Sueton. Aug. 32. *Raptis per agros viatoribus sive discrimine liberi, servique ergastulis possessorum supprimebantur.* Sic hunc locum intelligendum existimo. Non enim credibile alia latrocinia exercuisse Romanos proceres in agris. *Grav.*

5 *Societates*] Negotiationis causa. *Sylv.*

6 *Possessiones vacuas*] Unde ejecti domini sunt, præcipue in furiosa illa, & inhumana Syllæ proscriptione. *Sylv.*

7 *Proscriptiones locupletum*] Cum Sylla victor proscriberet eos, qui Marianas partes secuti erant, multos ex locupletibus simul proscripsit, ut eorum bona publicarentur. Q. Aurelius, nullis se negotiis implicans, forum ingressus proscriptorum nomina legit: in quibus cum seipsum comperisset, Albana, inquit, villa me proscripsit. Paulum progressus jugulatus est. *Sylv.*

8 *Cædes municipiorum*] Non Romanos solum proscripsit Sylla, sed etiam in municipia, colonias, præfecturas Italiæ sæviit, quæ adversus partes adjuverant. Aliorum enim oppidorum arces demoliebatur, aliorum muros evertebat, aliis publicam mulctam imponebat, alios tributis gravioribus opprimebat. Aut *cædes municipiorum*, id est, municipum. *Sylv.*

9 *Messem*] Non segetum, sed civium Romanorum. *Manut.* Cum Sylla, civium Romanorum bona vendens, suam se prædam vendere diceret, M. Crassus ex iis permulta parvo emit. Cum idem Sylla magnam urbis partem incendio vastasset, areas multas earum domini, partim egestate compulsi, partim nihil audentes petenti negare, Crasso vendiderunt exiguo pretio. Qua ratione magnam urbis partem emit. Servos ad 500 emit fabriles artis, & architecturæ peritos, quibus ad domos in areis vacuis ædificandas uteretur: quorum operas locabat iis, qui à se areas emerant. Hac ratione grandem pecuniam sibi comparavit. *Sylv.*

10 *Subjecta*] Falsa pro veris supposita. *Manut.*

11 *Delectum, decretum*] Vox prior innuit ad militiam adscitos, vel non adscitos, prout demeruerant, vel non demeruerant præsidem pecunia, donisque. *Gruter.* Wolfius accommodat non tam militum delectui, quam venditioni earum functionum, quæ lucrosæ erant. Nihil aliud significat, quam in delectu habendo, in decretis faciendis nihil valuisse, nisi pecuniam: ut ii militum numeris non adscriberentur, aut ordinibus insererentur honestioribus, quibus erant indigni: utque decreta iniqua in eorum gratiam interponerentur, qui plus obtuliissent pecuniæ. *Grav.*

lectum,

lectum, decretum, [1] alienam, ſuam ſententiam, [2] forum, domum, [3] vocem, ſilentium: quis hunc non putet confiteri, ſibi quæſito opus eſſe? Cui autem quæſito opus ſit, quis unquam hunc vere dixerit divitem? Etenim divitiarum fructus in copia eſt: copiam autem declarat ſatietas rerum, atque abundantia: quam tu quoniam nunquam aſſequere, [4] nunquam omnino es futurus dives. Meam autem quoniam pecuniam contemnis, & recte (eſt enim ad vulgi opinionem mediocris; ad tuam, nulla; ad meam, modica) de me ſilebo, de re loquar. Si cenſenda nobis, atque æſtimanda res ſit, utrum tandem pluris æſtimemus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an [5] continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat? utrum aurum Samnitum, an [6] reſponſum M. Curii? hæreditatem L. Pauli, an liberalitatem Africani, qui ejus hæreditatis [7] Q. Maximo fratri partem ſuam conceſſit? Hæc profecto, quæ ſunt ſummarum virtutum, pluris æſtimanda ſunt, quam illa, quæ ſunt pecuniæ. Quis igitur (ſi quidem, ut quiſque, quod plurimi ſit, poſſideat, ita ditiſſimus habendus ſit) dubitet, quin in virtute divitiæ ſint? quoniam nulla poſſeſſio, nulla vis auri, & argenti, pluris, quam virtus æſtimanda eſt.

3. O Dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal ſit parſimonia. venio enim jam ad ſumptuoſos: relinquo iſtum quæſtuoſum. Capit ille ex ſuis prædiis ſexcenta ſeſtertia: ego centena ex meis: illi aurata tecta in villis, & ſola marmorea façienti, & ſigna, tabulas, ſupellectilem, & veſtem infinite concupiſcenti, [8] non modo

1 *Alienam*] Craſſi vel gratia, vel auctoritate, vel largitione corruptis Senatoribus, & judicibus. *Wolf.*

2 *Forum, domum*] Id eſt, Et domi, & publice pecuniæ cauſa omnia facta eſſe à Craſſo. *Idem.*

3 *Vocem, ſilentium*] Cum quidam apud Demoſthenem gloriaretur, ſe dicendo talentum eſſe lucratum, reſpondiſſe fertur: At ego 5 tacendo. *Idem.*

4 *Nunquam es futurus dives*] Nemo enim dives, niſi qui eſt ſua ſorte contentus. *Idem.* Qui cupit, dives non eſt. *Manut.*

5 *Continentiam*] A repetundis abſtinentiam, auri contemptum.

6 *Reſponſum M. Curii*] Reſpondit: *Non aurum habere præclarum ſibi videri; ſed iis, qui haberent aurum, imperare.*

7 *Q. Maximo fratri*] Scipio Africanus minor, L. Pauli filius, à P. Scipione, Africani majoris filio, adoptatus eſt; quemadmodum ejus frater Q. Fabius Maximus appellatus eſt, quod in Fabiorum familiam adoptatus ſit. *Sylv.*

8 *Non modo ad fructum*] Quidam vir non indoctus ſic explicat hunc locum: Sumptus pecuniæ his rebus impenſæ non tantum reddit domino, quantum redderet pecunia, ſi fœnori oblocaretur: tantum abeſt, ut fructum, qualis ex prædio percipi ſolet, reddat. Hactenus ille.

Sed

ad fructum ille eſt ſumptus, ſed etiam ad fœnus, exiguus ex meo tenui vectigali, [1] detractis ſumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Uter igitur eſt ditior, cui deeſt, an cui ſuperat? qui eget, an qui abundat? cujus poſſeſſio quo eſt major, eo plus requirit ad ſe tuendam: an quæ [2] ſuis ſe viribus ſuſtinet? Sed quid ego de me loquor, qui morum, ac temporum vitio aliquantum etiam ipſe fortaſſe in hujus ſæculi errore verſer? [3] M. Manilius patrum noſtrorum memoria (ne ſemper Curios, & [4] Luſcinos loquamur) pauper tandem fuit. habuit enim ædiculas in [5] Carinis, & fundum in [6] Labicano. Nos igitur divitiores, qui plura habemus? utinam quidem! ſed non æſtimatione cenſus, verum [7] victu, atque cultu terminatur pecuniæ modus. non eſſe cupidum, pecunia eſt: [8] non eſſe emacem, vectigal eſt. contentum vero ſuis rebus eſſe, maximæ ſunt, certiſſimæque divitiæ. Etenim, ſi iſti [9] callidi rerum æſtimatores prata, & [10] areas quaſdam magno æſtimant, quod ei generi poſſeſſionum minime [11] quaſi noceri poteſt; quanti eſt æſtimanda virtus, quæ

Sed ego hanc eſſe puto Ciceronis ſententiam: Reditus illos adeo non ſufficere ad tuendam rem familiarem, & ſumptus neceſſarios tolerandos, ut ne ad uſuras quidem diſſolvendas ſit ſatis. *Wolf.* Hoc vult: Tantum abeſſe, ut 600 illa ſeſtertia ſufficiant ad ſumptus domeſticos, ut ne quidem ſatis ſint ad diſſolvendum fœnus. *Gruter.*

1 *Detractis ſumptibus cupiditatis*] Supervacaneis, luxurioſis. Si quis vero mavult intelligi, *ultra ſumptus neceſſarios*, nihil impedio. *Wolf.*

2 *Suis ſe viribus ſuſtinent*] Agricultura, & prædia ſuis proventibus ſeſe ſuſtentant: id eſt, reſici, & conſervari poſſunt. *Idem.*

3 M. *Manilius*] Is eſt, qui cum Africano minore, Lælio, Philo, Scævola, aliiſque diſputat in libris, quos de Rep. Cicero conſcripſit, qui temporis injuria non extant. *Sylv.*

4 *Luſcinos*] C. Fabricium Luſcinum ſignificat, quem ter in his Paradoxis jam nominavit. *Manut.*

5 *Carinis*] *Carina* Romæ dicebantur ædificia facta in modum carinarum, quæ erant intra templum Telluris. Virg. Æneid. 8. v. 361.

--- Paſſimque armenta videbant
Romanoque foro, & lautis mugire Carinis.

Horat. lib. 1. Epiſt. 7. v. 48.

--- Foro nimium diſtare Carinas
Jam grandis natu queritur.

6 *Labicano*] Ponitur pro prædio Labicano; ut Tuſculanum, Pompeianum, Formianum, aliaque ejuſdem generis. *Sylv.* Labicum eſt Italiæ oppidum prope Tuſculum, non procul ab urbe Roma. De quo Silius:

--- Campos ingreſſus, & arva Labici.

Et rurſus:

--- Veterem bellare Labicum.

7 *Victu, atque cultu*] Id eſt, Dives eſt, cui tantum ſuppetit, quantum eſt opus ad vivendum liberaliter. *Wolf.*

8 *Non eſſe emacem*] Sumptibus, impenſis parcere. Quia, judice Plinio, mala emptio ſemper exprobrat ſtultitiam.

9 *Callidi rerum æſtimatores*] Hoc eſt, Qui optime norunt, & intelligunt quærendi artes. *Grav.*

10 *Areas quaſdam*] Id eſt, Urbanas, & in urbis nobilioribus locis: ne quis de areis omnibus acciperet. *Manut.*

11 *Quaſi*] Pro, *fere*. Ut in Acad. *Sol mihi quaſi pedalis videtur.* Et ibidem: *Illa exponunt duo, qua quaſi contineant*

omnem

nec eripi, nec furripi poteſt unquam: neque naufragio, neque incendio amittitur: nec tempeſtatum, nec temporum perturbatione mutatur? qua præditi qui ſunt, ſoli ſunt divites. Soli enim poſſident res & fructuoſas, & ſempiternas: ſolique (quod eſt proprium divitiarum) contenti rebus ſuis, ſatis eſſe putant, quod eſt: nihil appetunt, nulla re egent, nihil ſibi deeſſe ſentiunt, nihil requirunt. Improbi autem, & avari, quoniam incertas, atque in caſu poſitas habent, & plus ſemper appetunt, nec eorum quiſquam adhuc inventus eſt, cui, quod haberet, eſſet ſatis, non modo non copioſi, ac divites, ſed etiam inopes, ac pauperes exiſtimandi ſunt.

eorum hanc quæſtionem. In Oratore: *Eſt enim quaſi in extrema pagina.* Terent. *Quaſi talenta ad 15 cogi.* Saluſt. *Præſidio quaſi 2000 peditum.* Sueton. *Hora quaſi ſeptima.* Manut.

M. T.

M. T. CICERONIS
[1]SOMNIUM SCIPIONIS.

[2]SCIPIO LOQUITUR.

1. CUM in Africam veniſſem, M. Manilio conſuli ad quartam legionem tribunus (ut ſcitis) militum, nihil mihi potius fuit, quam ut [3] Maſiniſſam convenirem, regem familiæ noſtræ juſtis de cauſis amiciſſimum. Ad quem ut veni, complexus me ſenex collacrymavit, aliquantoque poſt ſuſpexit in cœlum: &, Grates, inquit, tibi ago,[4] ſumme Sol, vobiſque, [5] reliqui cœlites, quod ante, quam

1 *Somnium Scipionis*] Cicero ſex libris de Rep. qui injuria temporis hodie deſiderantur, juſtiſſimæ civitatis ſtatum deſcripſerat. E quorum ultimo libellus noſter deſumptus unica de naufragio ſupereſt tabula.

2 *Scipio loquitur*] P. Scipio Æmilianus, vir magni nominis, qui Carthaginem delevit, & Numantiam evertit: ex quo ſibi Africani minoris nomen meruit. Huic ſomnianti Africanus avus, & P. Æmilius pater cum reliquis heroibus apparent: qui ſolita prudentia P. Scipionem hortantur, ut talem in tuenda Rep. ſe præſtet, quales ſe majores ejus præbuerint. Proponunt remunerationem, futurum, ut illuc ille proficiſcatur, quo ipſius majores omni virtute, & gloria contenderint. Ut autem, quo profecturus ſit, habeat, deſcribunt locum beatorum, in quo ipſi cum bonis omnibus ævo fruuntur ſempiterno. Hic enim eſt ſcopus hujus libelli. *Anonymus.*

3 *Maſiniſſam*] Hic Numidarum, & Maſæſylorum rex, à Pœnis expulſus, reſtitutus fuit in regnum ab Africano majore, ex eoque hunc Scipionem nepotem amavit, adeo ut, cum anno 97 moreretur, relictis 44 filiis, hunc inter eos diviſorem, tutoremque eſſe voluerit. *Comment.*

4 *Summe Sol*] Sic Virgil.

Summe Deum, ſancti cuſtos Soractis, Apollo.

Summum intelligi debet non modo diſpoſitione loci, verum etiam naturæ dignitate. Sol enim, quanquam longe quidem abeſt à terrâ, tamen non *ſummam* cœli obtinet regionem. Sed is cum ſit dux, princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio, cuncta luſtrans ſua luce, & complens, ex hoc potius dictus eſſe *ſummus* videtur. Aut forſan Solem Maſiniſſa *ſummum* non alia ratione dixerit, quam quod unuſquiſque *ſummum* putat eum, quem colit. *Grav.*

5 *Reliqui cœlites*] Lunam, cæteros planetas, & quotquot in ſupremo cœlo ſtellæ ſunt, veterum plerique Deos eſſe crediderunt. *Vinet.*

ex hac vita migro, conſpicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionem, cujus ego nomine ipſo recreor: ita nunquam ex animo meo deſcendit illius optimi, atque invictiſſimi viri memoria. Deinde ego illum de ſuo regno, ille me de noſtra rep. percontatus eſt: multiſque verbis ultro, citroque habitis, ille nobis conſumptus eſt dies. poſt autem, regio apparatu accepti, ſermonem in multam noctem produximus, cum ſenex nihil, niſi de Africano, loqueretur, omniaque ejus non facta ſolum, ſed etiam dicta meminiſſet. deinde, ut cubitum diſceſſimus, me & de via, & qui ad multam noctem vigilaſſem, [1] arctior, quam ſolebat, ſomnus complexus eſt. Hic mihi (credo equidem ex hoc, quod eramus locuti: [2] fit enim fere, ut cogitationes, ſermoneſque noſtri pariant aliquid in ſomno tale, quale [3] de Homero ſcribit Ennius, de quo videlicet ſæpiſſime vigilans ſolebat cogitare, & loqui) Africanus ſe oſtendit illa forma, quæ mihi

1 *Arctior ſomnus complexus eſt*] Duæ arctioris ſomni commemorantur cauſæ, labor itineris, & vigiliæ. Lucret. lib. 4.

— Multo ſopor ille graviſſimus extat,
Quem ſatur, aut laſſus capiat, quia plurima tum ſe
Corpora conturbant, magno contuſa labore.

Dicitur autem ſomnus *complecti* homines, quia membra ſomno pene conſtricta tenentur, quia munia nulla obire poſſunt. Inde Catullus:

— dulci devinctam lumina ſomno. Grav.

2 *Fit enim fere, ut cogitationes*] Hoc egregie Lucretius explicat lib. 4.

Et cui quiſque fere ſtudio devinctus adhaeret,
Aut quibus in rebus multum ſumus antè morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In ſomnis eadem plerumque videmur obire.
Cauſidici cauſas agere, & componere leges,
Induperatores pugnare, & praelia obire.

Et Claudianus:

Omnia, qua ſenſu volvuntur vota diurno,
Pectore ſopito reddit amica quies.
Venator defeſſa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſylvas, & ſua luſtra redit.
Judicibus lites, auriga ſomnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis. Lambin.

3 *De Homero ſcribit Ennius*] Cum enim Ennius Homeri verſus legeret, meditaretur, ediſceret, totumque ſe ad illius imitationem componeret, ſomniavit ſe Homerum eſſe factum, animaque Homeri juxta Pythagoricum dogma animatum. Hinc illud Horatii:

Ennius & ſapiens, & fortis, & alter Homerus,
Ut Critici dicunt, leviter curare videtur,
Ut promiſſa cadant, & ſomnia Pythagorea.

Idem Perſius notavit:

Cor jubet hoc Enni, poſtquam deſertuit eſſe
Maeonides, quintus pavone ex Pythagoreo.

Locus autem Ennii, ubi ſomnium illud narrabatur, videtur illo hemiſtichio ſignificari, quod in Lucullo Ciceronis eſt:

— viſus Homerus adeſſe poeta. Ramus.

[1] ex

[1] ex imagine ejus, [2] quam ex ipso, erat notior. quem ut agnovi, equidem cohorrui. sed ille, Ades, inquit, animo, & omitte timorem, Scipio, &, quæ dicam, trade memoriæ.

2. Videsne illam urbem, quæ, [3] parere populo Romano coacta per me, renovat pristina bella, nec potest quiescere? (ostendebat autem Carthaginem de excelso, & pleno stellarum, illustri, & claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc venis [4] pene miles? hanc hoc biennio consul evertes; [5] eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes adhuc à nobis hæreditarium. Cum autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris, censorque fueris, & [6] obieris legatus Ægyptum, Syriam, Asiam, Græciam, deligere iterum consul [7] absens, bellumque maximum conficies, Numantiam excindes. Sed [8] cum eris curru Capitolium invectus, offendes [9] remp. perturbatam consiliis [10] nepotis mei. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriæ [11] lumen animi, ingenii, con-

1 *Ex imagine ejus*] Romani proceres imagines majorum suorum cereas in atriis collocabant, easdemque in pompis funebribus, aliisque, circumferebant, ad ostentandam familiæ suæ vetustatem, & generis nobilitatem. Hinc illud Juvenalis:

Tota licet veteres exornent undique cera
Atria, nobilitas sola est, atque unica virtus. *Wolf.*

2 *Quam ex ipso, erat notior*] Aut significat, se adolescentulo, imo puero, Africanum fuisse mortuum; aut, à se raro fuisse visum, cum calumnias inimicorum, & ingrati populi perosus Linterni in prædio suo, tanquam voluntario exilio, postremam ætatem exegisse scribatur major Africanus. *Wolf.*

3 *Parere*] Tributum pendere. *Manut.*

4 *Pene miles*] Tribunus militum, & sic paulo major milite. *Vinet.* Nam in militia primus est honoris gradus tribunatus militum. *Manut.* Potestatem tribunorum militum exiguam fuisse inde apparet, quod Livius scribit, tribunos militum virgis à legato cæsos. *Passerat.*

5 *Eritque cognomen*] Paries, & comparabis tibi tua virtute cognomentum, quod ad hoc usque tempus habes à me avo tuo hæreditarium. P. enim Cornelius Scipio, confecto bello Punico secundo, primus ex Romanis imperatoribus nomine victæ à se gentis est nobilitatus. *Vinet.*

6 *Obieris legatus Ægyptum*] Videtur sane missus fuisse in Ægyptum, cum magnis motibus jactaretur, pulso propter incestus, atque parricidia ab Alexandrinis Ptolemæo Euergete rege. *Grav.*

7 *Absens*] *Absentem* dicit Cicero, qui consulatum non petiit, nec in campum Martium candidatus cum aliis descendit. *Vinet.*

8 *Cum eris curru Capitolium invectus*] Postquam triumpharis. *Vinet.* Sic Virgil.

— Capitolia ad alta
Victor aget currum.

9 *Remp. perturbatam*] Quo tempore Scipio bellum gerebat Numantinum, Tib. Gracchus, tribunus plebis, cum legem agrariam invitis patribus promulgare vellet, interfectus à Scipione Nasica, maximos excitavit tumultus: nec tamen ejus morte factiones compositæ sunt, sed iterum ingens seditio exorta est; Carbone legem ferente, ut cuique, quoties liberet, tribunum fieri liceret: qua lege lata, Tiberii necem ulcisci statuit. Itaque coacti tam patres, quam plebs, ad Scipionem, tanquam ad tutissimum propugnaculum, confugere, orantes, ne urbem in tanto periculo desereret. Scipio, Romam reversus, Carbonis legem dissuasit. *Anonymus.*

10 *Nepotis mei*] Tib. Gracchi, Cornelia nati, Africani majoris filia. *Manut.*

11 *Lumen animi, ingenii, consilii*] Id est,

ſiliique tui. Sed [1] ejus temporis ancipitem video quaſi fatorum viam. nam [2] cum ætas tua ſeptenos octies ſolis [3] anfractus, redituſque converterit, duoque hi numeri, quorum [4] uterque plenus, alter altera de cauſa, habetur, circuitu naturali [5] ſummam tibi fatalem confecerint, in te unum, atque in tuum nomen, ſe tota convertet civitas: te ſenatus, te omnes boni, te ſocii, te Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis ſalus; ac, ne multa, dictator remp. conſtituas oportet, [6] ſi impias propinquorum manus effugeris. Hic, cum exclamaſſet Lælius, ingemuiſſentque [7] cæteri vehementius, leniter arridens Scipio, Quæſo, inquit, [8] ne me è ſomno excitetis, & [9] parum rebus: audite cætera.

3. Sed quo ſis, Africane, alacrior ad tutandum remp. ſic habeto:

Splendidum animum, magnum, excelſum, inviſtum, qui nullo periculo, & vitæ diſcrimine à patriæ defenſione deterreatur: Natura inſitam prudentiam, & uſu rerum comparatam. *Wolf.*

1 *Ejus temporis ancipitem*] Eo tempore quo fata vergant, neſcio. Involucris verborum futuram mortem tegit ex arte. Futura enim obſcuris verbis ab oraculis, & vatibus denuntiantur. *Grav.*

2 *Cum ætas tua*] Periphraſis eſt anni ætatis 56, quem Aſtrologi climactericum vocant, in quo periculum mortis, aut alioqui gravem Fortunæ commutationem denuntiant. *Wolf.*

3 *Anfractus, redituſque*] *Anfractus* Solis nominatur propter obliquitatem orbis Zodiaci, per quem Sol modo ad Septentrionem inflectitur, modo relabitur ad meridiem. Sinuoſas enim, & flexuoſas vias, *anfractus* appellamus, ut fluminum, & littorum ſolent eſſe. *Ramus.* Solis *anfractum*, & *reditum*, annum vocat: *anfractum*, propter Zodiaci obliqui circuli ambitum, quem Sol 365 diebus cum quadrante conficit; quod tempus annuum vocant: *reditum* vero, ait Macrobius, *quia eadem ſigna per annos ſingulos certa lege Sol metitur. Vinet.*

4 *Uterque plenus*] Numerus 7 *plenus*, ſeu perfectus, dicitur à Pythagoreis, quia conſtat ex 1, & 6; ex 2, & 5; ex 3, & 4: quarum partium perfectionem omnem volunt ſeptenario contineri. Octonarium, juſtitiæ numerum vocant, quia par ſit pariter par, & in partes, particulaſque pares dividatur. Addit Macrobius aliam plenitudinis cauſam in 8, quia cubus ſit, & ſolidus. *Ramus.*

5 *Summam tibi fatalem*] Significat, non plures, quam 56 annos vitæ in terris agendæ fato eſſe Scipioni decretos. *Wolf.*

6 *Si impias propinquorum manus effugeris*] Non effugit. Mortuus enim in cubiculo inventus eſt, cum pridie optime valuiſſet. Creditum eſt ab uxore Sempronia, Gracchorum ſorore, veneno necatum. *Manut.*

7 *Cæteri*] Qui per hos libros de Rep. diſputaverant.

8 *Ne me è ſomno excitetis*] Fingit ſe dormire, quia ſomnium recitat. Feſtiva admodum locutio eſt. Quaſi dicat: Quid vos ſomnium ita movet, ut exclametis, & ingemiſcatis, quaſi res vera ſit? *Wolf.* Somnium memineritis me, non hiſtoriam vobis narrare. *Ramus.*

9 *Parum rebus*] Hoc eſt, Date, concedite aliquid temporis, & otii, rebus tam arduis cognoſcendis. Hoc enim *rei* appellatione venit. Sic Martialis:

Poſſe Deum rebus pariter, Muſſque vacare
Scimus.

Sic *dictator rei gerundæ. Lang.*

habeto: Omnibus, qui patriam [1] conſervarint, [2] adjuverint, [3] auxerint, certum eſſe in cœlo [4] definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur. nihil eſt enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia, cœtuſque hominum jure ſociati, quæ civitates appellantur: harum rectores, & conſervatores, [5] hinc profecti, huc revertuntur. Hic ego, etſi eram perterritus, non tam metu mortis, quam inſidiarum à meis, quæſivi tamen, viveretne [6] ipſe, & Paulus [7] pater, & alii, quos nos extinctos arbitraremur. Imo vero, inquit, ii vivunt, qui ex corporum vinculis, tanquam è carcere, evolaverunt: veſtra vero, quæ dicitur vita, mors eſt. quin tu aſpicias ad te venientem Paulum patrem. Quem ubi vidi, equidem [8] vim lacrymarum profudi. Ille autem me complexus, atque oſculans flere prohibebat. Atque ego, ut primum, fletu repreſſo, loqui poſſe cœpi, Quæſo, inquam, pater ſanctiſſime, atque optime, quoniam hæc eſt vita (ut Africanum audio dicere) quid moror in terris, quin hinc ad vos venire propero? [9] Non eſt ita, inquit ille. niſi Deus is, cujus hoc templum eſt omne, quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non poteſt. homines enim ſunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in [10] hoc templo [11] medium vides, quæ terra dicitur: hiſque animus datus eſt ex illis [12] ſempiternis ignibus, quæ ſidera, & ſtellas vocatis.

1 *Conſervarint*] Vel hoſtibus propulſatis, vel ſeditionibus ſedatis, vel aliis cladibus profligatis. *Wolf.*

2 *Adjuverint*] Re, opera, conſilio. *Idem.*

3 *Auxerint*] Non tantum finibus imperii propagatis, ſed etiam bonis legibus, & honeſta diſciplina. *Idem.*

4 *Definitum*] Præparatum, deſtinatum, circumſcriptum. *Suffrid.* Crediderunt Romani viam lacteam ſedem eſſe beatorum. *Ramus.*

5 *Hinc profecti*] Cicero cum Platone ſentiens dicit omnes eos, qui Rebuſpub. bene præfuerint, poſt ſuum ex hac vita diſceſſum, recta in cœlum, veluti domicilium, germanamque ſuam patriam, redire, ex qua in hoc miſerum orbis theatrum, tanquam in exilium, miſſi ſunt. Eſt ſiquidem animorum origo cœleſtis (ſecundum eos) non ex terra; quos procreator ille mundi (ut dicit Cicero) è ſua mente, & divinitate genuit. *Voſſius.*

6 *Ipſe*] Scilicet Africanus major, cum quo colloquebatur. *Wolf.*

7 *Pater*] Scilicet naturalis Scipionis minoris, qui eum P. Scipioni, Africani majoris filio, adoptandum dederat. *Idem.*

8 *Vim lacrymarum profudi*] Id eſt, Vehementer lacrymavi, præ lætitia ſcilicet, ob patrem inſperato viſum. *Idem.*

9 *Non eſt ita*] Id eſt, Non ita ratione reditur in cœlum, nec tui arbitrii hoc eſt, ſed voluntatis divinæ. *Idem.*

10 *Hoc templo*] Univerſo mundo. *Manut.*

11 *Medium*] Terra centrum ſtatuitur totius mundi. *Wolf.*

12 *Sempiternis ignibus*] *Sempiterni ignes* dicuntur, quod ſemper luceant, & perpetuo moveantur. *Vinet.*

vocatis. quæ globoſæ, & rotundæ, divinis animatæ mentibus, circos ſuos, orbeſque conficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi, Publi, & piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis: nec injuſſu ejus, à quo ille eſt vobis datus, ex hominum vita migrandum eſt, ne [1] munus humanum aſſignatum à Deo defugiſſe videamini. Sed ſic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, juſtitiam cole, & pietatem: quæ, cum ſit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima eſt: ea vita via eſt in cœlum, & in hunc cœtum eorum, qui jam vixerunt, & corpore laxati illum incolunt locum, quem vides. Erat autem is ſplendidiſſimo candore inter flammas circus elucens, quem vos, ut a Grajis accepiſtis, orbem lacteum nuncupatis: ex quo omnia mihi contemplanti præclara cætera, & mirabilia videbantur. erant autem eæ ſtellæ, quas nunquam ex hoc loco vidimus: & eæ magnitudines omnium, quas eſſe nunquam ſuſpicati ſumus: ex quibus erat illa minima, quæ ultima cœlo, [2] citima terris, [3] luce lucebat aliena. ſtellarum autem globi terræ magnitudinem facile vincebant. Jam ipſa terra ita mihi parva viſa eſt, ut [4] me imperii noſtri, quo quaſi punctum ejus attingimus, pœniteret.

4. Quam cum magis intuerer, Quæſo, inquit Africanus, quouſque humi defixa tua mens erit? [5] nonne adſpicis, quæ in templa veneris? novem tibi orbibus, vel potius globis connexa ſunt omnia: quorum [6] unus eſt cœleſtis, extimus, qui [7] reliquos omnes complectitur, [8] ſummus ipſe Deus,

1 *Munus humanum*] Sic appellat, quicquid in quovis genere vitæ cuique efficiendum eſt. *Wolf.*

2 *Citima*] Id eſt, Proxima, reſpectu ſuperiorum planetarum. *Idem.*

3 *Luce lucebat aliena*] Lunam ſignificat lucem à Sole mutuantem. *Manut.*

4 *Me imperii noſtri pæniteret*] Id eſt, Ut mihi perpuſillum Romanum imperium videretur. *Wolf.*

5 *Nonne adſpicis, quæ in templa veneris*] Quaſi dicat: Perabſurde facis, qui, cum in loco tam illuſtri verſeris, terrenas ſordes potius intuearis. *Wolf. Templa Deorum* appellantur regiones cœleſtes.

6 *Unus eſt cœleſtis*] Octava ſphæra, cœlum ipſum proprie dictum, tot ſtellis cælatum, & ornatum. *Vinet.*

7 *Reliquos omnes complectitur*] Major, & exterior orbis minores, & inferiores continet, ac ambit. *Vinet.*

8 *Summus ipſe Deus*] Supremus, & ultimus: quia ſupra octavum orbem aliam non ponebant ſphæram antiqui. Deum autem non ſolum appellaſſe videtur propter excellentiam inter reliquos globos, ut ſit metaphora; ſed etiam quoſi Deum quidam dixerint, & eſſe crediderint. *Vinet.* Duo genera Deorum veteres coluere: unum æternum, ut cœlum, & ſtellas: alterum ab hominibus conſecratum, partim magnitudine beneficiorum, ut Herculem, Romulum; partim excellentia, ut mentem, virtutem,

[1] arcens, & continens cæteros: in quo infixi ſunt illi, qui volvuntur, ſtellarum curſus ſempiterni: cui ſubjecti ſunt ſeptem, qui verſantur retro [2] contrario motu, atque cœlum, ex quibus unum globum poſſidet illa, quam in terris [3] Saturniam nominant. deinde eſt hominum generi proſperus, & ſalutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis: tum [4] rutilus, horribiliſque terris, quem Martium dicitis: deinde ſubter mediam fere regionem Sol obtinet, [5] dux, & [6] princeps, & [7] moderator luminum reliquorum, [8] mens mundi, & [9] temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta ſua luce illuſtret, & compleat. hunc, ut comites, conſequuntur, alter Veneris, alter Mercurii curſus: in infimoque orbe Luna, radiis ſolis accenſa, convertitur. infra autem jam nihil eſt, niſi mortale, & caducum, præter animos generi hominum munere Deorum datos. ſupra Lunam ſunt æterna omnia. nam ea, quæ eſt [10] media, & nona, Tellus, [11] neque movetur, & infima eſt, & in eam feruntur omnia [12] ſuo nutu pondera.

5. Quæ cum intuerer ſtupens, ut me recepi, Quid? hic, inquam, quis eſt, qui complet aures meas tantus, & tam dul-

tem, victoriam; partim ratione phyſica, ut Cererem, Neptunum, Bacchum. Ex æternis igitur Diis ſtelliſer orbis princeps, & *ſummus* habitus eſt. *Ramus.*

1 *Arcens*] *Arcere* hic eſt, coercere: ut in Tuſc. Quæſt. lib. 2. *Hos quidem, ut famulos, vinclis, ac cuſtodia arcemus.* Sic Virgil.

---*teneras arcebant vincula palmas.Grav.*

2 *Contrario motu, atque cœlum*] Quam cœleſtis globus extimus. *Atque* pro, quam ut. Cœlum hic eſt octava ſphæra, cujus motui Solis, & reliquorum errorum motus contrarius eſt. *Vinet.*

3 *Saturniam*] Saturni ſtellam, errantium altiſſimam. *Vinet.*

4 *Rutilus, horribiliſque terris*] Horrorem, metumque incutiens, & nocens terris, & hominibus eas incolentibus. Chaldæi κακοποιὸν Martem vocant, id eſt, maleficum, quod ſit calidæ, & perquam aridæ naturæ: ſicque putent diſcordiarum, bellorum, cædium, incendiorum, aviditatum auctorem eſſe. *Vinet.* Hac de cauſa bellorum Deus habitus eſt. Hinc pro bello,

--- *Martemque accendere cantu. Ramus.*

5 *Dux*] Quia omnia alia lumina majeſtate præcedit. *Vinet.*

6 *Princeps*] Quia ita eminet, ut, propterea quod ſolus talis appareat, Sol, quaſi ſolus, vocetur. *Vinet.*

7 *Moderator luminum reliquorum*] Quia ipſe eorum curſus, recurſuſque certa definitione ſpatii moderatur. *Vinet.*

8 *Mens mundi*] Quod conſilio, & ſapientia, & rata lege cœleſtia, terrenaque regere, & moderari videtur. *Harduin.*

9 *Temperatio*] Quod cœlum, & terram ſuo calore temperat. *Vinet.*

10 *Media*] In mundi medio, & centro. *Vinet.* Hæc tamen ſententia jam exploſa eſt ab accuratioribus Philoſophis, & Mathematicis; nec magis terra in medio eſt univerſi, ſeu mundi, quam Sol, aut Luna, aut alius erro. *Grav.*

11 *Neque movetur*] Fuerunt quondam Philoſophi, & noſtris temporibus Copernicus, qui confirmarent eam moveri. *Vinet.*

12 *Suo nutu*] Sua ſponte, & quaſi natura. Sic de natura Deorum lib. 2. *Suis nutibus in ſe globata terra. Grav.*

cis

cis ſonus? Hic eſt, inquit ille, qui [1] intervallis conjunctus imparibus, ſed tamen pro rata portione diſtinctis, impulſu, & [2] motu ipſorum orbium conficitur: qui, acuta cum gravibus temperans, [3] varios æquabiliter concentus efficit. [4] nec enim ſilentio tanti motus incitari poſſunt: & natura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute ſonent. Quam ob cauſam ſummus ille [5] cœli ſtellifer curſus, cujus converſio eſt concitatior, acuto, & excitato movetur ſono: graviſſimo autem hic lunaris, atque infimus. nam [6] Terra, nona, immobilis manens, ima ſede ſemper hæret, complexa medium mundi locum. illi autem octo curſus, in quibus eadem vis eſt [7] duorum, ſeptem efficiunt diſtinctos intervallis ſonos: qui numerus [8] rerum omnium fere nodus eſt. quod docti homines nervis imitati, atque cantibus, aperuere ſibi reditum in hunc locum: ſicut alii, qui præſtantibus ingeniis in vita humana divina ſtudia coluerunt. Hoc ſonitu oppletæ [9] aures hominum obſurduerunt: nec eſt ullus

1 *Intervallis*] Intervallum ſonorum definitur Boëtio, *ſoni acuti, graviſque diſtantia*: quæ ſonorum inæqualitas conſtituit conſonantiam. *Vinet.*

2 *Motu orbium*] Non ſolum Pythagoræ, ſed & Platonis opinio erat, circumvolutione orbium cœleſtium concitatiſſima admirandum excitari concentum. *Grav.*

3 *Varios æquabiliter concentus efficit*] Impares ſoni cum ita conveniunt, & concordant, ex ea inæqualitate æquabilitas quædam fieri videtur. *Vinet.*

4 *Nec enim ſilentio*] Sic ratiocinabantur Pythagorei. Quæ hic apud nos moventur, ut lapis, funda, ſagitta arcu emiſſa, ſonitum edunt, eumque tanto majorem, quanto illa fuerint majora, & majore vi impellantur. Atqui ætherei orbes longe maximi ſunt, & inenarrabili celeritate convertuntur. Neceſſe igitur eſt, ut motus illi immenſum efficiant ſonum. *Vinet.*

5 *Cœli ſtellifer curſus*] Octava ſphæra, in qua fixæ ſunt ſtellæ, cujus converſio, & motus eſt velocior, quo ab oriente ad occidentem illam fieri videmus, acuto ſono, excitato, & penetrantiore movetur: graviſſimo vero lentior Lunæ curſus, & terræ proximus. *Vinet.*

6 *Terra immobilis manens*] Terra ſoni eſt expers: quæ immobilis manet apud ipſum univerſitatis centrum; aliis orbibus ſonitum non aliunde habentibus, quam ex ſuo motu. *Vinet.* Utrumque falſum eſſe, terram non moveri, eamque in centro univerſitatis ſitam, omnes eruditi Mathematici hoc ſæculo, vi veri victi, teſtantur, & credunt. *Grav.*

7 *Duorum*] Scilicet ſonorum, acuti, & gravis. Octo, inquit, ſunt ſphæræ, quæ moventur, & ſonitum edunt: nona eſt terra, quæ nec movetur, nec ſonitum edit. Sed illæ 8 ſphæræ, quæ moventur, in quibus eſt vis 2 horum ſonorum, acuti, & gravis, efficiunt horum ſonorum temperata ratione illam mundi harmoniam. *Grav.* Mirum in modum viri doctiſſimi hunc locum torſerunt, qui hanc vocem *duorum* non ad ſonos, ſed ad curſus planetarum, Mercurii ſcilicet, & Veneris, retulerunt.

8 *Rerum omnium fere nodus eſt*] Omnia fere nodat, connectit, continet. *Vinet.*

9 *Aures hominum obſurduerunt*] Reſponſio eſt ad objectionem. Quoniam videbatur abſurdum, ſi ſonarent ſphæræ, nos eam vocem non exaudire, dicebant Pythagorei, ſonum adeſſe perpetuum, qui ita obſideat, ac oppleat aures noſtras, ut ipſum à ſilentio internoſcere non poſſimus. Vox enim, & ſilentium

hebetior ſenſus in vobis: ſicut, ubi Nilus ad illa, quæ [1] Catadupa nominantur, præcipitat ex altiſſimis montibus, ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus [2] ſenſu audiendi caret. Hic vero tantus eſt totius mundi incitatiſſima converſione ſonitus, ut eum [3] aures hominum capere non poſſint: ſicut intueri ſolem adverſum nequitis, ejuſque radiis acies veſtra, ſenſuſque vincitur. Hæc ego admirans referebam tamen oculos ad terram identidem.

6. Tum Africanus, Sentio, inquit, te ſedem [4] etiam nunc hominum, ac domum contemplari: quæ ſi tibi parva, [5] ut eſt, ita videtur, hæc cœleſtia ſemper ſpectato: illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem ſermonis hominum, aut [6] quam expetendam gloriam conſequi potes? vides habitari in terra raris, & anguſtis in locis: & in ipſis quaſi maculis, ubi habitatur, vaſtas ſolitudines interjectas: hoſque, qui incolunt terram, non modo interruptos ita eſſe, ut nihil inter ipſos ab aliis ad alios manare poſſit; ſed partim [7] obliquos, partim [8] averſos, partim etiam [9] adverſos ſtare vobis: à quibus expectare gloriam certe nullam poteſtis. Cernis autem eandem terram, quaſi quibuſdam redimitam, & cir-

lentium, inter ſe comparata, dignoſcuntur, diſcernunturque maxime, ſicut motus, & quies. Sed qui perpetuum audit ſtrepitum, quid de ſilentio judicare poteſt? *Vinet.* Pythagoreorum ratio ad hanc quæſtionem ex intimo naturæ fonte ſumitur. Colores, odores, ſapores, calores, ſi valde remiſſi, languidique, aut contra nimis vehementes, & incitati, ſenſus hominis vel effugiunt, vel hebetant: ſic ſoni, ſi pertenues fuerint, non ſentiuntur, auribus noſtris perpetuo quodam ſiſurro concluſis; ſi graves, & valde magni, ſenſum offundunt, atque obruunt, nec percipi poſſunt. *Ramus.*

1 *Catadupa*] Sunt ad ultimum cataractem: ab iis Nilus incipit, & Ægyptus. Æthiopes etiam, ad Catadupi colentes, dicuntur Catadupi. Vide Plinii Hiſt. Nat. lib. 5. cap. 9. Herodot. in Euterpe, & Senecæ Nat. Quæſt. lib. 4. cap. 2. *Grav.*

2 *Senſu audiendi caret*] Senſus enim læduntur ab excellenti ſenſibili.

3 *Aures hominum capere non poſſint*] Quaſi ſint nimium anguſtæ. *Vinet.*

4 *Etiam nunc*] Licet me audias longe præſtantiora narrantem. *Manut.*

5 *Ut eſt*] Scilicet comparata cum immenſis cœli ſpatiis, in quibus Scipio nunc verſari fingitur. *Wolf.*

6 *Quam expetendam gloriam*] Glotiæ cupiditatem hoc loco non damnat Africanus; ſed, quia maxima gloria humana anguſtiſſimis cogitur finibus, & non modo non æterna eſt, ſed ne diuturna quidem, eam ſimul cum terrenis rebus jubet contemnere, & cœleſtia ſemper ſpectare. Quam, inquit, potes conſequi gloriam, quæ digna ſit, quæ expetatur? *Vinet.*

7 *Obliquos*] Græci vocant ἐπικαρσίους, qui circum quaſi habitare dicuntur. Habent enim nobiſcum eundem parallelum, & meridianum. *Ramus.*

8 *Averſos*] Græcis ἀντόικους, aliter ἀντώμους. quaſi oppoſitis humeris. Siti enim ſunt ſub oppoſitis parallelis, ac diverſos reſpiciunt polos. *Ramus.*

9 *Adverſos*] Adverſis veſtigiis ſtantes contra noſtra veſtigia, unde Antipodes dicti. *Manut.*

cumdatam [1] cingulis: è quibus [2] duos maxime inter ſe diverſos,& cœli [3] verticibus ipſis ex utraque parte ſubnixos,[4] obriguiſſe pruina vides: medium autem illum,& maximum,ſolis ardore torreri. duo ſunt habitabiles: quorum auſtralis ille, in quo qui inſiſtunt, adverſa vobis urgent veſtigia,[5] nihil ad veſtrum genus: hic autem alter [6] ſubjectus aquiloni, quem incolitis, cerne, [7] quam tenui vos parte contingat. omnis enim terra, quæ colitur à vobis, [8] anguſta verticibus, [9] lateribus latior, parva quædam inſula eſt, circumfuſa illo mari, quod [10] Atlanticum, quod magnum, quod Oceanum appellatis in terris: qui tamen tanto nomine, quam ſit parvus, vides. Ex his ipſis cultis, notiſque terris, num aut tuum, aut cujuſquam noſtrum nomen, vel [11] Caucaſum hunc, quem cernis, tranſcendere potuit, vel illum [12] Gangem tranſnatare? quis in reliquis orientis, aut [13] obeuntis ſolis ultimis, aut aquilonis, auſtrive partibus tuum nomen audiet? quibus amputatis, cernis profecto, quantis in anguſtiis veſtra gloria ſe dilatari velit. Ipſi autem, qui de vobis loquuntur, quamdiu loquentur?

7. Quinetiam, ſi cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuſcujuſque noſtrum, à patribus acceptas,

1 *Cingulis*] Quinque zonas intelligit: de quibus Ovid. Metam. lib. 1.

2 *Duos inter ſe diverſos*] Circulum nimirum Arcticum,& Antarcticum. *Grav.*

3 *Verticibus*] Græcis *poli* dicuntur: puncta, circa quæ cœlum convertitur ab oriente ad occidentem. Virgilius quoque *vertices* dixit Georg. 2. & Cic. in Arato:

Extremuſque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur eſſe polus. Vinet.

4 *Obriguiſſe pruina*] Inſeſtari frigore. *Vinet.*

5 *Nihil ad veſtrum genus*] Non enim aut vos ad illos, aut illi ad vos commeandi facultatem habent. Verum hoc fuit Ciceronis ætate, non item noſtra. *Manut.* Ad illos enim à nobis, & ab illis ad nos viciſſim viæ multiplices apertæ ſunt. *Ramus.*

6 *Subjectus aquiloni*] Zona ſeptentrionalis temperata. *Vinet.*

7 *Quam tenui vos parte contingat*] Quam parva ejus pars imperio Romano pareat, & ejus ſit ditionis. *Vinet.*

8 *Anguſta verticibus*] Polo mundi, & Arctico orbi propinqua. *Vinet.*

9 *Lateribus latior*] Accipitur latitudo pro ſpatio ab ortu in occaſum; longitudo vero à polo ad polum. Et ſane putabant veteres longitudinem ſemper eſſe, quæ ſit inter vertices mundi. *Latera* igitur vocabant partes inter ortum, & occaſum ſibi oppoſitas. Et ſic Cicero hoc loco accepit. *Voſſius.*

10 *Atlanticum*] Atlas Mauritaniæ in Africa & mons, & rex fuit. Hic propter Aſtronomiam à ſe inventam, ille propter altitudinem *ſtelliſer* vocatur. Ab eo igitur monte, quem alluit, mare dicitur Atlanticum. *Ramus.*

11 *Caucaſum*] Montem Scythiæ altiſſimum.

12 *Gangem*] Indiæ fluvium.

13 *Obeuntis*] Occidentis. Sic de natura Deorum lib. 1. *Luna obit.* Catullus de coma Berenices:

Qui ſtellarum ortus comperit, atque obitus.

poſteris

poſteris prodere, tamen propter eluviones, exuſtioneſque terrarum, quas accidere tempore certo neceſſe eſt, non modo æternam, ſed ne diuturnam quidem gloriam aſſequi poſſumus. Quid autem intereſt, ab iis, qui poſtea naſcentur, ſermonem fore de te, cum ab iis nullus fuerit, qui ante nati ſint? qui nec pauciores,& [1]certe meliores fuerunt viri: cum præſertim apud eos ipſos, à quibus audiri nomen noſtrum poteſt, nemo unius anni memoriam conſequi poſſit. homines enim [2] populariter annum tantummodo ſolis, id eſt, [3] unius aſtri reditu metiuntur. cum autem [4] ad idem, unde ſemel profecta ſunt, cuncta aſtra redierint, eandemque totius anni [5] deſcriptionem [6] longis intervallis retulerint, tum ille vere [7] vertens annus appellari poteſt: in quo vix dicere audeo, quam multa [8] ſæcula hominum teneantur. namque, ut olim deficere ſol hominibus, extinguique viſus eſt, cum Romuli animus hæc ipſa in templa penetravit; ita quandoque eadem parte ſol, eodemque tempore iterum defecerit, tum ſignis omnibus ad idem principium, ſtelliſque revocatis, [9] expletum annum habeto. hujus quidem anni nondum viceſimam partem ſcito eſſe converſam. Quocirca, ſi

1 *Certe meliores*] Cum plures, & meliores viri, qui mortui ſunt, & extincti, te non laudant, quid laboras,ut pauciores, ac nequiores de te loquantur? *Ramus.* Heſiodus, & Ovidius ex variis hominum generibus, quæ deſcribunt, antiquiſſimum optimum faciunt, & Diis ipſis plane par: ultimum peſſimum, miſerrimumque. *Vinet.* Unde Horatius:

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

2 *Populariter*] Secundum vulgi mores, conceptuſque.

3 *Unius aſtri reditu*] Cum ad eundem Zodiaci locum, & punctum Sol redierit, annum eſſe dicimus: quem peragi putant Aſtronomi 365 diebus, & quarta fere diei parte. *Vinet.*

4 *Ad idem*] Significat, ad eandem partem, locum, punctum. Hujus autem alterius anni multi meminerunt, quem magnum vocant, Macrobius mundanum. *Vinet.*

5 *Deſcriptionem*] Id eſt, Figuram, ſeu formam, ac ſitum ſtellarum. *Wolf.*

6 *Longis intervallis*] Longinquitas temporis intelligatur, non diſtantia locorum. *Idem.*

7 *Vertens annus*] Id eſt, Expletus, & ab extremo puncto ad idem initium redeuns. *Wolf. Vertens annus* eſt appellatus, Cenſorino, & Macrobio auctore, quod id ſit temporis ſpatium, quod peragitur, dum Sol ad id ſignum denuo *vertit*, ex quo digreſſus eſt. Africanus vero cenſet annum magnum dici rectius *annum vertentem*, tanquam verum, & plenum, quam, qui *annus* vulgo appellatur, unius aſtri reditus: cum hic omnium aſtrorum curſus ſit perfectus. *Vinet.*

8 *Sæcula*] *Sæculum* alii 100, alii 300 annis definiunt. *Wolf. Sæculum*, inquit Cenſorinus, *eſt ſpatium vitæ humanæ longiſſimum, partu, & morte definitum. Vinet.*

9 *Expletum annum habeto*] Scito annum eſſe confectum, & completum, qui vere annus eſt. *Vinet.*

reditum in hunc locum deſperaveris, [1] in quo omnia ſunt magnis, & præſtantibus viris, quanti tandem eſt iſta hominum gloria, quæ pertinere vix ad unius anni partem exiguam poteſt? Igitur [2] alte ſpectare ſi voles, atque hanc ſedem, & æternam domum contueri; [3] neque te ſermonibus vulgi dederis, nec in præmiis humanis ſpem poſueris rerum tuarum; ſuis te oportet illecebris ipſa virtus trahat ad verum decus. quid de te alii loquantur, [4] ipſi videant: ſed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille & anguſtiis cingitur iis regionum, quas vides; nec unquam de ullo perennis fuit; & obruitur hominum interitu; & oblivione poſteritatis extinguitur.

8. Quæ cum dixiſſet, Ego vero inquam, ô Africane, ſi quidem bene meritis de patria quaſi [5] limes ad cœli aditum patet, quanquam à pueritia veſtigiis ingreſſus patriis, & tuis, decori veſtro non defui, nunc tamen, tanto præmio propoſito, enitar multo vigilantius. & ille, Tu vero enitere, & ſic habeto, non eſſe te mortalem, [6] ſed corpus hoc. nec enim tu

1 *In quo omnia ſunt magnis, & præſtantibus viris*] In quo loco præclara, & excellentia ingenia habent, & reponunt omnes ſpes ſuas, eo ſolum ſpectant, ad eum ſolum finem adſpirant, & illuc pervenire obnixe ſtudent. *Vinet.*

2 *Alte ſpectare ſi voles*] Si animum ad cœleſtem vitam, gloriamque illam æternam retuleris. *Ramus.*

3 *Neque te ſermonibus vulgi dederis*] Nec ſermones vulgi, nec popularem auram ſectaberis. *Ramus.* Frequens eſt, *ſermoni dare, honori dare, ſenectuti dare*, pro, aliquid concedere, & largiri. *Lang.*

4 *Ipſi videant*] Tametſi enim arrogantis eſt, negligere, quid de ſe quiſque ſentiat; fortis tamen animi eſt, rumoribus vulgi non commoveri. *Ramus.*

5 *Limes*] *Limites* dicunt ſemitas, & vias quaſdam, quæ agros diviſos diſtinant. *Vinet.* Fragmentis terminalibus in corpuſculo ſcriptorum rei agrariæ ſic ſcriptum legimus: *Omnes limites itineri publico ſervire debebant, qui dextra, & ſiniſtra fines privatos dividunt, & in medio iter publicum. Grav.*

6 *Sed corpus hoc*] Cum enim corpus humanum ex diſcrepantibus inter ſe naturis compoſitum, & coagmentatum ſit, calore igneo, aëreo humore, frigore aqueo, terrena ſiccitate; quorum temperatio, moderatioque quandocunque diſſolvetur; corpus ipſum diſſolvi, diſiparique neceſſe eſt. Quo ex genere hominis natura minime conſtat. Neque enim homo eſt ea moles corporis, materieſque, quam forma coloribus, & lineamentis diſtincta declarat; *ſed mens cujuſque, is eſt quiſque.* Mens hominis vitiis ſi corrupta, depravataque ſit, hominem perverſum, vitioſumque dicimus: ſit eadem fortitudine, patientia, æquitate, prudentia, cæteriſque virtutibus inſtructa, & ornata, bonum, & honeſtum virum judicamus. Neque vero idem eſt inſtrumentum, atque id ipſum, quod inſtrumento utitur. Manibus autem, pedibus, reliquiſque corporis partibus, tanquam inſtrumentis, homo utitur. Aliud itaque homo, aliud corpus eſt hominis, rectèque hominem mentem eſſe confitemur. Ac, cum Apollinis oraculum monet, γνῶθι σεαυτὸν, non id præcipit, ut membra noſtra, aut ſtaturam, figuramve, ſed animum noſtrum noſcamus. *Ramus.*

es,

es, quem forma ista declarat: sed mens cujusque, is est quisque: non ea figura, quæ digito demonstrari potest. [1] Deum te igitur scito esse: siquidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit, & moderatur, & movet id corpus, cui præpositus est, quam hunc mundum ille princeps Deus: & ut mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet. Nam quod semper movetur, æternum est: quod autem motum affert alicui, quodque agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. solum igitur, quod sese movet, quia nunquam deseritur à se, nunquam ne moveri quidem desinit: quin etiam cæteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium est movendi. principio autem nulla est origo. nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re: nec enim esset principium, quod gigneretur aliunde: quod si nunquam oritur, ne occidit quidem unquam. nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit: siquidem necesse est à principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum à se movetur: id autem nec nasci potest, nec mori: [2] vel concidat omne cœlum, omnisque natura [3] consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, quæ à primo impulsu moveatur.

9. Cum pateat igitur æternum id esse, quod à seipso moveatur, quis est, qui [4] hanc naturam animis esse tributam neget? inanimum est enim omne, [5] quod pulsu agitatur externo: quod autem animal est, id motu cietur interiore, & suo. nam hæc est natura propria animi, atque vis. [6] Quæ si est una ex omnibus, quæ sese moveat, [7] neque nata est certe,

1 *Deum te scito esse*] Homines enim, ac Dii animalia ratione, consilioque prædita Philosophis visa sunt, sed immortalitatis excellentia homines à Diis superari. Ne sint igitur mortales homines, sed immortales sunto, discrimen inter homines, Deosque reliquum nullum erit. *Ramus.*

2 *Vel concidat omne cœlum*] Id est, Alioqui concidet; id est, extincto primo principio, tota natura rerum, totus mundus ad nihilum recidet. *Wolf.*

3 *Consistat*] Id est, Moveri, & efficax esse desinat, nihilque porro procreet: pigra, ignava, mortua sint omnia. *Wolf.*

4 *Hanc naturam animis tributam*] Hoc est, Æternum esse, & immortalem animum, qui se ipse semper moveat. *Vinet.*

5 *Quod pulsu agitatur externo*] Quod ab alio movetur, quam à seipso; ut lapis. *Ramus.*

6 *Quæ*] Nempe vis animi, pro, ipse animus.

7 *Neque nata est*] Platonicum hoc, non Christianum. *Vinet.*

& æterna eſt. hanc tu [1] exerce in optimis rebus; ſunt autem optimæ curæ de ſalute patriæ: quibus agitatus, & exercitatus animus velocius in hanc ſedem, & domum ſuam pervolabit: idque ocyus faciet, ſi jam tum, cum erit incluſus in corpore, [2] eminebit foras, & ea, quæ extra erunt, contemplans quam maxime ſe à corpore abſtrahet. Nam eorum animi, qui ſe corporis voluptatibus dediderunt, earumque ſe quaſi miniſtros præbuerunt, impulſuque libidinum voluptatibus obedientium, Deorum, & hominum jura violaverunt, corporibus elapſi [3] circum terram ipſam volutantur, nec hunc in locum, niſi [4] multis exagitati ſæculis, revertuntur. Ille diſceſſit: ego ſomno ſolutus ſum.

1 *Exerce in optimis rebus*] Sublato ex animis omni mortis metu, quid reliquum eſt, niſi ut juſtitiam, pietatem, religionem colamus, ut beati ſemper vivamus? Exerceatur itaque anima in optimis rebus, in defendenda patria, reddendo unicuique, quod ſuum eſt, in augendis, & amplificandis bonis communibus. *Ramus.*

2 *Eminebit foras*] Terrena contemnet, expetet cœleſtia. *Wolf.*

3 *Circum terram ipſam*] Quam in vita animum amaverunt. *Ramus.*

4 *Multis exagitati ſæculis*] Vexati, atque afflicti. *Wolf.* De his animarum purgationibus Virgil. Æneid. 6.

Quiſque ſuos patimur manes: exinde per amplum
Mittimur Elyſium, & pauci læta arva tenemus:
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum ſenſum, atque auræ ſimplicis ignem.

INDEX

INDEX

Rerum, & Verborum.

Numerus Paginam indicat.

A

Abdere. abdimus nos. 123. abduci à rebus gerendis. 11. abeſſe à natura ferarum, 24. à ſpe conſulatus. 161. aberunt ab hoc. 119. abſum propius à morte. 228.

abhorrens à litibus. 107. aurium approbatione. 58. ab uſu forenſi & publico. 286.

abjicere obedientiam. 46. abjecta cunctatione. 34. abjectior animus. 264.

abrogare alicui imperium. 142.

abſolvere operis partem. 125. abſolutum officium. 127.

abſtergere ſenectutis moleſtias. 187.

abſtinentia. 115. abſtinentes oculi, manus. 65. abſtinens fuit Africanus. 114. abſtinere injuria. 158.

abſtrahi à ſolitudine. 124.

abundare præceptis philoſophiæ. 1. bellicis laudibus. 36. rebus. 79. omnibus copiis. 133.

Academia. 131. Academici. *ibid.* Academicæ quæſtiones Tullii. 77.

accedere ad rem gerendam. 34. ad remp. 71. acceſſit manus, & ars. 79. accedimus proxime. 123. accedit eodem. 125.

accipere injuriam. 18. beneficium. 116. dona. 110. rem. 114. pecuniam. 118. calamitatem. 146. acceptorum beneficiorum delectus habendi. 24. accepta rogatione. 179. accepta lex non eſt. *ibid.* accepti regio apparatu. 314. acceptius. 317.

Accius. 165.

accommodare ſe ad &c. 33. orationem ad opinionem communem. 91. tempus orandæ liti. 143. accommodamus perſonam nobiſmetipſis. 52. accommodatum ad hominum conſociationem. 46. ad naturam. *ibid.* ad obſtringendos homines. 108. accommodatiſſimæ ſibi fabulæ. 51.

accubitio epularis. 211.

accuſare aliquem quando oporteat. 98.

acerbus in exigendo. 107. acerbe ſeverus. 181.

Acilius hiſtoricus. 182.

acquieſcere in adoleſcentium caritate. 284.

acriores morſus. 85. acer judex bonorum &c. 51.

acta agere. 275.

actio omnis vacet temeritate. 46. actionis locus. 64. tempus opportunum. 65. actionum ordo. *ibid.* concentus. 66. actiones, i. e. orationes. 75. actio rerum cognitioni anteponenda. 70. in omni actione tria tenenda. 64.

actum cum illo optime eſt. 243.

actus extremus. 189.

acuere aliquem. 123.

acutiſſime videre rationem. 9. cogitare. 71. acutiſſimus homo. 147.

addere ſibi paucos dies ad dictaturam. 81.

addictus morti. 144.

addiſcere multa indies. 214.

addubitare in re aliqua. 130. addubitata re. 37.

adducere aliquem in invidiam. 162. adducuntur plerique, ut &c. 14. adductus

ductus temporibus. 20. adducta res in judicium. 155. adducere habenas amicitiæ. 258. adduci nullo frigore, ut &c. 204. adducta res in angustum. 245.
Adelphi. 222.
adesse animo. 315.
adhærescere justitiæ, honestati. 39.
adhibere tempus, & diligentiam ad &c. 10. doctos homines ad &c. 67. modum, & ordinem rebus. 10. orationis vanitatem. 150. periculosas curationes morbis. 37. reverentiam optimi cujusque. 45. dignitatis diligentiam. 62. severitatem, leporem. 61. Deum testem. 144. quædam tormenta. 142. vim alicui. 180. curam. 266. adhibuit sibi in consilium &c. 118. adhibendus auctor Themistocles. 111. adhibita correctione. 125.
adigere aliquem arbitrum. 155.
adimuntur alicui pecuniæ. 115.
adipisci caritatem. 89. gloriam. 95. omnia amplissima. 104. honores. *ibid.* utilitates. 81.
adire pericula. 30. hæreditatem. 170.
adjudicavit populo Rom. 17.
adjungere res futuras præsentibus. 7. accessionem ædibus. 63. animos ad &c. 82. adjuncto vero, ut &c. 94.
adjuvare aliquem. 111. temp. consilio. 56. ad aliquid. 89. in rebus. *ibid.* injuriam. 159. adjuvari pecunia. 117. adjutor consiliorum. 142. sententiæ. 183. adjutores ad injuriam. 253. adjumenta hominum. 81. rerum gerendarum. 83. adjumentum afferre alicui. 2.
adminiculis nullius. 138.
administrare remp. 39.
admirabilitatem facere. 92. admirantur homines ea omnia, quæ &c. 91. admiratus eorum fidem. 144. admiratione affici. 92. admiratio divitiarum. 113. admirabilia. 287.
admittere facinus. 171.
admodum adolescens. 97.
admonebat me res, ut &c. 109. admonitionem desiderare. 66.
admoventur dolorum faces. 96.
adolescentiæ inscientia senum prudentia regenda. 55. à libidinibus arcenda. *ibid.* ei favetur. 96. adolescentis est majores natu vereri. 55.
advehere frumentum Rhodum. 147.
adversus aliquem servare officium. 18. hostem æterna auctoritas. 20. inimos servanda justitia. 21. homines se gerere. 45.
adversus sol. 321. adversando assentari. 282.
advertere animum. 109.
adulterini nummi. 168. adulterare judicium veri. 279.
advocatus alicui venire in rem præsentem. 17.
adurebat sibi capillum. 86.
Æacus justus. 44.
ædes pestilentes, male materiatæ. 148. ædificandi descriptio. 62. modus. 64.
ædilitatis prætermissio. 103. splendor. *ibid.* ædilitium maximum munus. *ibid.*
Ægina. 145. Æginetæ. *ibid.*
Ælius S. 201.
Æmilius Papus. 255. Æmilius L. 201.
æquabile genus orationis. 2. jus. 94. æquabilis partitio. 93. æquabilitas juris. 40. in omni vita. 41. universæ vitæ. 50. æquabiliter dispertire. 93.
æqualis alicujus. 122. æquatio bonorum. 113.
æquarunt se illis. 2.
æquitas lucet ipsa per se. 16. justitiæ maxime propria. 30. belli. 18. judiciorum, & juris. 119.
æquus. 107. æquius, melius. 152.
ærarii tenuitas. 113.
ærumnosus. 292.
æs alienum suscipere. 102.
Æsopus. 52.
æstimatores rerum. 311.
ætas ingravescens. 252. quiete, pure, eleganter acta. 194. ætatis certus cursus. 204. ætatum omnium terminus. 225.
Ætna. 188.
affabilitas sermonis. 97.
afferre adjumentum alicui. 2. in medium communes utilitates. 12. manum socio. 13. aliquid ad utilitatem communem. 25. consulatum in suam domum. 63. manus alienis bonis. 101. opinionem populo. 97. consulatus repulsam. 103. finem tributorum. 115. languorem alicui. 122. utilitatem reip. 135. speciem utilitatis. 138. consilium. 146. aliquid contra alium. 181. causam. 254. vim. 249.
affici incommodo. 13. admiratione. 92. injuriis. 93. laude. 97. afficere pœna. 82. beneficiis. 102. affectus animo. 31. honore, imperio. 67. ætate. 212. afficiendum corpus ita est, ut &c. 36. sic affecti erimus. 131. affectio animi. 135.
affirmandi arrogantia. 77. affirmatio religiosa. 176. affirmate dici. *ibid.*

afflictis rebus. 182.
Africanus. 35. Africani dictum. 42. filius imbecillus. 205. liberalitas. 310.
Agamemnon. 170.
ager Arpinas: Tusculanus. 12. Picenus: Sabinus. 159. bene cultus. 218. conseptus, diligenter consitus. 219. agri fossiones, repastinationes. 216. agricolarum voluptates. 214. agros fertiles imitari debemus. 24. agricultura. 64. agrestis negligentia. 59. agraria lex. 112. res. 115. agrariæ contentiones. 117.
aggrediar dicere. 74.
Agis Lacedæmoniorum rex. 116.
agitatio mentis. 10. studiorum. 198.
agere suum negotium. 15. causam. 65. id, ut &c. 21. vitam in agris. 93. radices. 93. ex occulto: ex insidiis. 49. cum aliquo. 118. sine insidiis. 147. augurium. 154. cuniculos ad locum. 168. triumphum. 315. agatur caput, fama. 265. agitur ex fide bona. 152. bene inter bonos. *ibid.* agendum popularibus verbis. 91. actum est vehementer. 119.
Agrigentinorum multitudo. 86.
Ajax. 52.
Albinus Sp. 190.
Albutius M. 98.
alere familiam. 167. exercitum. 13.
Alexander Pheræus. 86.
alienum à se. 16. ab honestis actionibus. 47. non est &c. 67. alienissimum homine. 21.
alienatio facienda. 272.
aliud agentes, aliud simulantes. 151. aliorum judicio multa facienda. 67.
allicere studia hominum ad. 83. multitudinis animos ad. 97. allicit nos ad se. 26.
amare quid sit. 283. amari à subditis, quam metui præstat. 84.
ambitio miserrima est. 39. ambitiosi, quales in repub. 30.
Ambivius Turpio. 213.
amicitia, quæ jucundissima. 28. non, nisi in bonis, potest esse. 244. bonam spem prælucet in posterum. 247. contrahit omnia. 248. virtutum adjutrix. 275. secundas res splendidiores facit, adversas leviores. 247. præstat propinquitati. 245. quid sit. *ibid.* nullo loco excluditur: nunquam intempestiva, nunquam molesta. 247. à natura potius, quam ab indigentia orta. 250. serpit per omnium vitas. 276. amicitiam omnibus rebus humanis anteponere. 244. summa fide, constantia, justitia servare. 249. amicitiæ depositæ. 273. nimiæ fugiendæ sunt. 258. quare expetendæ. 259. amicitiarum pestis maxima. 253. ejus usus varius. 27. amicitias dissuere, præcidere. 54. de amicitia Tullii liber. 89. amicitiæ præceptum. 143. amici causa non omnia facienda, quæ ipse velit. 144. amicorum esse omnia communia. 25. amicus alter idem. 274. certus in re incerta cernitur. 267. amicum sequi. 258. amicorum paria vix tria, aut quatuor. 243. amici amor delectat. 261.
amittere consuetudinem. 87. remp. 88. agrum. 116. sua. 118. nomen, & splendorem viri boni. 163. socios reip. tuendæ. 75. amisso priore sacramento. 19. amissio liberorum. 134.
amor in natos naturalis. 7. multitudinis. 90. amoris causæ. *ibid.* amor quomodo confirmatur. 251. quatenus in amicitia progredi debeat. 254.
ampla domus. 63. ampliſſima omnia. 104. amplitudo honorum. *ibid.* ampliſſima fortuna. 83. familia. 303.
amplificatio rei familiaris. 14. rerum. 82. honoris, & gloriæ. 95.
amputantur membra, quæ reliquis nocent. 137. amputatio sarmentorum. 216.
Andria. 277.
angi timoris cruciatu. 86. amicorum decessu: suis incommodis. 239. angor pro amico sæpe capiundus. 260.
anguſtus animus. 32.
Anien, fluvius. 181.
animadversio contumelia vacet. 40. excitanda. 47. animadversores vitiorum. 66. animadversiones censorum. 180.
animalia duplicis ordinis sunt. 79. omnibus naturale est se tueri. 7.
animatus in amicum. 263.
animus bene à natura informatus. 8. cœlestis. 228. dives. 307. secum vivens. 213. excelsus, altus, virtutibus exaggeratus. 305. semper agitatur, nec principium motus habet. 229. bene constitutus. 259. animi natura simplex. 229. sapiens. 230. animo cernere. *ibid.* animi hominum divini. 242. ex universa mente divina delibati. 228. immortales. 232. animi magnitudo vera, & sapiens. 30. opera

majora ſunt, quam corporis, 96. vis, atque natura duplex. 46. vitia. 134. animoſe vivere. 43.
Annicerii Philoſophi. 183.
anquirere aliquid. 76. anquiritur in eum, quemádmodum vivat. 96.
anteire ceteros virtute. 92.
ante oculos eſſe. 255.
antevertere. 243.
Antigonus. 97.
Antipater Stoicus. 120. Caſſandri pater. 97.
Antonius M. Orator. 98
antiqua domus. 63. antiquari paſſus eſt. 112.
Apelles. 126.
apertus homo. 150. aperire rem familiarem. 101. aperte odiſſe. 268. adulans. 282. apertum pectus. 281.
apex ſenectutis. 220.
apiſci. ex quo apium officium. 28.
apium examina. 72.
Apollinis Pythii oraculum. 115.
ἀνθολογία à Catone collecta. 57.
apparatus magnifici. 14. ludorum, venationumque. 102. apparatio munerum. *ibid.* apparatum opipare convivium. 151.
apparere. apparuit in tuo nomine munus illud. 288.
appellare aliquem molli nomine. 19. milites blande. 97.
appetere alienum. 132. appetenter agere. 17. appetitus rationi obediant. 46. contrahendi, & ſedandi. 47. appetitus voluptatis. 48. impellit ad agendum. 60. appetitio alieni. 136.
applicare ſe ad philoſophiam. 52. applicatio animi. 250.
apponere licitatorem. 153.
aptus ad rem militarem. 34. ad naturam. 46. ad tuendas opes. 84. apti, & accommodati loci. 64. apta inter ſe. 65. apte fieri. 66. aptior ad claritatem. 33. aptiſſimum ætati tuæ. 3. natura hominis. 8. aptus totus ex ſeſe. 292.
aqua hæret. 184. aquarum ductus. 80. aqua intercus. 169. aqua uti. 247.
Aquilius Ciceronis collega. 151. Aquiliana definitio doli mali. *ibid.* Aquilius M. à Fufio accuſatus. 98.
Aratus Sicyonius. 117.
arbitrium rei uxoriæ. 152. arbitria, in quibus adderetur, ex fide bona. 157.
arcere aliquem à libidinibus. 55.
arceſſere aliquem judicio capitis. 99. arceſſitus in civitatem. 298.
archipirata. 93.
architectura. 69.
Archytas Tarentinus. 208.
arctior ſomnus. 314.
arculæ muliebres. 86.
ardor amoris. 23.
Areopagus. 35.
Arganthonius Tarteſſiorum rex. 224.
argentariam facere. 150. argentum celatum. 303.
Argiuſſæ. 38.
Arimnippus. 67.
Ariſtides. 128.
Ariſto. 4. Chius. 283.
Ariſtoteles. 3.
arma parvi foris, niſi eſt conſilium domi. 33. cedant togæ. *ibid.* impia. 123. ſenectutis aptiſſima. 191. armis tentata res eſt. 119.
arripere celeriter res innumerabiles. 229. avide literas. 200. repente auctoritatem. 221.
arrogantia fugienda in rebus proſperis. 41.
artes quæ honeſtæ. 68. voluptatum miniſtræ. 69. quæ in veri inveſtigatione verſantur. 11. artium multitudo ab hominibus inventa. 80. artes operoſæ. 82.
aſcendere altiorem gradum. 166. in equum. 204.
aſciſcere ſibi bonos. 160.
aſcribere aliquem ad amicitiam. 144.
aſſentatio perniciosa. 281. vitiorum adjutrix. 278. aſſentatoribus non patefaciendæ aures. 42. aſſentatores populi. 107.
aſſequi licentiam. 67. aliquid boni. 76. facultatem. 82. laudem. 98. ſtudia, odia hominum. 101. officia. 127.
aſſiduitas bellorum. 113.
aſſumere ſibi aliquid. 2.
aſtringere ſe ſcelere. 130. aſtrictus jurejurando. 20. ad aſtringendam fidem. 180 aſtringit perjurium. 182.
aſtuti non placuerunt veteribus Rom. 157. aſtutiæ tollendæ. 157.
Athenienſes. 39. Athenarum onus. 124.
Atilius Sex. 179 Calatinus. 220. L. ſapiens appellatus. 237. M. Regulus. 227.
Atreus. 45.
atrienſes ſervi. 303.
attendere animum. 138. attentius cogitare. 65.
attingere naturam humanam. 10. virum bonum. 23. belticam rationem.

35. cognitionem rerum. 72. attingendus etas locus. 113.
avaritiæ etiam ſuſpicio vitanda. 103. avaritia ſenilis. 222. teterrimum vitium eſt, præſertim in principibus. 115.
auctoramentum ſervitutis. 68.
auctoritas æterna adverſus hoſtem. 19.
audacia in malis, in pœnis faciles. 109.
avellere aliquem ab errore. 164.
avertere animum ab aliquo. 236.
auferre cibum alteri. 135.
augere ſe ſcientia. 1. hominum utilitates. 71. ſuum munus verbis. 111. remp. agris &c. 119. ſuum commodum alterius incommodo. 131. ſuas opes &c. aliorum ſpoliis. 132.
augures. 221.
avitus hoſpes. 204.
avocare à rebus gerendis. 195.
aurata tecta. 310.
aures oppletæ. 320.
aurichalcum. 169.

B.

bajuli. 295.
barbatuli mulli. 304.
Bardylis latro. 93.
Baſilus M. Minutius. 258.
beatiſſimus. 292.
bellua quomodo differat ab homine. 7.
bellum propter pacem ſuſcipiendum. 18. quando juſtum. 19. Italicum. 114. Perſicum. 257. Punicum. 146. Pyrrhi. 166. Punicum tertium. 36. bella, quibus imperii gloria propoſita. 19. bellorum civilium origo. 39. bellicæ res. 34.
benefacta male locata, malefacta. 106.
beneficentia naturæ humanæ accommodata. 21. multas habet cautiones. *ibid.* ejus ratio duplex eſt. 99.
beneficium in quos potiſſimum conferendum. 23. beneficia, quæ opera, non largitione dantur. 107. ultro citro data acceptaque. 27. quæ ad remp. pertinent. 112. beneficus in amicos. 22.
benevolentia fidelis vel ad perpetuitatem. 85. ſublata. 284. intemperata. 272. non ardore amoris judicari debet. 23. ejus officium. *ibid.* ejus tria præcepta. 90. beneficiis capitur. *ibid.*
benignitas quænam reip. utilis. 106. benignitate benignitas tollitur. 100.
beſtiæ natos amant. 250.
Bias. 264.
blanditiæ officiorum. 159. blandus amicus. 279.
Bloſius C. Cuminus. 254.
bonitas ſummi cujuſque perfugium omnium. 106. bonus vir quis. 174. nihil cuiquam derrahet. 160. nihil cogitabit mali. 161. bonum virum eſſe ſemper eſt utile. 154. bonis viris honeſta, non occulta quæruntur. 141. bonos alios, alios ſapientes exiſtimare, pernicies eſt. 153. boni viri nomen, & ſplendor. 163. bona ætas. 213. bona perdere. 289. verbo bona putare appellanda. *ibid.*
Bonæ Deæ opertum. 300.
breve tempus ætatis. 224.
Brutus M. 286.

C.

cadere in deliberationem. 6. in rationem utilitatis. *ibid.* in quemquam. 163. in noſtram intelligentiam. 129.
Cæcilius poëta. 205. L. Metellus. 220.
Cæſar C. Jul. 14. carpitur, & notatur. 84.
Cæſar C. L. filius. 49.
calamitatum ſocietates. 267.
calculi. ad calculos vocare amicitiam. 264.
calida conſilia. 37.
Callicratidas, Lacedæmoniorum dux. 39.
callida interpretatio juris. 17.
Callipho. 185.
Calpurnius Lanarius P. 155.
Calypſo. 51.
Camillus L. 209.
campus Rhetorum. 29. noſter, *ſt.* Martius. 48.
cani. 221.
Canius C. 150.
Cannenſis calamitas. 146. pugna. 181. ignominia. 227.
canora vox. 61. ſplendeſcit in ſenectute canorum illud in voce. 201.
cantare in foro. 66.
capedines. 290.
capere ignem ab igne. 25. fructus ex aliqua re. 80. conſilium. 90. laudem ex aliqua re. 87. ſeſtertia ex prædiis. 310. exemplum ex ſimilitudine ineuntis ætatis. 252. capit eos oblivio. 14. capi una domo. 26. voluptate. 48. ſpe largitionis. 84. benevolentia capitur beneficiis. 90. captus mente. 43. uti ne propter te &c. captus ſiem. 157. capienda conſuetudo, exercitatioque. 28.

capitalis injuſtitia. 21. oratio. 113. Eteocles. 164.
captivi decem, quos ad ſenatum miſit Hannibal. 181.
Capua. 192.
caput eſt in procuratione negotii &c. 113. ad beate vivendum. 258. capitum jugatio. 216.
Carbo C. 256.
carceres. è carceribus emiſſus. 284.
carere, quam frui, ſatiatis jucundius. 212.
Carinæ. 311.
caritas annonæ. 147. hominum. 70. patriæ. 173. inter natos, & parentes. 250. caritatem quibus rebus adipiſci poſſimus. 89.
Carthago. 18.
Caſſia lex. 257. Caſſius Sp. 250.
caſtigare aliquem verbis. 40. caſtigatio vacet contumelia, & ira. *ibid.*
Cato. 19. Cato Major: liber Ciceronis. 69. Catonis liber de rebus ruſticis. 216.
Catulus. 35.
Caudium. 179. prælium Caudinum. 209.
cavea. 248.
cavere intemperantiam. 56. in jure. 108.
cauponari bellum. 20.
cauſarum plura genera. 98.
cedere poſſeſſionibus. 118. cedant arma togæ. 35.
celare Deos, hominesque ſi poſſimus, nihil tamen avare &c. faciendum. 140. celare differt à tacere. 148. quid ſit. 150.
celeberrimi dies. 241.
celeritates nimiæ. 59.
cella vinaria, olearia, penaria. 218.
cenſorum notiones, animadverſioneſque. 180.
Centho. 213.
cernere vitam ferro. 20. animus cernit. 231.
certare cum hoſte armis, venenis. 166. certamen honoris, capitis &c. 20.
cetarii. 68.
Cethegus M. 214.
Chremes Terentii. 36.
Chryſippus. 143.
cibus. 205.
Cimbri. 20.
Cimon. 107.
Cincia lex. 192.
Circe. 51.
circuli. 60.
circumfluere omnibus copiis. 262.
circumſcriptio adoleſcentium. 152.
circumſonare aures talibus vocibus debent. 124.
circumſpicienda. 28. circumſpicere te. 299.
circumveniri potentis opibus. 99. ne circumveniantur tenuiores. 119.
civium ratio habenda. 134. civis bonus quis. 56.
civitates quare conſtitutæ. 113. civitatibus multa inter ſe communia. 26. civitatis divitiæ ſingulorum facultates ſunt. 153.
claret viri gloria. 38. clara ſit vox. 60.
claudere rem familiarem. 101.
claudicare in officio. 54.
Claudius C. 103. Appius. 195. Centumalus T. 154.
claviculis aliquid complecti. 215.
clavum tenens. 196.
Cleanthes. 198.
clementia nihil laudabilius. 40.
Cleombrotus. 38.
Clodius P. 104.
Clytæmneſtra. 52.
coactus metu. 17. terrore. 181. coagmentare opus. 226.
Cocles. 29.
coercere aliquos morte &c. 132.
cœtus, & celebrationes. 7.
cogitatio verſatur in duobus. 11. maxime in vero exquirendo. 59. tacita. 124. cogitata injuria. 14.
cognoſcere cauſas. 118. cognitionem rerum &c. ad beate vivendum neceſſariam ducimus. 8. ejus cupiditate omnes trahimur. 10. in ea perſequenda duo vitia vitanda. *ibid.*
cohibere motus animi. 82.
colere amicitiam, juſtitiam, liberalitatem. 4. officium. 3. virtutem. 127.
Collatinus. 142.
colligata inter ſe. 9. colligatio ſocietatis. 26.
colligere antiquitatis monumenta. 207. benevolentiam civium. 266.
collocare beneficium. 24. ſe totum in cognitione, & ſcientia. 72. filiam alicui. 111. pecuniam. 121. aliquem in concilio cœleſtium. 133. collocatio filiarum. 102.
colluvio. 232.
color quomodo tuendus. 59.
comes. comitem furoris ſe præbere. 254.
comici ſtulti ſenes. 205.
cominus gladiis uti. 197.
comitas conciliat animos. 97. ſermonis. 50.
commentandi cauſa. 238.
commiſſa culpa. 294.

commodari.

commodari. 25. commode dicta. 235. commodis esse moribus. 163.
commovetur amor fama. 90. commovet animos specie sua. *ibid.* commotus libidine, metu. 47.
commune animantium. 7. communis cum aliquo fortuna. 27. commune officium. 6. communitas omnium rerum. 25. vitæ. 11. humana. 72. communitatis humanæ principia. 24.
comœdia antiqua Atticorum. 47.
compages corporis. 228.
comparat similitudines. 7. comparatio honestorum. 69. utilitatum. 120. comparata vitæ ratio. 284.
compendiaria via. 95.
competitor. 20.
complecti animo, & cogitatione. 53. complexus est me somnus. 314.
complicata notio animi. 160.
compositio membrorum apta. 45.
comprehendit universas provincias uno calamitatis jure. 87.
comprimere alicujus conatus. 104.
compta oratio. 201.
compunctis notis Threiciis. 86.
conari magna. 42.
concedere laudem aliis. 33.
concentus actionum. 66.
conciliatio generis humani tuenda. 68. conciliare animos. 82. inter se homines. 24. hominem homini. 7. conciliatrix amicitiæ. 255.
concilium animorum. 232.
concipere jusjurandum verbis. 178.
concludi in exiguum. 26.
concordiæ vis. 248.
concrepare digitis. 159.
concursus prædonum. 298.
condimentum amicitiæ. 268.
condita comitate gravitas. 191.
condonare debitoribus pecunias creditas. 115.
conducti mercede. 84.
conferre sermones cum *&c.* 62. studium *&c.* in aliquid. 10. officia in aliquem. 24. pecuniam ad. 32. pecuniam in. 170. consilium ad. 59. se è portu in agros. 69. se ad studium. 77. se ex homine in belluam. 163. aliquam discrepantiam in actiones. 51. conferebam omnes meas curas in remp. 75. conferamus in pauca. 184.
conficere negotium. 151. benevolentiam. 93. conficitur communitas ex *&c.* 27. confici fame. 135. confectus angoribus. 75. senectute. 173. confecta res est vi. 35. bella sunt consilio. 36.
confectio libri. 187.
conflari. ex quibus rebus conflatur honestum. 9.
confligere cum aliquo. 37.
conformari præceptis. 5.
confugere ad imperatorum fidem. 18.
confusum cum virtute. 44. confusio temporum. 108.
congeri in amicitiam. 264.
conglutinatio recens, inveterata. 226.
conjecti in aliquem oculi. 237.
congruere cum virtute. 127.
conjugium, prima societas in conjugio est. 26.
conjugare amicitiam. 28.
conjungere Latina cum Græcis. 1. conjunctio hominum. 10. fratrum. 26. sanguinis. *ibid.* civium. 132. ordinum. 167. conjuncti familiaritate. 26. conjunctum cum virtute. 4. conjunctior vanitati. 23. conjunctissimus. 24. conjunctionis appetitus. 7.
conniti animo. 124.
connubia. 26.
conquirere suavitates. 183.
conscendere naves. 146.
conscientiæ labes. 164. conscientia bene actæ vitæ. 191. peccatorum. 305. conscius sibi culpæ. 158.
conscribere edictum. 162.
consectatrices voluptatis. 184. consectari opes *&c.* 39. benevolentiam. 100.
consensio improborum. 258. voluntatum, studiorum, sententiarum. 243.
consentaneum alicui dicere. 184. non est. 31. sibi. 4. hominis excellentiæ. 44. naturæ. *ibid.*
consentire sibi. 4. inter se. 45.
consenuerint vires. 201.
consequi suum institutum. 53. opes. 30. gratiam. 116. aliquid commodi. 133. potentiam. 163. ingenii præstantiam. 123.
conservare constantiam, ordinem. 8. honestatem, & decus. 10. fidem. 20. officium. 28. multitudinem. 37. æquabilitatem vitæ. 50. jusjurandum. 173.
considerate agere. 43. considerata actio. 73.
consilium fidele deliberanti dare. 25.
consitiones. 217.
consociatio hominum servanda. 68. vincit cognitionis studium. 72.
consociati greges accusatorum, judicumque. 308.
constantis est non perturbari *&c.* 36. constantia dictorum, conventorumque.

que. 13. in omni re &c. maxime decet. 57. constans ætas. 227. homo. 238. constat inter omnes. 91. constare sibi. 33. nobismet ipsis in vitæ perpetuitate. 54.
constituere te cuiquam advocatum esse venturum. 17. constituit Areopagitas. 35.
constitutio corporis firma. 183.
consuetudinis depravatio. 156.
consulere paci. 18. iis, quos viceris. *ibid.* parti civium. 39. omnibus. *ibid.* patriæ. 142. vitæ, & saluti. 170.
consultare ad vitæ commoditatem. 6.
consulto facere injuriam. 14.
consumere ætatem in studio. 2.
contagiones malorum. 117.
contaminare se scelere. 140. contemnere, & male existimare. 92. contemptio rerum humanarum. 8.
contendere inter se. 39. ad magna. 96. labore. 124. inter nos verbis, non pugnis. 295. contra naturam. 50. contendendum nihil est contra æquitatem &c. 112.
contentio honorum. 39. causarum. 77. orationis. 97. vocis. 62.
contentus & suo, & parvo. 33.
continentia conciliat benevolentiam. 115. in victu, cultuque. 120. continenter vivere. 48.
continere se suis finibus. 42. omnes eadem æquitate. 118. continet remp. fides. 119.
contrahere aliquid cum altero. 3. contractæ res, rationesque cum multis. 26.
contrariis rebus dolere. 259.
controversa jura Stoicorum. 169.
contumelioſe dici de aliquo. 61.
convenienter naturæ vivere. 127. convenit mihi cum aliquo. 153. convenientia partium. 8. naturæ. 46. bene convenientes propinqui. 27.
convertere aliena in rem suam. 22. totos ad se. 92. eloquentiam ad bonorum pestem. 99. librum. è Græco in Latinum. 120. hæreditates digitorum percussione. 161. convertimus omne studium ad scribendi operam. 124.
convivii dicta. 65. convivium vicinorum. 212. tempestivum. 211.
cooptatio collegiorum. 280.
Corinthus. 18. Corinthia opera. 291. Corinthius matellio. 304.
Coriolanus. 257.
corpus exercendum est. 36. corporis pulchritudo. 45. cultus. 48. partes deformes. 57. firma constitutio. 183.
corroboratis ingeniis, ætatibus. 271.
corruere, corruerunt Lacedæmoniorum opes. 38.
corrumpere pecunia. 100. corrupti sunt mores. 111.
corruptelam judicii molientes. 308.
Coruncanii. 195.
Crassus M. 13.
Crassus L. 49.
Crassus P. 103.
Cratippus. 1.
crematum corpus. 232.
criminibus inferendis delectari. 268.
crudelitas maxime inimica naturæ. 145.
cultri tonsorii. 86.
cumulavit eloquentia bellicam gloriam. 53. cumulate perfectum. 128.
cunctando restituit rem. 38.
cunis vagire. 231.
cupiditas imperiorum, pecuniæ, honorum, gloriæ &c. 14. regnandi. 139. cupiditatis fictæ. 289. cupiditatibus imperare. 301. cupidi splendoris, & gloriæ. 22.
cura rerum alienarum. 15. curare totum corpus reip. 38. curatio valetudinis, & pecuniæ. 120.
Curio C. 104.
Curius M. 210.
currere stadium. 143. cursus totius vitæ. 7. vivendi. 53. curricula mentis. 207.
custodia suarum rerum. 113. libera suæ rei. 116.
Cyneas Thessalus. 210.
Cynici non audiendi. 58.
Cyrenaici Philosophi. 183.
Cyrsilus Athenienſis. 146.
Cyrus. 81.

D.

damnati rei capitalis. 209.
Damon Pythagoreus. 144.
Danai filiæ 50. 307.
dare consilium. 25. alicui laudi, vitio. 33. licentiam ludendi. 47. operam liberis. 58. fidem alicui. 175. se jucunditati. 56. jusjurandum alicui. 181. manus. 282. danda opera. 56. dandis meritis. 249.
debere debemus servire vobis universis. 305.
decedere de suo jure. 107.
decernendi ratio. 36.
decertare manu. 37. decertandi genera duo. 18. decertatur de imperio. 19.

decet id quemque, quod eſt cujuſque maxime ſuum. 51.
Decii. 29.
decipere, non judicare. 17. deceptus dolo. *ibid.*
declinare nocitura. 7. de via. 265.
decorum duplex; utriuſque definitio. 43, 44. ab honeſto ſeparari nequit. 43. ad omnem honeſtatem pertinet. 44. Græce πρέπον. 43. in quibus cernatur. 57. movet approbationem. 45. decori vis. 46. decorum id, quod poëtæ ſequuntur. 44.
dedecorare auctoritatem urbis. 124.
dedere ſe angoribus. 75. ſe doctrinæ. 33. ſe languori. 56. dediti hoſtibus clari viri. 179.
deducit ad convenientiam &c. 45. deduci ad parentium murem. 53.
deeſſe ſibi. 125.
defectio virium. 201.
defendere injuriam. 13, nocentem licet. 99. ſolis ardores. 216. aliquid accurate. 291. defenditur voluptas. *ibid.* defenſio laudabilior accuſatione. 98. defenſitare cauſas. 55.
deferre beneficium. 24. rem ad populum. 181.
deflagravit ictu fulminis. 170.
deflexit de via. 78. de ſpatio, curriculoque. 256. ab amicitiis perfectorum ad leves. 283.
defluere in terram. 264.
defugere munus aſſignatum. 318.
deguſtare genus exercitationum. 288.
delabi in turpitudinem. 48. ad vulgares amicitias. 272.
delectus rerum. 4. acceptorum beneficiorum. 24. bonorum, & malorum. 157.
delectatus ſuo ſtudio. 3. re ſua familiari. 32. delectant magnifici apparatus. 14.
deliberanda non ſunt ea, quorum deliberatio ipſa turpis, 140. deliberatio quintuplex eſt. 6.
delicate vivere. 48. delicatus ſermo. 65.
delinire aliquos blande appellando. 95. multitudinem. 102.
deliratio. 206.
demerſæ leges alicujus opibus. 85.
demetere fructus. 225.
Demetrius Macedonum rex. 86. Phalereus. 3.
demigrare ab hominibus. 293.
Democritus. 198.
demoliri ædes. 63.
Demoſthenes. 3.
denunciatum eſt bellum. 19.
depellere manu. 143.
deplorare vitam. 231.
deponere imperium. 32.
depoſitum non ſemper reddendum. 16.
deportare triumphum. 36.
depravatio conſuetudinis. 156. depravati ſunt mores. 111.
deprompta oratio. 288.
derelictio communis utilitatis. 136.
deripere aliquid alteri. 143.
derivationes fluminum. 80.
deſcendere in roſtra. 162. ad calamitatum ſocietates. 267.
deſcriptio ædificandi. 62. juris. 80.
deſiderare aliquid, 213. deſiderium viri. 285.
deſiſtere ſententia. 128. cauſa. 181.
deſpicere humana omnia. 173. deſpicientia rerum externarum. 31.
deſtinare diem necis alicui. 144.
deſtruere navem, ædificium. 226.
deſudare in re aliqua. 207.
detorquere animum à virtute. 92.
detrahere aliquid alteri ſui commodi cauſa. 131. de commodis alterius. 136. de communi utilitate. *ibid.* detracta opinione probitatis. 90.
detruderet. neceſſitas nos detruſit ad ea &c. 52.
devincere aliquos vi. 18. devictæ bello civitates. *ibid.*
devincire ſocietatem hominum inter homines. 12. homines caritate. 26. devinciri firma ſocietate. 27. devincitur fides cum hoſte. 180.
Deum adhibere teſtem. 144. Deum nihil habere negotii &c. 174. nunquam iraſci, nec nocere 175. ſemper aliquid moliri. 174. Deos placatos pietas efficiet. 79. Dii meliora. 212.
devovere aliquid numini. 170.
Dicæarchus. 81.
dicere diem alicui. 181. de ſeipſo. 202.
dicendi vis. 2.
dies celeberrimi. 241.
differenda in aliud tempus conſolatio. 187.
differentia naturarum. 51.
difficile quod difficilius, hoc præclarius. 30.
diffluere luxuria. 48. diffluentes deliciis. 262.
diffugere periculo mortis. 182.
diffundi bonis amici. 260.
digitis peccata dimetiens. 296.
digladiari inter ſe de &c. 15.
dignitas ſapientis. 31. formæ. 49.
dignus, quicum in tenebris mices. 161.

dilabi ſinere rem familiarem. 107. dilaberetur reſpub. 117.
dilatatum imperium. 35.
diligentia conſervatur res familiaris. 120.
diligi. nihil aptius ad opes tuendas, quam diligi. 84. diligendi cauſæ graviſſimæ. 90. ſe diligere. 274.
dimenſa. 219.
dimicare cum aliquibus de imperio. 20. cum fluctibus. 172.
dimittere unam legionem. 19.
dimovere mentem è ſua ſede. 291.
Dinomachus. 184.
Diogenes Babylonius, Stoicus. 147.
Dion Syracuſius. 71.
Dionyſius tyrannus. 86.
dirigi officium utilitate putat. 167. dirigenda utilitas honeſtate. 164. directi in quincuncem ordines. 219.
dirimere conjunctionem civium. 132. ſocietatem. 134. controverſiam. 185.
diripere urbes. 37. direptio ſociorum. 114.
dirumpere amicitias. 275.
diſcedere ab officio. 17. ex vita. 232. ab alicujus latere. 235. à naturæ ſtatu. 31. à ratione. 36. à fide, juſtitia. 162. diſceſſit terra magnis imbribus. 141.
diſcere. diſcendo alitur mens. 48. ſi diſcendi labor eſt potius, quam voluptas. 124.
diſcidia amicorum fieri. 273.
diſcrepare ab humanitate. 66. ab officio. *ibid.* inter ſe. 164.
diſpares mores diſparia ſtudia ſequuntur. 271.
diſpertire prædam. 93.
diſrumpi humani generis ſocietatem. 131.
diſſentire cum aliquo. 166. diſſenſio inter P. African. & Q. Metell. 40.
diffidet à ſapientia. 77. diffidentia à Peripateticis. 2.
diſſimilitudines corporum, & animorum. 49.
diſſimulare appetitum. 48. diſſimulatio tollenda. 152.
diſſociare amicitias. 271.
diſſolvere conſortionem. 134. perjurium. 182.
diſſuere amicitias. 54.
diſtantia morum, ſtudiorumque. 272.
diſtrahere ſocietatem. 134. diſtrahitur animus in contrarias ſententias. 6.
diſtribui in quinque partes. 7.
diſtringere gladium. 181.
divellere commoda civium. 118. res à natura copulatas. 159. divelli à virtute. 127.
diviſio tripartita. 125.
divites eſſe volumus non nobis ſolum *&c.* 153. divitias amare, anguſti animi eſt; contemnere contra. 32. divitiæ quare expetantur. 13. divitiarum admiratio. 111. modum metiri. 307. ditior amicitia. 264.
diuturnum. 224.
docti non ſolum vivi erudiunt. 71. ad hominum utilitatem ſuam prudentiam conferunt. *ibid.* docere fabulam. 213. doctrinæ ſtudia. 17.
dolor ne malum quidem eſt. 176. dolorem ſummum malum qui putat, apud eum nullum locum habet fortitudo, nec aliæ virtutes. 183. dolorum faces. 91.
dolus malus quid ſit. 151. legibus erat vindicatus. 152. ſimulatione continetur. *ibid.* quæ quis promittit dolo deceptus, non facienda. 17.
domeſticæ fortitudines. 36.
domus hominis honorati qualis eſſe debeat. 62. domus domino, non dominus domo honeſtandus. 63. domus antiqua *&c.* 63. domum vendere. 149.
dormientium animi. 230.
Druſus M. 49.
dubitatio cogitationem ſignificat injuriæ. 16. in dubitatione adhibendi ſunt docti homines. 67.
ducere bellum. 162. pro nihilo. 15. animi magni. 31. duci benevolentia *&c.* 84. gloria. 22. delectatione. 48. pretio, & mercede. 83.
Duillius C. 211.
duri hominis eſt. 98. durius nomen. 19.
duritas. 222.

E.

Echion. 303.
efferre plus. 24. ſe. 56. aliquem laudibus. 91. fructus. 191. efferri faſtidio, & contumacia. 262.
efficiens utilitatis. 127. effectum eſt, ut *&c.* 14.
efflorefcit utilitas ex amicitia. 283.
effœtum corpus. 201.
effrænati rebus ſecundis. 42.
effugere vitium. 10. impias manus. 316.
effundere patrimonia. 101. effuſiones pecuniarum. 102.
ejicere rationem alicujus. 67. aliquem de navi. 168.
ἔλεγχος. 49.
elatus animus. 28. principatus nimis cupidus eſt. 30. facile ad res injuſtas impelli-

impellitur. 30. elati voluptate. 48. elatio animi. 29.
elogium Solonis. 226.
eloqui copioſe &c. melius, quam acutiſſime cogitare. 71. eloquentia quid præſtabilius? 108. à natura ad ſalutem hominum data. 99. eloquentiæ intermiſſio, interitus. 109.
elucere. eluceat animi magnitudo. 10. elucebit conſtantia. 46. probi ingenii lumen. 47. probabile. 77.
eluviones terrarum. 323.
emacem eſſe. 311.
emancipari alicui. 206.
emergere, ex quo magis emergit, &c. 50. emergunt hæc aliquando. 85.
emeritis ſtipendiis libidinis. 213.
eminus haſtis uti. 197.
emptori notum vitium eſſe debet, quod noſſet venditor. 155.
enervare aliquem. 203.
Ennius. 25.
Epaminondas Thebanus. 71.
Epiclerus. 282.
Epicurus. 183.
Epigoni. 51.
epiſtola Philippi ad Alexandrum. 100. epiſtolæ trium regum ad filios. 97.
equo intractato, & novo uti. 269. equi ferocitate exultantes. 42. teneri vetulis anteponuntur. 269.
eripere aliis, quod aliis largiare. 22.
erranti comiter viam monſtrare. 25. non monſtrare Athenis execrationibus publicis ſanctum eſt. 149.
erratico lapſu ſerpere. 215.
erumpunt vitia in aliquos. 272.
eſca malorum voluptas. 210.
eſſe, non fieri. 180. eſſe in gratia, & gloria. 165. eſſe ſolvendo. 116.
Eteocles. 164.
evagantes longius appetitus. 46.
evertere urbes. 37. ſocietatem. 132. navem auri, palex. 294. everſa reſp. 124.
ὐγιεινὰ. 65.
evolare è cuſtodia corporis. 242.
evolvere animi complicatam notionem. 160.
evomere virus acerbitatis apud aliquem. 276.
Euripides. 164.
εὐταξία. 64.
exaggerare rem familiarem. 42. exaggeratus virtutibus animus. 305.
examina apum. 71.
examinare. te metus legum examinant. 293.
exardeſcere. exardeſcit amor ex aliqua re. 283. benevolentiæ magnitudo. 251. niſi exarſerit injuria. 272.
excedere è vita. 70.
excellere animi magnitudine. 29. in ſermone. 61. pulchritudine, & viribus. 133. excellentia animi. 10.
excelſus animus. 92.
excerpere ex malis. 123.
excidere. ne quid excidat. 264.
excipere memoriam viri. 196.
excitare amores. 9. aliquem ad legendi ſtudium. 74. ſtudia hominum ad &c. 83. feras. 156. jacentem animum amici. 264. excitantur plauſus. 45. excitanda diligentia eſt. 47.
excludere alios ſermone. 61. ſuos ab uſu rei familiaris. 42. amicitias. 262.
excors admodum. 282.
excuſatio turpis. 256. peccati. 255. excuſatione utendum eſt adverſus eos, quos invitus offendas. 109.
exemplum rerum capere ex &c. 252. ſumere. 255. multum mali in exemplo eſt. 64.
exercitatio dicendi. 1.
exhaurire ærarium. 112. benignitatis fontem. 100. ſentinam. 196.
exhibere negotium alicui. 181.
exigere operam. 21. promiſſum ab aliquo. 170. gratiam. 251. mercedem caritatis. 274.
exire de caſtris. 21. in alias domos. 26. in ſolitudinem. 53.
exiſtimare bene de ſe. 136. male de aliquo. 92.
exortus eſt rex. 141.
expedit. eos lædunt, quos non expedit. 109. quoniam expedit, faciam. 148. hoc expedit. 159. expedit nihil, quod non juſtum. 160. expedire rem. 90.
expers rationis, & orationis. 25.
expilare fana. 168. ærarium. 307. expilatio ſociorum. 114.
explere partem relictam. 138. ſitim. 200.
explicare rationem. 9. explica intelligentiam tuam. 163. explicata re. 37.
exploratum habere. 160.
exploſa ſententia eſt. 4.
expreſſæ literæ. 60. expreſſa effigies. 156.
exprobrare officia. 270.
exquiſitum judicium. 60. ſupplicium. 173. exquiſita nimis munditia. 59.
exſcindere urbem. 35. exciſam Carthaginem cognoſcere. 196.
exſecrationibus publicis ſanctum. 149.
exſequi negotia. 36. vitæ munus. 205.

regis officia. 204.
exſolvere id, quod promiſit. 125.
exſpectare teſtamenta amicorum. 307.
exſuſcitat animos cura. 8.
extenuare munus verbis. 111.
exterminantur optimates. 117. exterminandus ex hominum communitate. 137.
extimus globus. 318.
extincto ſenatu. 123. extingui familiaritates. 253.
extirpata humanitas ex alicujus animo. 259.
extorqueri alicui errorem. 232.
extremum tempus ætatis. 202.
exules omnes impii. 299. exilium pœna ſcelerum. *ibid.* exilio affici. *ibid.*
exultantem juveniliter patientia mollire. 192. exultantes ferocitate equi. 42. appetitus. 46.

F.

Fabius Labeo Q. 17. Maximus Q. 38.
Fabricius. 21.
fabulam ætatis peragere. 222.
facere impetum in quempiam. 13. promiſſum. 16. injuriam. 30. jacturam rei. 38. nomina. 151. ſponſionem. 160. aliquem conſulem. 162. aliquem hæredem. 170. pacem cum. 179. ſibi audientiam. 201. factioſi. 30. factitata apud majores. 119.
facetum jocandi genus. 47.
facilitas exercenda. 40.
fallax ne ſit vir bonus. 30. fallere fidem. 20. jus. 172. fallaces herbæ. 269.
fama agitur. 265. non negligenda. 266.
familiaritates fidas habere. 89.
Fannius C. 235.
faſtidium fugiendum in rebus proſperis. 41.
faſtigium imponere operi. 137.
fatigare vinculis, & carcere. 158.
ferre alicujus mores. 32. res adverſas immoderate. 41. nomen alicujus. 159. rogationem. 179. faces in Capitolium. 254. obſcure paupertatem. 308. ferri ad voluptates omni impetu. 48. multitudinis judicio. 53.
fibræ ſtirpium. 215.
fides rerum contractarum. 9. quid ſit. 12. juſtitiæ fundamentum eſt. 12. unde appellata. 13. ut habeatur, quibus rebus effici poteſt. 89. in fide quid ſenſeris, cogitandum. 21. remp. vehementiſſime continet. 119. alma, apta pinnis. 176. in Capitolio vicina Jovis Opt. Max. fuit. *ibid.* ſæpe cum hoſte ſervanda. 177. infideli data *ibid.* cum pirata nulla. 178. ex fide bona agitur. 152. fiducia. 152. fidum ingenium. 268.
fidibus diſcere. 200.
figura noſtra. 57.
filicatæ paterræ. 290.
filius patrem fana expilantem *&c.* debeatne arguere? 168. filii puberes cum parentibus non lavantur. 58.
Fimbria conſularis. 160.
fingimus ſapientem. 147. finxerat ſibi principatum opinionis errore Cæſar. 14. fingere favos. 71. rerum modum. 296. ficta omnia, tanquam floſculi, decidunt. 95.
finis bonorum, & malorum debet eſſe ſimplex. 185.
firma corporis conſtitutio. 183.
flagrantes ſtudiis. 214.
Flamininus T. L. Fr. 209.
Flaminius C. 193.
flatus proſper fortunæ. 83.
flexibile. 279.
floſculi. 95.
fœneratorum quæſtus improbantur. 68. fœnerari. 121. beneficium. 251.
fons officii. 11. juris. 158. fraudium *&c.* 159. fontes Stoicorum. 5.
forenſe dicendi genus. 3. forenſes literæ. 75.
fori. per foros curſare. 196.
forma, omnis à forma removeatur viro non dignus ornatus. 59. formæ dignitas coloris bonitate tuenda. *ibid.* in formis aliis dignitas ineſt, in aliis venuſtas. 49. forma honeſti. 9.
formula quædam conſtituenda eſt. 130. formulæ de dolo malo. 151.
fors quid ferat. 20.
fortis animus duabus rebus cernitur. 31. in homine non perfecto ferventior plerumque eſt. 23. fortis animi eſt, non perturbari in rebus aſperis. 36. forti vis adhiberi nequit. 179. fortes quinam habendi. 30.
fortitudo utilitate communi impellitur. 29. nulla eſt ſine juſtitia. 30. eam in feris eſſe ſæpe dicimus. 25. quomodo à Stoïcis definiatur. 29. quomodo ab Epicureis. 184.
fortuito agere. 47.
fortuna cæca cæcos efficit, quos complexa eſt. 262. ejus temeritas. 293. vis magna. 82. caſus rariores. 83.
fortunatus inſipiens. 263.
frangi metu, cupiditate. 31. infamia. 33. frangere alicujus opes. 146. fractus eſt

eſt Hannibalis animus. 182. fregiſti fidem. 175. fregit Viriatum Lælius. 93. fractior ſpes. 264. fragile corpus. 222.
fraudandi ſpe ſublata, ſolvendi neceſſitas conſecuta eſt. 119. fraus adſtringit perjurium. 182. vulpeculæ videtur. 21.
fronte occultare ſententiam. 268.
fructus divitiarum. 310. ſenectutis. 225. fructuoſa, & frugifera philoſophia. 124.
frui. 213.
frumentarius Rhodius. 150.
fucata. 279.
Fufius L. 98.
fundamenta juſtitiæ. 16. naturæ. 174.
funditus tollere. 18. delere. 27.
fundum habere. 311.
furari aliquid cupiam. 93.

G.

Gabinia lex. 257.
Gades. 224.
Gallicus ager. 193.
Gallus C. 213.
gaza Macedonum. 115.
gemma vitium. 216.
generi cum ſoceris non lavantur. 58.
geniculatus culmus. 215.
geometræ non omnia docent, ſed poſtulant &c. 137.
gerere animum muliebrem. 29. remp. 34. nos debemus tanto ſummiſſius, quanto ſuperiores ſumus. 41. ſe adverſus homines. 45. perſonam civitatis. 56. immanitatem belluæ hominis figura. 163. magnas res, & ſalutares. 81.
germana juſtitia. 156.
geſtire nimia voluptate. 47.
geſtus qualis eſſe debeat. 59.
gigantum modo bellare cum Diis. 189.
gigni odia ſempiterna. 253.
gladiatoria munera. 102.
globis connexa. 318.
gloria rerum geſtarum merces. 30. ſumma, & perfecta conſtat ex tribus. 89. radices agit &c. 95. non acquiritur ſimulatione, ſed officiis juſtitiæ. *ibid.* ejus cupiditas eripit libertatem. 32. ejus hæreditas ad filios pertinet. 36. via ad eam compendiaria. 95. de gloria duo Ciceronis libri. 89.
glorioſum militem imitari. 62.
Gnathonis perſona. 279.
Gorgias Leontinus. 194.
Gracchus T. P. fil. 95. ejus filii. *ibid.* Gracchus Ti. 38. Gracchus C. 112.
Græca cum Latinis conjungere utile. 1. Græca verba inculcantes jure irridentur. 51. Græcarum literarum perſtudioſus. 188. Græciam magnam erudire. 242.
grandis pecunia. 117. natu. 191.
Gratidianus. 155.
gratificari cuipiam. 22.
gratioſus apud omnes. 150.
gravari. 243.
gravate ille primo. 151.
gravis ſocietas. 27. grave periculum. 35. graves morbi. 37. res. 47. graviora ſtudia. *ibid.* graviſſime dicere. 3. graviter cadere. 34. vivere. 43. gravitas verborum. 62.
greſſus. cavendum, ne tarditatibus utamur in greſſu mollioribus. 59.
Gygis annulus. 141.
gyrus rationis. 42.
Gytheum. 146.

H.

habenæ amicitiæ. 258.
habere aliquem carum. 8. incognita pro cognitis. 10. benevolentiam erga aliquem. 23. delectum civis, & peregrini. 68. rationem rei alicujus. 57. opes magnas. 33. delectationem. 61. fidem alicui. 83. cauſam celebritatis. 96. religioni aliquid. 99. remp. quæſtui. 115. omnes numeros. 127. gratiam. 110. exploratum. 160. habentur ſermones de. 61.
hæreditas optima quænam. 55. cupiditatum. 88.
hærere aqua. 184.
hæreſis. 286.
Hamilcar Hannibalis pater. 173.
Hannibal. 49.
haſta cruenta. 88. haſtam in foro ponere. 118.
haurire è fontibus Stoicorum. 5.
Hecato Rhodius. 153. Hecatonis liber de officiis. 167.
hemicyclia. 235.
herbæ non fallaces. 269.
Hercules Prodicius. 53. Hercules pro hominibus labores ſuſcepit. 133. in concilium cœleſtium collocatus. *ibid.*
Herillus. 4.
Hernici. 18.
Heſiodi præceptum. 23.
hilaritas multa in aliquo. 49.
Hippolytus. 16.
hiſtrio cur exibilatur. 296. hiſtriones ineaer-

inexercitati. 222. fabulas ſibi accommodatas eligunt. 51. hiſtrionum geſtus inepti. 59.
Homerus. 171.
Homo. inter hominem, & beluam quid interſit. 7. hominis mens diſcendo alitur. 48. hominem homini detrahere maxime contra naturam eſt. 131. homo homini plurimum prodeſt, & obeſt. 79. non ſibi ſolum naſcitur &c. 12. non fit ad ludum, & jocum. 47. homo homini aliquid tribuit propter aliquam è ſex cauſis. 83. hominum adjumenta omnis inſtitutio vitæ deſiderat. 93. homo naturæ obediens homini non nocet. 133. hominis vita artibus exculta diſtat à victu ferarum. 80. homines natura congregati ſunt, ſicut apes. 71. ſubjiciunt ſe imperio alterius de multis cauſis. 84. inter homines natura conjuncta ſocietas eſt. 148. homo homini conſultum ut velit, natura præſcribit. 134. homines quidam ſunt, non re, ſed nomine. 48. homo honoratus. 62. novus. 63.
honeſtas aut ſola expetenda, ut Zenoni viſum eſt; aut omni pondere gravior, quam reliqua omnia, ut Ariſtoteli. 139. manat ex quatuor generibus. 28. ex quatuor partibus. 69. cum voluptate copulari nequit. 185. honeſtatis, & utilitatis eadem eſt regula. 159. honeſtate dirigenda utilitas eſt. 164.
honeſtum nos movet. 26. quod proprie dicitur, in ſapientibus eſt ſolis. 127. quomodo ſummum bonum ex Peripateticorum ſententia. 126. nihil eſſe poteſt, quod juſtitia vacat. 29. oritur ex aliqua quatuor partium. 9. totum eſt poſitum in animi cura, & cogitatione. 36. cum utili convertitur. 78. ſi oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret ſapientiæ. 9. ſpeciem utilitatis obſcurat. 146. honeſtorum contentio, & comparatio. 69. cum decoro convertitur. 43. cum utili non comparandum. 129. in factis ponitur. 30. animi viribus efficitur. 36. natura eſt laudabile. 9. per ſe nobis placet. 90. honeſta anteponuntur utilibus à Peripateticis, & Academicis. 131. ſecunda honeſta. 128. honeſta bonis viris, non occulta, quæruntur. 141. honeſta oratio. 110. honeſtanda domus domino. 63.
honorabilia. 221. honores opportuni. 247. horæ cedunt. 224.
Hortenſius Q. 158.
horti Pythii. 150.
hoſpitalitas à Theophraſto recte laudatur. 107. ex hoſpitio diſcedere. 232.
hoſtis olim dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. 19. cum hoſte ſervanda fides. 178.
humani caſus. 238.

I.

jacere: valere oppon. 144.
jacturam facere. 38.
Janus medius. 121.
Jaſon Pheræus. 49.
Idæa ſacra. 211.
idonea perſona alicujus. 236.
igni ſpectatus. 93.
ignoratio ſtirpis. 270.
imbecillitas rerum humanarum. 42. valetudinis. 33. conſilii. 53.
imbuti præceptis. *ibid.*
imitari agros fertiles. 24. militem glorioſum. 62. facta principum. 64. imitatio factorum parentum ad liberos pertinet. 36.
immanitas beluæ in figura hominis. 137.
immemor beneficii. 106.
immoderate ferre res adverſas. 41.
immunis virtus. 261.
impediri occupationibus. 15. diſcendi ſtudio. *ibid.*
impelli cupiditate. 29. ad res injuſtas. 30. ad aliorum ſtudia. 53. in fraudem obſequio. 277.
impenſæ in remp. optimæ. 105.
imperiti laudant non laudanda. 128.
imperium debet eſſe fultum gloria &c. 166. imperia non expetenda. 32. imperator Deus. 226. imperare libero. 300. cupiditatibus. 301.
impertiendum indigentibus, & quomodo. 101. impertire reip. 42. aliquam præſtantiam ſuis. 270.
implicari certo genere vitæ. 53. contrahendis negotiis. 93. implicita inter ſe. 9. implicati ultro, & citro. 275.
imponere faſtigium operi. 137. leges alicui. 303. impoſuit nobis perſonam natura. 45.
importari. ſi quid importetur nobis incommodi. 82.
importunitas moleſta. 190.
improbi omnes ſervi. 302. improbiſſimis

mis dominis parere. 301.
improviſo opprimere. 117.
impunitate propoſita, vix quiſquam abſtineret injuria. 158.
in luce, atque in oculis civium magnus. 193. in manibus eſt laudatio. *ibid.* in ore omnibus erat ſermo. 235.
inanimum quid. 325.
incenſus cupiditate. 151.
inceſſus teneat decorum. 58.
incidere in cupiditatem honorum. 14. in genus juſtitiæ. 15. in luctus. 16. in moroſitatem. 40. in homines *&c.* 75. in perturbationes. 59. in clades. 89. incidunt tempora, cum &c. 16. multæ cauſæ. 142. incidunt feræ. 156.
inciſum carmen in ſepulcro. 220.
incitatus ira. 13. repentino impetu animi. 24.
inclinare ad pacem. 195.
incluſi in compagibus corporis. 128.
incredibile. 287.
inculcare Græca verba. 51.
incurrere in injuſtitiam. 15. in odia hominum. 68. in fraudem. 149. in dominum vitioſam. 156.
indagatio veri. 9.
indicare fundum. 153.
indicere bellum. 19. voluptati. 212.
indigentia. 261.
indignum. ſi hoc uno Sol quidquam vidiſſet indignius. 88.
indoles virtutis. 128.
inducere aliquem in ſpem. 100. aliquem in errorem. 149. aliquem diſputantem. 236. ſeditionem in civitatem. 39.
inducias cum hoſte pactæ. 17.
inducere annulum. 141. perſonam alicujus. 143.
induti duabus perſonis. 48.
ineuns ætas. 55. ineunte adoleſcentia. 53.
inferiores. 270.
inferre injuriam. 13. bellum. 36. periculum capitis multis. 98. ſermonem delicatum in re ſevera. 65. intulit ſtuprum reginæ. 141.
infidum. 267.
infirmus. 272. infirmitas valetudinis. 55.
inflammatus aviditate. 93. cupiditate vincendi. 30.
inflatus opinionibus. 42.
influere in hominum animos. 89. in aures concionis blanditiis. 280.
ingenerat amorem natura. 7.
ingeniis ſplendidiſſimis plerumque exiſtit ambitio. 14. ingenium ſuum quiſque noſcat. 51.
ingenuus jocus. 47.
ingraveſcens ætas. 190.
ingredi viam vivendi. 53. longam. 190. vitam honeſtam. 124.
inimicis non eſt graviter iraſcendum. 40.
inire prælium. 19. gratiam. 23.
injuria fit duobus modis. 21. injurioſi in proximos. 22.
injuſſu populi, & ſenatus. 179.
injuſtitia quæ capitaliſſima. 21.
innaſci in elatione animi. 30.
innocentem judicio capitis arceſſere. 99.
inopes amicorum. 262.
inopinatum. 302.
Inquam, & Inquit. 236.
inquinatum vitiis factum. 151. inquinatiſſima ratio. 84.
inſervire alicui. 24. mulieribus. 51. honoribus. 76.
inſidioſe. 156.
inſinuare ſe. 282.
inſipiens fortunatus. 263.
inſitiones. 217.
inſitum militibus. 182.
inſtar mortis putant. 110. vix minimi momenti inſtar habet. 126.
inſtillare oleum lumini. 205.
inſtitutio vitæ. 5. de aliqua re. *ibid.*
inſtructus ad injuriam faciendam. 92. inſtructi horti. 151. inſtruere ſe ita, ut *&c.* 85. adoleſcentulos ad omne officii munus. 201.
intemperantia libidinum. 56.
intemperata benevolentia. 272.
intentum animum habere. 206.
intercaſſiones pecuniarum. 308.
interdici ſolet bonis patribus male rem gerentibus. 198.
intereſt permultum, utrum *&c.* 14. inter hominem, & belluam. 7. intereſſe in rebus. 56.
integra res. 127.
interjectus inter Philoſophos. 42.
interior ſocietas. 156.
internoſci poteſt blandus amicus à vero. 279.
interrogatiunculis minutis aliquid efficere. 287.
intermiſſio officii. 238.
invaletudo. 238.
invaſit in remp. hoc malum. 114.
invehere pecuniam in ærarium. 115. invectio rerum. 79. invectus curru Capitolium. 315.
invenit cognomen. 181.
inveſtigatio veri. 11.
inveteravit jam, ut *&c.* 103. inveterata invidia.

invidia. 104.
invictus à labore. 32.
invidiæ metu nonnulli, quod ſentiunt, non audent dicere. 38.
inviſior. 90.
invita Minerva nihil decet. 50.
jocandi genus duplex. 47. joco quomodo uti liceat. *ibid.*
Jovis fulgor. 319.
Iphigeniam immolavit Agamemnon. 171.
ira in puniendo prohibenda. 41. cum ea nil recte fieri poteſt. 62.
iracundiam laudant Peripatetici. 41. eam repudiandam cenſet Cicero. *ibid.*
iratus Jupiter non metuendus. 175. iratorum ora qualia. 47.
irrepere nomen ſuum in teſtamenta. 160.
irriſio audientium. 62.
Iſocrates. 3.
Italia ornata. 115.
Italici philoſophi. 228.
Ithaca. 172.
judex ponit perſonam amici, cum induit judicis. 143. judicis rogandi mos. 144 judicis eſt, in cauſis verum ſequi. 99. judicare. 275.
judicia ex accuſatione, & defenſione conſtant. 98.
jugatio capitum. 216.
jugum. ſub jugum miſſæ legiones. 171.
Jugurtha. 162.
jurare lingua. 178. quod ita juratum eſt, ut &c. id obſervandum. 177.
jus bellicum. 177. fœciale. 179. Prætorium. 17. civile, & gentium, quomodo differant. 156. æquabile. 94. juris interpretatio callida. 17. æquabilitas. 40. cognitio in honore fuit. 108. jura belli in rep. maxime conſervanda. 18. jus humanæ ſocietatis. 12. augurum, pontificum. 207. juriſperiti. 109.
jusjurandum eſt affirmatio religioſa. 176. arctiſſime adſtringit fidem. 180. ejus magna religio apud veteres Rom. 181. in jurejurando, non qui metus, ſed quæ vis ſit, debet intelligi. 176. cum hoſte ſervandum. 177. cum infideli. *ibid.* non cum pirata. 178.
juſtitia voluntaria eſſe debet. 15. adverſus infimos ſervanda. 21. maxime nos ad ſe allicit. 26. quomodo differat à verecundia. 45. ex ea viri boni nominantur. 11. in ea virtutis ſplendor eſt maximus. *ibid.* nullum tempus ea vacare debet. 30. omni ratione colenda eſt. 94. tria conficit. 93. ejus fundamentum. 12. munera. 11. mirifica quædam multitudini videtur. 92. ad fidem faciendam plus pollet, quam prudentia. 90. fundamentum eſt perpetuæ commendationis. 112. honeſtum nihil eſt, quod ea vacat. 29. ejus officia præponenda ſtudiis ſcientiæ. 70. omnium eſt domina, & regina virtutum. 135.
juſtus nemo eſſe poteſt, qui mortem, &c. timet. 92. nihil cuiquam detrahet. 160. juſtum omne decorum eſt. 43. juſta præbenda ſervis. 21. ſæpe commutantur, fiuntque contraria. 16.

K.

Καθῆκον quid. 6.
Κατόρθωμα quid. 6.

L.

labefactare fundamenta reip. 115.
labes conſcientiæ. 165. libidinis. 296.
labi turpe ducimus. 10. lapſa eſt libido in muliere ignota. 294.
Labicanum. 311.
Lacedæmone honeſtiſſimum domicilium ſenectutis. 221.
Lacedæmonii. 30.
lacerare patriam ſcelere. 27.
laceſſitus injuria. 11.
Laciades. 107.
Lælius C. 41. Tullii liber ſic dictus. 89.
Lænas. 254.
Laërtes. 216.
Lanarius P. Calpurnius. 155.
languens vox. 60.
largiri inconſulte. 101. largitio fontem benignitatis exhaurit. 100. eam corruptelam dixit Philippus. *ibid.* fundum non habet. 101. eam ſequuntur rapinæ. *ibid.* ejus cauſæ. 104. genere vitioſa, temporibus neceſſaria eſt. 105. eſt adſentatorum populi. 107.
largorum duo genera. 101.
latebra perjurio. 177.
latronum leges eſſe dicuntur. 93. latrocinari. 58. latrocinium in foro conſtitutum. 298.
laudabile. 294. laudatio. 193.
laxati vinculis libidinum. 190. laxiſſimas habenas habere. 258.
legere intelligenter voluptates. 183.
legiones. 227.
lenis ſermo. 61. lenior vita. 51. leniores virtutes. 23.
Lentulus P. 103.

Lepidus M. 220.
lepos quando adhibendus. 61.
levari ſenectutis onere. 187.
Leuctræ. 29. Leuctrica calamitas. 86.
lex de pecuniis repetundis à quo lata. 114. lex Lætoria. 152. naturæ. 134. leges ad puniendum æquitate ducuntur. 41. quomodo tollant aſtutias. 156. quid velint. 132. quare conſtitutæ. 94. leges XII. tab. ſacratæ. 180.
liber nemo, niſi ſapiens. 301.
liberalitas multas habet cautiones. 21. ejus duo genera ſunt. 24. duplex ratio eſt. 99. hominum naturæ accommodatiſſima eſt. 21. nos ad ſe allicit. 26.
liberare ſe invidia. 104.
liberis dare operam. 58.
libertatis proprium. 33. pro ea magnanimis viris omnis debet eſſe contentio. 32.
libidine commotorum ora qualia. 47. libidines conſectatrices voluptatis. libido procreandi. 26.
liceri contra ſe. 152. licitatorem apponere. *ibid.*
Licinius Craſſus C. 280.
limatur veritas in diſputatione. 91.
lingua maxime conjunguntur homines. 26.
literæ neque expreſſæ, neque oppreſſæ. 60. forenſes, & ſenatoriæ. 75.
lites vitandæ. 107.
Livius poëta. 213.
loci vis. 65. locos graves tractare. 286.
locuples teſtis. 126. auctor. 173. locupletes i. e. divites obligari beneficio nolunt. 110.
longinquus digreſſus. 232.
loquentes ad voluntatem. 279.
lubricus locus. 30.
lucubratum opuſculum. 288.
luculenter. 151.
Lucullus L. 64.
ludendi licentiam dare. 47. ejus modus retinendus. *ibid.* ludo, & joco quomodo uti liceat. *ibid.*
ludibria fortunæ. 289.
ludorum apparatus. 102. ludus talarius. 69.
lumen civitatis. 205.
Luna radiis ſolis accenſa. 319. lunaris curſus. 320.
Luſcinus C. 255. Luſcini. 311.
luſtrare omnia ratione, animoque. 27.
Lutatius Pinthia M. 160.
luxuria omni ætati turpis, ſenectuti fœdiſſima. 56.
Lycomedes. 272.
Lycurgi leges. 35.
Lyſander. 35. Lyſandrum Ephorum expulerunt Lacedæmonii. 116.
Lyſis Pythagoreus. 71.

M.

Macedones. 86.
Mælius Q. 179.
magiſteria inſtituta. 212.
magiſtri bonarum artium. 201.
magiſtratus legum ſimiles ſint. 41. iis magnificentia &c. adhibenda. 34. eorum officium. 56. magiſtratus adipiſcendi iis, qui &c. 34.
Magna Mater. 211. magnas agere gratias. 282.
magnanimi qui habendi. 30. magnanimi eſt, punire ſontes &c. 37. magnus animus duabus rebus cernitur. 31. ejus opera. 36. cupidus principatus, & pertinax ſæpe eſt. 30.
magnifici apparatus. 14. magnificentia adhibenda eſt capeſſentibus remp. 34.
magnitudo animi in quibus eluceat. 10.
majeſtas in oratione. 280.
majores natu verendi ſunt. 55. majorum vitæ genus plerique imitantur. 52. majores quomodo imitandi. 55.
male pugnatum. 179. male materiatæ ædes. 148.
malitia. 157. ex malis minima eligere. 123.
malitioſa interpretatio juris. 17. malitioſæ blanditiæ officiorum. 159.
Mamercus. 163.
manare. latiſſime manat induſtria. 109.
Mancia Q. Mutius. 50.
Mancinus. C. 179.
mancipium. 155. mancipia dominorum facta nexu. 302. eorum venditio. 158.
mandare aliquid ſcriptis. 75. literis. 76. memoriæ. 236.
Manilius M. 311.
Manlius L. A. F. 180. Tit. Torquatus. 181.
manſuetudo quatenus probanda. 40. manſuetudo morum. 90.
manu cum hoſte confligere. 37. decertare. *ibid.* manuum motus teneant decorum. 56.
Marathon. 29.
Marcellus M. *ibid.*
mare Atlanticum. 322.

Marius Gratidianus. 155.
Marius C. 35.
marmorea ſola facere. 310.
Marte noſtro. 138.
Martius fulgor. 319.
Maſiniſſa. 213.
Maſſilia. 88.
matellio Corinthius. 304.
materiatæ ædes. 148.
mature fieri ſenem. 203.
maximam partem. 13.
Medi. 94.
medici leviter ægrotantes leniter curant. 37.
medicina. 69.
mediocritas, quæ eſt inter nimium, & parum, recte placet Peripateticis. 41. in pleriſque rebus optima eſt. 59.
meditata. 14.
medium officium. 6.
melius emere, vendere. 152. melius æquius. *ibid.*
membra, quæ reliquis nocent, amputantur. 137.
meminiſſe dicta. 314. memoria alicujus. *ibid.*
Menalippa. 52.
mendacium ex rebus contrahendis tollendum. 152.
mens ſemper aliquid anquirit, aut agit. 48. mentis agitatio. 124. mente nihil divinius dedit Deus. 144. mente captus. 43.
mercatura quando ſordida. 69. mercatura bonarum artium Athenæ. 124.
mercenarii. 68. merces auctoramentum ſervitutis. *ibid.*
Mercurii curſus. 319.
meſſis Syllani temporis. 309.
Metellus Q. 40.
metiri ſummum bonum ſuis commodis. 4. ſtudia naturæ regula. 50. omnia emolumentis, & commodis. 129. res expetendas vel voluptate, vel indolentia. 127.
Metrodori ſententia. 183.
metu commotorum ora qualia. 47. metus malus diuturnitatis cuſtos. 85. abſit. *ibid.* ei nulla vis imperii poteſt diu obſiſtere. 86. promiſſa non ſervanda, quæ quis facit coactus metu. 17.
micare. dignus, quicum in tenebris micet. 161. micando victus. 168.
migrare ea, quæ &c. 16.
militem glorioſum imitari. 62. ſacramento obligare. 19.
Milo. 104. Milonis Crotoniatæ vox. 200.
Minerva Phidiæ. 288. pingui agere. 244.
minima de malis. 175.
miniſter. 100.
miniſtræ voluptatum artes. 68. miniſtrare victum alicui. 80.
Minos juſtus. 44.
minuere conſuetudinem. 87. minuenda eſt hæc opinio. 34.
minutæ interrogatiunculæ. 287. minuti philoſophi. 232.
miſſus factus. 19.
miſta modeſtiæ gravitas. 98.
moderatio dictorum, & factorum. 45. animi. 187. ex quo eluceat. 46.
modeſtia definitur. 65. prima commendatio ab ea proficiſcitur. 97.
modii ſalis. 269.
modus optimus eſt, decus tenere. 64. modus rerum. 43.
moles oppoſita fluctibus. 80.
moleſtum. 212.
molientes judicii corruptelam. 308.
mollire aliquem exultantem. 192.
mollis natura. 272. mollem efficere ſenectutem. 187. molliter ferendum eſt ſapienti. 189. molli nomine appellare. 19. molliores in dolore. 33. molliter vivere. 48.
monere, & moneri amicitiæ proprium. 278. monitio. 277.
monſtrare viam erranti. 25. non monſtrare, Athenis execrationibus publicis ſanctum eſt. 149.
monumenta literarum. 71. ingenii. 123. monumenta, præceptaque. 185.
morbus animi. 24.
moroſitas inutilis, & odioſa. 40.
mors ſervituti, turpitudinique anteponenda. 37. contemnenda, negligenda, optanda. 223. omni ætati communis. 224. impendens. 223. mortem timens. 227. mortis appropinquatio. 223. moriendi ſenſus. 226. moriendum eſt. 227. mortuis religioſe jura tribuere. 241.
morſus acriores. 85.
mos regendi judicii. 144. patrius. 298. moribus eſſe commodis. 263. mores diſpares. 271. facillimi. 240. morum diſtantia. 272. vitia. 222. mores hominum, non fortunam ſequi. 110. mores ſpectandi. 23. morum ſimilitudo. 28. diſſimilitudines. 50.
motus animi. 46. corporis. *ibid.* palæſtrici. 59. motus animorum duplices. *ibid.*
movere oculos. 45. approbationem *ibid.* poſſeſſiones. 117. veros hæredes. 160.

moveri ſenſu. 7. pecunia. 93. deſiderio alicujus. 239. movetur benevolentia benefica voluntate. 90.
Mucii P. domus. 97.
Mutius Q. 103. Mutius Q. Mancia. 50.
mulierculæ. 259.
mullos barbatulos exceptans. 304.
multiplex ingenium. 268.
multiplicata domus. 63.
multitudinis imperitæ error. 30. multitudinis amor quibus rebus maxime commovetur. 90.
Mummius L. 115.
munditiæ qualis adhibenda. 59.
munificus in dando. 107.
munus proprium magiſtratus. 56. munuſculum alieni facinoris. 158.
murænarum copia gloriari. 304.
muſicorum aures vel minima ſentiunt. 66.
mutare dominum. 305. mutatio officiorum. 12. morum facienda. 54.

N.

Nævius. 213.
Naſica P. Ti. Gracchum interemit. 35. Naſica P. Scipio. 50.
natis ſepulcro ipſe eſt parens. 44.
natura hominem conciliat homini. 7. ingenerat amorem in natos. *ibid.* naturæ quid aptiſſimum. 8. perſonam nobis impoſuit. 45. dedit nobis conſtantiæ, moderationis, &c. partes. *ibid.* docet decore nos gerere adverſus homines. *ibid.* naturam ſequi ducem. 46. naturæ excellentia, & dignitas. 48. duas perſonas nobis induit. *ibid.* naturæ regula ſtudia noſtra metiamur. 50. naturæ repugnare non attinet. *ibid.* naturam aliorum ſequi, ſuam omittere. *ibid.* naturarum differentia. 51. naturæ ratio maxime habenda in deligendo genere vitæ. 54. natura firmior eſt, quam fortuna. *ibid.* à natura deducuntur homines. 67. congregati ſunt. 71. natura non patitur, ut aliorum ſpoliis opes augeamus. 132. præſcribit, ut homo homini conſulum velit. 134. violare alterum prohibet. *ibid.* recta deſiderat. 139 natura univerſa. 50. naturæ fabrica. 57. ratio. 132. neceſſitas. 188.
navis ſumpta non domini eſt. 168.
Neapolitani. 17.
Nearchus Tarentinus. 209.
neceſſitati parere. 57.
neceſſitudinum gradus. 28.
neſas dictu. 194.
negare. 279.
negligentia omnis actio vacare debet. 46. negligentia agreſtis. 59. negligenter agere. 47.
negotium. in omni negotio diligens præparatio adhibenda eſt. 34. negotium exhibere alicui. 181.
Neoptolemus. 272.
Neptunus. 16.
nequiſſimus ſervus. 303.
nervoſius diſſerere: remiſſius oppon. 177.
Neſtor. 202.
nexu facta dominorum mancipia. 302.
Nicocles tyrannus. 117.
niti alterius conſilio. 55. in quo nitatur civitatis ſalus. 316.
nocentem, modo ne nefarium, defendere licet. 99. nocere alteri. 132.
nodum amabiliſſimum amicitiæ tollere. 261.
Nolani. 17.
nomina facere. 151.
Norbanus C. 98.
norma. ad normam iſtorum eſſe ſapientes. 244.
nota turpis temporum. 159.
notiones cenſorum. 180. notio complicata animi. 160.
notitia antiquitatis. 193.
novus homo. 63.
nugator. 201.
Numa Pompilius. 290.
Numantia. 18.
numeros omnes habet. 127. numero judicari. 116.
Numicius Ti. 179.
nummi adulterini. 168. nummaria res. 162.
nuncupata lingua. 154.
nutrices. 271.
nutum alicujus obſervare. 304.
Nympharum ædes. 300.

O.

obedire conſilio, rationique. 36.
objecta ſpecies utilitatis eſt. 138.
obire Ægyptum. 315. diem, munus. 238. obiri cœtus hominum ab aliquo. 7.
objurgatio qualis eſſe debeat. 62.
oblectare ſe. 150.
obligare aliquem ſacramento. 19. beneficiis. 27.
obmuteſcere in ſtudiis. 198.

obrepit adoleſcentiæ ſenectus. 189.
obrigere pruina. 322.
obruere aliquem lapidibus. 146. theſaurum. 197.
obſcœnitas verborum. 47.
obſcurare ſpeciem utilitatis. 146.
obſequium amicos parit. 277.
obſervare homines bene meritos debemus. 67. numen alicujus. 304.
obſideri ab hoſte. 102.
obſiſtere injuriæ. 13. odiis. 84. vitiis. 92.
obſoletis bis. 183.
obſtringere homines beneficiis. 108. ſe parricidio patriæ. 164.
obſurdeſcere ſonitu. 320.
obtinere numerum jure cæſorum. 95. teſtamentum. 158. regnum. 165.
obtingere. quod cuique obtigit. 12.
obtuſior acies. 231.
obvenire. ſin obvenerit ejus neceſſitas. 113.
occæcatum ſemen. 214. occatio. 215.
occultandi ſpes ex omni deliberatione removenda. 140.
occupare tyrannidem. 168. occupatio. 12. occupatum aliquem interimere. 217.
occurritur nobis. 77.
Oce anus. 322.
Octavius Cn. 62.
Octavius M. 112.
oculi abſtinentes. 65. eruditi. 304. conjiciuntur in eum. 96. oculorum obtutus. 66.
odiis multorum nullæ opes obſiſtere poſſunt. 84. odia hominum multum valent ad peſtem. 85. oderint, dum metuant. 44.
odiſſe aperte. 268.
Oeconomicus Xenophontis. 219.
Oedipus Coloneus. 198.
offenſionis aliquid habet. 176.
offerre ſe periculis. 37.
officere auſpiciis. 154.
officina nihil ingenuum habere poteſt. 68.
officium duplex. 5. medium, rectum, perfectum. *ibid.* in omni vitæ parte neceſſarium eſt. 3. commutatur, commutatis juſtitiæ fundamentis. 16. officii deſcriptio quæ. 46. forma. 47. officium magiſtratus, peregrini, incolæ. 56, 57. officia quæ naturæ aptiora. 69. ſervanda adverſus eos, à quibus injuriam acceperis. 18. juſtitiæ præponenda officiis ſcientiæ. 70. quibus officii plurimum tribuendum. 27. in officio colendo ſita eſt vitæ honeſtas, in negligendo turpitudo. 3. officiorum malitioſæ blanditiæ. 159.
Olympia vincere. 195.
ominari. 113.
omittere pietatem, & humanitatem. 142. utilitates noſtras. 143.
onus Ætna gravius ſuſtinere. 188.
opera benigne fit. 99. prodeſſe multis licet. 109.
opertum Bonæ Deæ. 309.
opes cum infamia non ſunt utiles. 166.
opportunæ. 246.
opifices omnes in ſordida arte verſantur. 68.
opinionis error. 14.
opipare apparatum convivium. 150.
opitulari alicui. 24.
oppetere mortem. 27.
opponere cauſam muri. 142.
opportunitas temporum. 64. eſt locus actionis. 65.
oppreſſæ literæ. 60. oppreſſio legum, & libertatis. 164. opprimere aliquem improviſo. 117.
oraculum Apollinis Pythii. 115.
Orata C. Sergius. 155.
orationis facultas. 2. contentio. 97. vis magna, eaque duplex. *ibid.* duplex ratio. *ibid.* oratio vinculum ſocietatis eſt. 24. orationis indicem vocem habemus. 60. oratoris proprium. 2.
orbatus filio. 16. reip. muneribus. 77.
orbibus connexa. 318.
ordo rerum. 64. ordinis definitio. *ibid.* ordo actionum qualis adhibendus. 65.
Oreſtes. 104.
Originum liber. 207.
ὄγκος. 82.
ornatus virtutibus. 23. ingenii magnitudine. 54. ornate dicere. 2.
ornatus viro indignus removeatur. 59.
ortus noſtri partem patria vendicat. 12. ortum amicitiæ humilem relinquere. 251.
oſtendere Carthaginem. 355. patriæ lumen animi. *ibid.*
oſtentatio inſolens. 306.
otium languorem affert. 123. otioſorum vita. 33. nunquam minus otioſus, quam cum otioſus. 123.

P.

paci quali ſemper eſt conſulendum. 18.
pace Quirini dixerim. 143.
pactæ cum hoſte induciæ. 17. pactum prædonibus pro capite pretium. 178.
pacta ſemperne ſervanda? 169.

Pacuvius. 248.
Palamedes. 172.
pala annuli. 141.
palæstrici motus. 99.
Panætius. 6.
Panathenaicus, liber Isocratis. 194.
Papirius C. 280.
Papius. 145.
par ratio acceptorum, & datorum. 264. pares cum paribus congregantur. 190.
Παράδοξα. 287.
parare classem. 38. paratus ad periculum. 29. paratius dimicare. 38.
parcere libertati. 20.
parenti nonnunquam adimi vita sine scelere potest. 296. parricidæ. *ibid.* parentibus plurimum officii tribuendum. 27.
parere rationi. 46. necessitati. 57. parentiores exercitus. 35.
parere sibi laudem. 97. otium civitati. 123.
parietes extrema scelera metuentes. 88.
parsimonia augeatur res familiaris. 43.
parti civium consulere. 39. partes à natura occultatæ ab oculis removendæ sunt. 57. suis nominibus non appellantur. 58.
particeps rationis. 7.
pascere bene maxime expedit in re familiari. 121. pasci maleficio, & scelere. 93.
pateat res familiaris liberalitati &c. 43. patere domos hospitibus decorum est. 107.
patefacere aures assentatoribus. 42.
pati injuriam. 273.
patrem fana expilantem &c. debeatne arguere filius? 168. vita privare? 296.
patria vendicat ortus nostri partem. 12. omnes caritates complexa est. 27. præstat omnibus officiis. 168. patriæ primo tribuendum officium. 27. parricidium. 164.
patrocinium orbis terræ. 87. patrociniis plurimorum defenditur voluptas. 291.
patroni victarum civitatum. 18. patrono licet verisimile defendere. 99.
Paulus Macedonum gaza potitus est. 115.
paupertatem ferre. 195.
Pausanias. 35.
peccare nunquam est utile, quia semper est turpe. 154. quoque te verteris, unum est. 294. perturbatione peccatur rationis. 297.
peculii cupiditas. 304.
pecuniæ cupiditas infinita. 14. fugienda est. 32. pecuniæ quærendæ, & collocandæ ratio est. 97. pecuniam qui habet, non reddidit. 310. pecuniæ fructus. 107. modus. 311. de pecuniis repetundis lex. 114. pecunia res tentatur. 84.
Pelias. 231.
pellere suspicionem. 113. possessores suis sedibus. 115.
pellicatus suspicio. 86.
pendere ex errore multitudinis. 30. ex fortuna. 292.
penitus amittere aliquid. 87.
Pennus. 145.
penuria magna alicujus rei. 166.
pepulit animum species utilitatis. 142.
percipere fructus 28. artis præcepta. *ibid.* perceptio frugum. 79.
percrebuisset. 150.
percussio digitorum. 160.
perduellis olim, qui nunc hostis, vocabatur. 19.
peregisse ætatis fabulam. 222.
peregrinationes communes. 284.
peregrini officium. 57. peregrinos urbis usu prohibuerunt Papius, & Pennus. 145.
perfectum omni ex parte. 274.
perfuga à Pyrrho pollicitus est, se regem necaturum. 166.
perfugere ad otium. 32. perfugium 27.
Pericles. 49.
periculosa consilia. 37. periculosæ curationes. *ibid.*
perimere consilium alicujus. 137.
Peripatetici. 41. Peripatetica non multum dissident ab Academicis. 2. philosophia antiquissima, & nobilissima. 78.
perjurare quid sit. 178.
perlucet decorum ex eis virtutibus. 90.
permanere in proposito. 51.
permissu alicujus. 21.
permovere homines. 92.
permulcere senectutem. 189.
perrumpere legum pœnas. 140.
persequi reliquias avi. 196.
perseverare se esse &c. 248.
Persicum bellum. 237.
persolvere reip. pœnas. 255.
personis duabus à natura induti sumus. 48.
perspicientia veri. 9.
perspicuum est. 80.
perstare. in eo perstant. 141.
perstringere breviter locum. 259.
pertinet dolor ad pauciores. 294.
perturbare conditiones perjurio. 179.

perturbari in rebus asperis. 36. perturbatio animi brevis est plerumque. 14. in omni vita fugienda est. 61. quæ cum perturbatione fiunt, constanter fieri non possunt. *ibid.*
pervenire ad aliquid. 91. pervenit ad unum licentia. 88. ad aliquem nomen alterius. 159.
perverse imitari. 182. perversitas. 66.
pervertere officium. 4. jura divina, & humana. 14. fundamenta naturæ. 174.
pervidere aliquid. 159.
pestilentes ædes. 148.
pestis in amicitiis. 278.
petulantia. 58.
Phædon. 170.
Phalaris. 86.
Phidiæ Minerva. 238.
Philippus Alexandri pater. 41. Philippus L. 49. Philippi capitalis oratio. 112. Philippus Q. fil. 104.
philosophia est studium sapientiæ. 76. tota frugifera est. 124. philosophandi scientia. 2. philosophorum vita. 34. philosophi minuti. 232.
Philus. 242.
Phintias Pythagoreus. 144.
opinatio. 70.
Pisistratus tyrannus. 225.
Picens ager. 193.
pictores suum opus à vulgo considerari volunt. 67.
pietas Deos placatos efficiet. 79.
pingui Minerva agere. 244.
pirata communis hostis omnium. 178.
Piso L. 114.
placabilitas magno viro dignissima. 40.
Platex. 29.
Platonis dictum in philosophos. 15. duo præcepta. 38. dictum in ambitiosos. 39. dictum præclarum. 30. Platonici. 2.
Plaudite. 224. plausus multiplex. 221.
Plautus jocis refertus. 47.
plectimur jure. 88. multis in rebus negligentia. 275.
pleniore ore laudare. 29.
pocula rorantia. 212.
pœna ne sit major, quam culpa. 41.
Pœni fœdifragi. 20.
pœnitere injuriæ suæ. 18. senectutis suæ. 197. non pœnitebit te. 2.
poëtæ quando decorum servent. 44. opus suum à vulgo considerari volunt. 67.
Polybius. 182.
Polycleti signum. 303.
poma cruda, matura, cocta. 225.
Pompejus Sex. 10. Cn. 39. Q. 179.
Pomponius M. 281.
ponderandum est. 24. ponderare res judicio certo. 103.
ponere personam. 143. operam in. 110. tabulam. 156. rumores ante salutem. 38. hastam in foro. 118. bonum in voluptate. 183. positis armis. 18.
Pontius C. Samnis. 113.
Popillius imperator. 19.
popularis. 39. popularia verba. 91. munera. 102. popularis gratia. 162.
populus Romanus. 29.
Porsenna. 290.
portitorum quæstus. 88.
portus, & refugium. 87.
Posidonius. 125.
possidere res fructuosas, sempiternas. 312.
posteritatem prospicere. 231. posteritatis memoria. 230.
Postumius Sp. 179.
potentiam contemnere. 267.
potestates amicitiæ anteponere. 287.
potitus est urbe. 117.
præ se ferre speciem boni viri. 93.
præberi. ut omnia præberentur. 107. præbere se utilem. 42. se spectatores otiosos. 86.
præbitor. 100.
præcidere pollices alicui. 145. amicitias. 54.
præcipere futura cogitatione. 36. hostium consilia. 49. alicui. 201. præcepta usum, & exercitationem desiderant. 28.
præclare agitur. 23.
præconis voci subjicere aliquid. 118.
præcurrit amicitia judicium. 266.
prædari ex alicujus inscientia. 158.
prædicare de se ipso. 62. prædicat præco. 149.
præsidentes sibi. 42.
præfracte defendere. 166.
prælucet bonam spem amicitia. 247.
præmia sunt causa peccandi. 161.
præparare res necessarias. 7. præparatio diligens adhibenda in negotiis. 34.
præponderari honestate. 129.
præposteris uti consiliis. 273.
præripere collegis gratiam. 162.
præsagire. 242.
præsens in manum quod datur, jucundum est. 105. præsens animus. 36.
præsidia vitæ quibus maxime debeantur. 27
præstare omnibus. 30. justitiam, fidem,

&c. 55. fe invictum. 32. aliqua gloria. 52. non omne dictum præstandum eſt. 129. præſtari emptori damnum oportet. 155. præſtat edicto ædilium. 158. præſtantia virtutis. 270.
præſtringit mentis oculos voluptas. 209.
prævertere utilitatem. 175.
pravitates animi. 295.
precari ab indigno. 263.
premi ab aliquo. 94. calamitate. 105. *spinis.* 43.
preſſe loqui. 60.
Priene. 289.
prima luce. 181.
princeps philoſophorum. 2. principes ſunt patria, & parentes. 27. principis domus qualis eſſe debeat. 62. principum facta plerique imitantur. 64.
principium extinctum. 325.
privati officium. 56. privata nulla ſunt natura. 12.
probabilis ratio. 6. probatio athletarum. 65.
probitatis lumen. 250.
procedere ætate. 197.
proclivius ad perniciem labi. 257.
procreandi libido. 26.
procuratio reip. 39. negotii. 113.
prodere memoriam rei poſteris. 106. patriam. 168. ut prodidetunt poëtæ. 165. proditum à Tantalo regnum. 171.
prodeſſe ſibi. 153.
prodigi. 301.
prodire in ſcenam. 58. extra modum ſumptu, 63.
producere ſermonem in multam noctem. 314. convivium vario ſermone. 212.
proferre formulas. 151.
proficere in aliquo ſtudio. 3.
proficiſci ab oſtentatione. 22. à noſtra voluntate. 52.
profugere iſtinc. 212.
profundere vitam pro patria. 38. omnia. 47. pecunias in aliquid. 102. profuſum jocandi genus. 47.
progredi longe. 294.
progreſſio ad virtutem. 129.
prohibere aqua profluente. 25. aliquem injuria. 94. peregrinos uſu urbis. 145. prohibitus à forenſibus negotiis. 123.
proles futurorum hominum. 322.
promiſſa non ſemper facienda. 16. ſervanda. *ibid.* promittere aliquid alicui. *ibid.*
prompeus ad periculum. 38.
pronunciavit judex. 155.
propagatio. 26.
propenſior in aliquem. 105. ad voluptatem. 48.
propinquitatis nomen. 245.
propinquorum ſocietas. 26. propinquam potius, quam vicinum, defendi. 28.
proponere ſibi magna. 53. largiciones. 83. præmium alicui. 166.
propugnacula belli. 291.
propugnare pro. 29.
propulſare injuriam. 13.
propylæa. 105.
proſcribere villam. 149.
proſperis rebus immutari. 263.
proſpicere futura. 90.
provecti longius in amicitia. 253. provectus ætate. 192. ſtudio rerum ruſticarum. 217.
proverbium ſermone tritum. 17. vetuſtate tritum. 161. in proverbii conſuetudinem venire. 101.
provident, ne &c. 61. multo ante providendum. 113.
proviſa prudenter. 237.
provocati beneficio. 23.
prudentia quid. 70. futurorum. 229. in quibus locata. 157. quot in ea inſint. 9. utilis, & vera quænam. 90. ſine juſtitia nil valet ad faciendam fidem. *ibid.* prudentiſſimus quis. 9.
Ptolemæus Ægypti rex. 117.
publica ſumere. 308.
publicare bona civium. 87.
pueritiæ certa ſtudia. 227.
Pſeudolus. 213.
pulchritudo corporis. 45. movet oculos. *ibid.* à valetudine ſecerni nequit. 44. pulchritudinis duo genera. 39.
pulſus in exilium. 257.
Punicum bellum. 291.
puniri aliquem. 40.
putare pro nihilo. 33. non putaram. 36.
putidum. 60.
Pylades. 248.
Pyrrho. 4.
Pyrrhus Epiri rex. 21.
Pythagoras. 27.
Pythagoreorum mos. 207.
Pythius. 150.

Q.

quærere rem honeſte. 308.
quæſito opus eſſe. *ibid.*
quæſtione nova perterritus. 255.
quæſtiones ab Hecatone tractatæ. 167.
quæſtus qui liberales, qui ſordidi. 68.

quanto ſuperiores ſumus, tanto nos geramus ſubmiſſius. 41.
quietum diſputandi genus. 3.
quincunx. directi in quincuncem ordines. 219.
Quirinus. 143.
quoquo te verteris. 247.
quotus quiſque reperietur &c. 158.

R.

rapacius. 261.
rapere hominem huc, & illuc. 46. ad ſe utilitatem. 134. rapi ad aliquid. 93.
rapinæ largitionem ſequuntur. 101.
rara omnia præclara. 274.
ratio vinculum ſocietatis eſt. 24. præſit, appetitus obtemperet. 46. ratione longiſſime abſumus à feris. 24. rationis gyrus. 42. ratio poſtulat, ne quid inſidioſe, &c. 156. ratio ſordidiſſima, & inquinatiſſima. 84. ſtabilis, & firma. 31. domeſtica, bellica. 35. recondita. 44.
ratiocinatores officiorum. 28.
ratum eſſe. 175.
reapſe. 259.
recedere à natura. 59. ab officio. 131. à repub. 33. à ſceleratiore haſta. 88. receſſit nomen à peregrino. 19.
recipere ſe à cœtu. 123. ſe in concilium. 141. civitatem in fidem. 18. aliquem ſeſſum. 221. Tarentum. 191. ut me recepi. 319. recepit ſe ad diem. 144.
recondita ratio. 44.
recoquere aliquem. 231.
recta vitæ via. 53.
reddere depoſitum. 16. cauſam probabilem. 46. pecuniam. 110.
redhibeatur mancipium. 169.
redigere aliquem in poteſtatem. 162.
redire in memoriam mortuorum. 197. in gratiam. 218.
redundare. redundabit aliquid ex meo tenui veſtigali. 311. ad amicos redundet infamia. 272.
referre gratiam officium maxime neceſſarium. 23. referre, & habere, gratiam, & pecuniam. 110. hoc opus in acceptum ut referas. 288. referri ad &c. 16.
refici. ante, quam ex tuis poſſeſſionibus tibi tantum reficiatur, ut &c. 308.
reflavit fortuna. 83.
refrigerari umbris, aquiſve. 218.
regnare inutile ei, qui id injuſte conſecutus eſt. 164. ſi violandum eſt jus, regnandi cauſa violandum eſt. 163.
regnum à Tantalo, & Pelope proditum. 171. regni nulla ſocietas, nec fides eſt. 14. regno iniqui, atque infideles multi. 165.
regula utilitatis, honeſtatis. 159.
Regulus. 173.
relaxare animos. 56. ſe corporis vinculis. 230.
relegare aliquem ab hominibus. 181.
religio anteponenda amicitiæ. 144.
relinquere obedientiam. 46.
reliqui ſumma. 28. reliquiæ conjurationis. 298.
remanere in exercitu. 19. remanſit nomen in eo. *ibid.*
remiſſo animo. 47.
removere ſe à negotiis. 32. aliquid ab oculis. 57. remotus à juſtitia. 29.
remuneratio benevolentiæ. 260.
repaſtinationes. 216.
repellere humanitatem. 29. contumeliam. 62. iracundiam. *ibid.* injuriam. 159. criminationes ab aliquo allatas. 268.
repentinus motus. 14.
repetendum altius. 24.
repetita memoria juris, & æquitatis. 298.
reprimere ferocitatem alicujus. 94.
repudiare rem. 146. munuſculum. 158. pacem Samnitium. 179.
repueraſcere ex ætate quadam. 231.
requies curarum. 76. requieſcere à reip. muneribus. 123.
res familiaris bene parata ſit. 42. quibus rebus quærenda. 120. eam dilabi ſinere flagitioſum eſt. 107. res proſperæ, & ad voluntatem noſtram fluentes. 41. urbanæ majores, quam bellicæ. 34. ſecundiſſimæ. 42. adverſas, & ſecundas immoderate ferre, levitatis eſt. 41. res nummaria. 162.
referare rem familiarem. 101.
reſiſtere angoribus. 73.
reſpirare. 293.
reſpondere benevolentiæ amicorum erga nos. 263. reſponſa acute. 237.
reſpublica. reip. præfuturi duo Platonis præcepta teneant. 38. legum ſimiles ſint. 41. ab iis res maximæ geruntur. 42. iis majores animi motus concitantur. 34. reip. cauſa adhibenda ſeveritas. 40. reip. procuratio quomodo gerenda. 112. remp. capeſſere quinam debeant. 34. reip. corpus. 38. rerump. origo. 26. fundamenta. 115. cum rep. unicuique cariſſima ſocietas

tis eſt. 27. de repub. Ciceronis libri. 105.
reſtituere rem. 388.
reſtrictus. 106.
reticentiæ pœna conſtituta eſt. 154.
retinere modum. 46. gravitatem. 62. ſummos cum infimis pari jure. 94. aliquid in poſſeſſione ſua. 108. officium. 176. honeſtatem. 183. nec eum retinuit caritas patriæ, nec ſuorum. 173. retineri à ratione. 46. à propinquis. 20.
reverentia adverſus homines adhibenda. 45.
revocare rationem ad veritatem. 164. modum villarum ad mediocritatem. 64. revocavit me patria de medio curſu. 185. revocetur oratio ad &c. 61. revocari ad carceres à calce. 231.
rex, reges bene morati. 94.
rhetorum campus. 29. turba referta omnia. 60.
Rhodus. 147.
robuſtus animus. 31.
Romanus pop. animi magnitudine excellit. 29. præclariſſimum factum putavit occidere tyrannum. 130.
Romulus. 143.
roſtra. in roſtra deſcendere. 162.
rudis Græcarum literarum. 2.
Rupilius. 52.
ruſtici Romani. 198. ruſticationes communes. 284.
Rutilius P. 97.
rutilus fulgor Martius. 319.

S.

ſacra Idæa. 211.
ſacramento militiæ obligare. 19.
ſacratæ. 180.
Saguntini. 296.
Salamis. 34.
Salinator C. 190.
Salmaci, da ſpolia &c. 29.
ſaltare in foro. 160.
Samnites. 217.
ſanciatur lex. 256. ſanciri lege, aut jure civili. 156. execrationibus publicis ſanctum eſt. 149.
ſanctam ſervare ſocietatem. 14.
ſanguinis conjunctio. 26.
ſapiens quis non. 129. ſi hominem videre non poſſit, excedat è vita. 70. ſi fame conficiatur, utrum cibum alteri inutili abſtuleris? 135. ſi Gygis annulum haberet, nihilo plus peccet. 141. ſapientis eſt, nihil contra mores &c. facientem, habere rationem rei familiaris. 153. nequicquam ſapit, qui ſibi ipſi prodeſſe nequit. *ibid.* qui ſapientes, iidem boni. *ibid.*
ſapientia princeps omnium virtutum. 70. quid ſit. 76. nihil ea optabilius &c. *ibid.* ejus ſtudium laudatur. *ibid.*
Sardi. 98.
ſatiatus quæſtu. 69.
ſatietas ſtudiorum, vitæ. 227.
ſatis, ſuperque eſſe ſibi ſuarum cuique rerum. 258.
ſatisfacere ſeriis rebus. 47.
Satrius M. 159.
Saturnia ſtella. 319.
Scævola Q. 153.
ſcalmus. 151.
ſcandere malos. 196.
Scaurus M. 35.
ſcelus. 296.
ſcenici ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt. 51. in ſcenam ſine fabulæ baculo non prodeunt. 58.
ſcientia ſine juſtitia calliditas appellanda eſt. 29. ad ſcientiæ cupiditatem omnes trahimur. 10. in ea quærenda duo vitia vitanda. *ibid.*
ſcio. ſciverunt Athenienſes, ut &c. 145.
Scipionis P. dictum. 122. Scipiones duo. 128.
ſcribere aliquem hæredem. 170.
ſecerni à valetudine. 44. poteſt blandus amicus à vero. 279.
ſecum eſſe, ſecumque vivere. 213.
ſecundis rebus maxime utendum eſt amicorum conſilio. 42.
ſecundum Deos. 79. naturam. 127.
ſecuritas ſpecie blanda. 259.
ſedare calorum moleſtias. 79. ſedatio perturbationum. 43.
ſeditiones unde oriantur. 39.
ſejungere utilitatem à dignitate. 166. utilitatem ab honeſtate. 174.
Seius M. 104.
ſemen bellorum civilium. 88. ſeminarium reip. 26.
ſenatus regum perfugium, & portus. 87. ſenatores. 217. in ſenatum arceſſi, *ibid.* ſenato dimiſſo. 241.
ſenecta. in ſenecta hoc deputo miſerrimum. 199.
ſenectus peractio ætatis eſt. 233. natura loquacior. 217. iners, ignava, ſomniculoſa. 206. operoſa. 200. fundamentis adoleſcentiæ conſtituta. 220. aufert viriditatem. 241. ſenectutis arma aptiſſima. 191. fructus. 225. ſenectuti magnam

magnam gratiam habere. 212. tribuere multum. 67. ſenem mature fieri. 203. ſenes ſtudiis flagrantes. 214. comici ſtulti &c. 205. moroſi, anxii, iracundi, difficiles, avari. 222. ſapientes. 199. ſenibus vitam aufert maturitas. 225. ſenilis avaritia. 223.
ſenſu amiſſo. 242.
ſentiri adſpectu. 8.
ſepulcra legens. 197.
ſequi rectam vitæ viam. 53. mores hominum, non fortunam. 119. naturam ducem. 46.
ſerere Diis immortalibus. 199.
Sergius C. 155.
Seriphius. 191.
ſermo ubi locum habeat. 60. qualis eſſe debeat. 61. adhibetur in poculis. 212. quietus, remiſſus, decorus. 201. communis. 61. ſermone uti. 50. ſermonibus vulgi ſe dare. 324. ſermonis comitas, affabilitaſque. 97. ſermones quibus de rebus plerumque habeantur. 61.
ſerpit res. 257. per omnium vitas amicitia. 276.
ſervare æquitatem. 30. ſocietatem ſanctam. 14. officia. 18. leges, inſtituta. 35. id, quod deceat. 44. præſcripta. 43. conſtantiam. 57. promiſſa. 169. amicitiam. 249. memoriam alicujus pie. 230.
Servilius Ahala C. 217.
ſervire utilitati communi. 16. perſonæ. 177. ſuæ utilitati. 143. ſerviebant ædes Sergio. 155.
ſervorum conditio infima. 21. quomodo eis utendum. *ibid.* ſervus ineptiarum. 304. nequiſſimus. 303. ſervi atrienſes. *ibid.* ſervitus quid. 302.
ſeveritas quomodo adhibenda. 40.
ſicarii. 158.
Sicyon. 117.
ſignificatio virtutis. 23. magna ſignificatio fit. 59.
Silanus. 103.
ſilveſcere ſarmentis. 215.
ſimilitudo morum ſocietatem firmat. 26.
Simonides. 198.
ſimplex, & apertus. 49.
ſimulacra virtutis. 23.
ſimulare aliud, aliud agere. 151. ſimulatio, diſſimulatioque ex omni vita tollenda eſt. 152. ſimulatio intelligentiæ in malitia vitæ maxima pernicies. 158. ſimulatio bonitatis in malitia maxime capitalis injuſtitia. 21. ſimulatio liberalitatis vanitati conjuncta eſt. 23. ſimulatum nihil diuturnum. 95.
ſingulorum copiæ divitiæ civitatis ſunt. 153.
ſita in caſu. 52.
ſitis cupiditatis. 289.
ſobrinorum conjunctiones. 26.
ſocietas omnium inter omnes. 25. humana diſrumpetur, ſi quiſque propter ſuum emolumentum violet alterum. 131. quomodo ſervari optime poſſit. 24. ratio, qua continetur. 11. ſocietatis plures gradus. 26. a Diis inter homines conſtituta. 134. graviſſima eſt cum repub. 27. ejus principia. 24. vinculum. *ibid.* in ſocietate hominum tuenda verſatur honeſtum. 9. ejus partes duæ ſunt. 11. officium ad eam tuendam valens anteponendum cognitioni. 72. maxime ſecundum naturam eſt. 131. ſociati cœtus hominum. 317.
Socrates. 41. Socratici. 2.
ſodalitates conſtitutæ. 211.
Sol nil vidit indignius. 88. ſolem adverſum intueri. 321. e mundo tollere. 259.
ſola marmorea faciens. 310.
ſolertia quæ fugienda. 17.
ſolida effigies juſtitiæ. 156.
ſolitaria virtus. 275. ſolitarius homo. 93.
ſolitudo languorem affert. 123. tanquam portus eſt. *ibid.* ſolitudinem fugere. 72. in ſolitudine vivere. 133.
ſolivaga cognitio. 72.
ſollicitam habere ætatem. 223.
Solon. 34.
ſolvere Alexandria. 147. ſolvendo eſſe. 116. ſolutio rerum creditarum. 119.
ſolutus jurejurando. 21.
ſomnus. in ſomno parere aliquid. 314.
ſonare unum. 164.
ſonitus mundi. 321. ſonus dulcis. 320. intervallis conjunctus imparibus. *ibid.* moveri ſono acuto, excitato, graviſſimo. *ibid.*
σοφία. 70.
Sophocles poëta. 65.
ſorte victus. 163.
Sparta avaritia peritura. 115.
Spartacus. 299.
ſpecies utilitatis pepulit animum. 142.
ſpecies utilitatis falſa. 179. ſpecie utilitatis peccatur. 145.
ſpectare ad vitæ inſtitutionem. 5. ad opes. 13. in aliquem. 27. ad perniciem patriæ. 168. alte. 324. magna. 96. ſpectatus igni. 93. ſpectandi ſunt mores. 23. non id ſpectandum

dum &c. 184.
ſpes ampliſcandæ fortunæ. 264. ſpem auferre ineundi. 126.
ſpici frugem fundere. 215.
ſplendidiſſima ingenia. 14.
ſpoliare alterum. 231. ſe patrimonio. 107. aliquem veſtitu. 135. fama. 160.
ſponſionem facere. 160.
ſtabile nihil, quod infidum. 267. ſtabilitas amicitiæ. 274.
ſtadium currere. 143.
ſtare promiſſis. 17. conventis. 165. ſuo judicio. 172. ſtans reſp. 124.
ſtatua. 199.
ſtatuæ armati ſese militari ſunt. 29. in omnibus vitiis Mario. 162.
ſtatuere voluptatem ſummum bonum. 4.
ſtatus dies cum hoſte. 19.
ſtellarum globi. 318.
ſtercorandi utilitas. 216. facere aliquem ſtercorantem. *ibid.*
Stoïchorum. 198.
ſtigmatias. 86.
ſtipatores. 86 ſtipata ſenectus ſtudiis juventutis. 201.
Stoïci. 4. Stoïcorum fontes. 3.
ſtomachari Canitio. 171.
ſtudere alicui rei. 60. ſtudet ſe gratum videri. 220.
ſtudia hominum quomodo ad noſtras utilitates alliceve poſſimus. 83. ſtudia noſtra naturæ regula metiamur. 50. doctrinæ. 214. ſtudiorum omnium ſatietas. 227. ſtudioſi venandi, pilæ. 271.
ſuadæ medulla. 214.
ſuaſor conditionis. 179.
ſuavitas ſermonum, morum. 268. odorum. 219.
ſubacta humus. 219. ſubacto gremio ſemen excipere. 214.
ſubducere claſſem. 146.
ſubeſſe cauſas oportet eaſdem. 19.
ſubjicere ſe imperio alterius. 84. bona civium voci prætonis. 118. ſubjecta teſtamenta. 309.
ſubire nomina virtiorum. 150. incommoda. 135. cruciatum voluntarium. 176.
ſubligaculum. 58.
ſubterfugere militiam. 172.
ſubtilitas. 91.
ſubvenire tempeſtati. 37. patriæ. 70. ægris. 80. ei, qui potentis opibus urgetur. 99. neceſſitati. 103. ſubveniri tecta. 80.
ſuccidia. 218.
ſuccumbere homini, fortunæ &c. 31.
ſuffragari alicui ad conſulatum. 63.
Sulpicius C. 10. Sulpicius P. 235.
ſumere ſibi otium. 127. publica. 308.
ſummam fatalem contingere. 316.
ſummiſſius ſe gerere. 41.
ſummittere ſe in amicitia. 270.
ſummum jus, ſumma injuria. 17. ſummum bonum. 4.
ſumptus ædilitatis. 105. ſuppeditare neceſſarios, liberales. 95.
ſunt iſta. 237.
ſuperare ſpem virtute. 240.
ſuperbia in rebus proſperis fugienda. 41.
Superbus. 290.
ſuperciliorum remiſſio, contractio. 66.
ſupereſſe amicorum, & reip. temporibus. 76.
ſuperior vi. 30. quanto ſuperiores ſtimus, tanto nos geramus ſummiſſius. 41.
ſupervacaneum opus. 218.
ſupplantare aliquem. 143.
ſupponere teſtamenta amicorum. 307.
ſupremum tempus. 224.
ſuſcipere inimicitias, laborem, ſumptus. 15. nimias celeritates. 59. æs alienum. 102. onus grave. 124. cauſam. 180.
ſuſpicere aliquem. 91. nihil altum. 251. in cœlum. 313.
ſuſtinere expectationem non parvam. 124. dignitatem, & decus civitatis. 56. onus. 188. ſe ſuis viribus. 311. currum, impetum benevolentiæ. 266.
ſuum quiſque noſcat ingenium. 51. ſuæ utilitati quatenus ſervire liceat. 143. ſua cuique tenenda. 50. ſuum cuique incommodum ferendum. 136.
Sylla. 22. Sylvani temporis meſſis. 309.
ſympoſium Xenophontis. 212.
Synephebi. 199.

T.

tabulæ novæ. 118.
talarius ludus. 69. talos ſenibus relinquere. 218.
talem eſſe, qualis haberi velles. 95.
Tantalus. 165.
tanti eſſe. 163.
tardior ad injuriam. 18. tarditates in greſſu molliores. 59.
Tarentum. 192.
Tarquinius Collatinus. 142.
Tarquinius Superbus. 250.
Tarteſſiorum rex. 224.

tectis marmoreis abundare. 291.
tegenda improborum consensio excussatione amicitiæ. 238.
telum mediocre ad res gerendas. 268.
temeritate quadam facere multa. 24.
temeritas à sapientia dissidet plurimum. 77.
temperans acuta cum gravibus. 320.
temperantia vitæ ornatus. 43. libidinum inimica. 184. temperantiæ genus orationis. 3.
tempestatem adversam in tranquillo optare. 37. tempestati subvenire. *ibid.*
tempestivis conviviis delectari. 211.
tempus actionis opportunum. 65. temporis magna vis. *ibid.* inscientia. *ibid.* tempore venit. 150. magnum aliquod tempus reip. 170. temporibus gubernari. 52.
tendere plagas. 156.
tenere provinciam. 19. præcepta. 38. mediocritatem. 41. modum voluptatis fruendæ. 48. populum concionibus. 55. constantiam. 54. decorum. 58. animos attentos ad. 59. hominum studia. 82. aliena. 118. tenere astutias manu; ratione, & intelligentia. 156. tenebantur omnia dominatu unius. 75. multa hæreditatibus. 117. tenebatur imperium beneficiis. 87. teneri mercede. 84. jurejurando hostium. 173. teneri non possunt famuli. 85.
tentare rem agrariam. 115. tentatur res pecunia. 84. armis. 119.
Terentius. 68. Terentianus Chremes. 16.
tergiversari. 184.
terminare fines. 17. bona voluptate, mala dolore. 184.
Terra immobilis. 320. terram incolere, cernere. 321. videre. 225.
testamentarii. 158.
testamentum falsum. 158.
testis locuples. 126.
Thebe, Alexandri Pheræi uxor. 86.
Themistocles. 35.
Theophrastus. 3.
Theopompus historicus. 93.
Thermopylæ. 203.
Theseus. 36.
Thrasea. 288.
Thraciæ notæ. 86.
timefacta libertas. 85.
timidi periculi fuga. 37.
Timon. 276.
Timotheus, Cononis filius. 56.
Tithonus. 188.
titillare levitatem multitudinis voluptate. 107.
togæ cedant arma. 35. togæ dignitatis. 108.
tolerare laborem. 36. tolerabilia. 285. tolerantia rerum humanarum. 297.
tollere hominem ex homine. 113. civitatem funditus. 18. bellum, adversarium. 166. clamores. 304. tolli in currum. 170.
tormenti quædam adhibemus. 142.
torquentur ora. 59.
tortuosum ingenium. 268.
tractare. cum tractaretur Atreus. 177.
tradere se totum reip. 39. se Cæsari. 51. se totos voluptatibus. 276. aliquid memoriæ. 317. bellum facile relinquis. 94. Ajax traditur, malle &c. 51. traditur hæreditas liberis. 55.
traducenda est opinio ad eam spem. 78. traducere ad de proximi membri valetudinem. 132. otiosam ætatem. 231.
tranquillitas. 32. tranquillum. 37.
transferre similitudinem ab oculis ad animum. 8. copias suas ad alienos. 22. translatio pecuniæ à justis dominis ad alienos. *ibid.*
transcendere Caucasum. 322.
transire finem, & modum. 46.
transnatare Gangem. 322.
tribuere suum cuique. 9. aliquid voluptati. 48. multum temporis philosophiæ. 76. munus reip. 98. tributum est à natura. 7. tribuit hoc mihi. 36. tributum ne sit conferendum. 113.
tristitia. 268.
tritum sermone proverbium. 17. vetustate proverbium. 161.
Troëzene. 146.
Troja. 203.
Truculentus. 213.
Tubero Q. 254.
Tuditanus. 192.
turpe quod est, honestum fieri nullo modo potest. 161.
turpificatus animus. 176.
Turpio Ambivius. 213.
turpitudo maxime contra naturam est. 139. maximum malum est. 176. turpitudinis pœna acerbissima. 140.
tutela quomodo gerenda. 59.
tyrannorum omne genus exterminandum. 136. nulla Romanis societas cum tyrannis. 137. tyrannum occidere sceleſtum non est judicio populi Rom. 130.
tyro. 19.

V.

vacare injustitia. 15. temeritate, & negligentia. 46. offensione. 59. vacandum

dum eſt omni perturbatione. 32.
vacui negotiis, cuiſque. 8. vacuitas ab angoribus. 32.
vadimonia conſtituta. 197.
vagari errore. 772.
vagire in cunis. 291.
valeo. valet ad incolumitatem. 85. verbum quid valeat, non videnc. 142. valeat honeſtas. 144. valebant claſſe. 145.
Valerius Corvus M. 220.
valetudinis curatio. 120. quomodo ſuſtentetur. *ibid.*
vallo ariſtarum muniri. 215.
vanitate nihil turpius. 68. vanitas orationis. 150.
varietates animorum, & corporum. 49.
vectigales habere ſocios. 147. vectigal magnum. 310.
venandi ſtudioſi. 271.
venditatio. 275.
venditor. 149.
venenum amicitiæ. 277.
venire advocatus cuipiam in rem præſentem. 17. in contentionem. 111. in poſſeſſionem. 61. in proverbii conſuetudinem. 101. in mentem alicui. 103.
Venus Coa ab Apelle inchoata. 126.
venuſtas muliebris eſt. 59.
ver. 124.
verborum gravitas actior. 62.
verecundia retinenda eſt. 59. verecundiæ partes ſunt, non offendere. 45.
vereri majores natu. i. e. revereri. 55.
veritas prudentiæ ſubjecta eſt, tanquam materia, quam tractet. 10. moleſta. 277. veritati clauſæ aures. 278. verum naturæ hominis aptiſſimum. 8. veri inquiſitio hominis propria. *ibid.* veri ſtudio à rebus gerundis abduci contra officium eſt. 11.
verſari in veri inveſtigatione. 11. in conſiliis capiendis. *ibid.* in acie. 37. erroribus. 47. in honeſtate. 44. in ſordida arte. 68. in clariſſima luce. 96. in hominum ignoratione. *ibid.* verſatur mihi ante oculos. 284.
vertere. vertit ad extremum omnia. 38. vertitur in ſeipſa cogitatio. 71. in tribus virtus. 82. quoquo te verteris. 247. vertens annus. 323. verſutus. 150.
vertices cœli. 322.
Veſeris fluvius. 181.
veſtita pampinis uva. 216.
veſtitus ratio. 59.
veterator. 182.
Veturius L. 179.
vetuſtatis vis. 269. veteli æqui. *ibid.* vetuſtatem ferre. *ibid.* veterrima quæque ſuaviſſima. *ibid.*
vexatis exteris nationibus. 88.
via ad gloriam compendiaria. 95. viæ duæ, una voluptatis, altera virtutis. 53. via vivendi. *ibid.*
viatores unde nominati. 217.
vicinus adjuvandus in fructibus percipiendis citius, quam frater. 28.
viciſſitudo non iniqua in ſermone. 61. ſtudiorum, officiorum. 269.
victus ad valetudinem referatur. 48.
videri tales eſſe, quales ſumus. 95.
vietum. 189.
vigent conſilia in amicitiis. 27. vigeat induſtria. 56.
vigilare pro re alterius. 109.
vincat utilitas. 167. victis conſulendum eſt. 18. vinci naturæ bonitate. 4. à voluptate. 32. te inſanum rebus vincam neceſſariis. 297.
vincula virorum. 304. vincla civitatis. 298.
vindicare conatus. 50. ſeneſtutem. 26. 217. vindicari in libertatem. 305.
vinum fugiens. 168.
violare jus humanæ ſocietatis. 12. alterum. 133. jusjurandum, fidem. 176. violatur æquitas. 162. id, quod violatum eſt, compenſandum. 109.
virago. 29.
Virginius A. 284.
virgula divina. 72.
Viriatus Luſitanus. 93.
viris, equiſque decertandum eſt. 183.
viriliter. 44. viritim. 193.
virtus. virtutis laus in actione conſiſtit. 11. virtus omnis nos ad ſe allicit. 26. virtutis primum eſt, conciliare animos hominum. 82. in tribus rebus fere vertitur. *ibid.* virtutis diſciplina. 77. ſplendor, & pulchritudo. 92. indoles. 128. virtutes leniores. 23. ex quibus conſtatur honeſtum. 91. quæ pertinent ad verecundiam. 65. quæ ad manſuetudinem morum, & facilitatem. 90. virtutis famulatus voluptati ſervientis miſer. 183. virtutum chorus. *ibid.* virtutem ideo laudandam putarunt Annicerii, quod ea efficiens eſſet voluptatis. *ibid.*
virus acerbitatis ſuæ apud aliquem evomere. 276.
vis dicendi. 2. vis ſorti adhiberi nequit. 179. vim lacrymarum profundere. 317. virium moderatio. 204. viribus vincere. 263.

Viſcellinus. 254.
viſcerationes. 101.
vitæ curſus. 7. præſidia debentur parentibus. 27. ratio. 284. vita inculta, deſerta ab amicis. 263. vitalis. 246. ex vita diſcedere. 232. in vita omnia ſint inter ſe apta, & convenientia. 65.
vitia vitare. 10. in vitio eſſe. 13.
vitis caduca. 215. vitium ſatus, ortus, incrementa. *ibid.*
vivere in celebritate, in oculis civium. 123. animoſe, graviter *&c.* 43. vitam. 228. cum aliquo conjunctiſſime. 235. vivitur cum. 23. victurus ad veſperum. 223. vivendi finis optimus. 226.
viviradices. 215.
ulciſcendi modus. 18.
Ulyſſes. 51.
umbra juſtitiæ uti. 156.
unguentarii. 68.
unus de multis. 49.
vocare aliquem in odium *&c.* criminibus falſis. 39. aliquem in judicium. 98. exiliter ad calculos amicitiam. 264. vocari in diſcrimen de vita *&c.* 38.
Voconia lex. 195.
voluptas corporis non ſatis digna hominis præſtantia. 48. ejus appetitum occultant homines propter verecundiam. *ibid.* ejus fruendæ modus tenendus. *ibid.* voluptas omnis honeſtati contraria. 184. condimenti nonnihil, utilitatis nihil habet. 185. eam cum honeſtate, tanquam cum homine pecudem, copularunt Callipho, & Dinomachus. *ibid.* voluptas eſca malorum. 210. voluptatis regnum. 208. ad voluptatem omnia referre. 251. voluptati ſervient. 183. voluptates blandiſſimæ dominæ. 92. agricolarum. 214.
vox clara, & ſuavis eſſe debet. 60. nec languens, nec canora. *ibid.* orationis index eſt. *ibid.* magnifica. 122. amicitiæ inimicior. 264. contemptior. 200. nefaria. 254.
urbes nec ædificari, nec frequentari poſſunt ſine hominum cœtu. 80. de urbibus everſendis valde conſiderandum eſt. 37. urbanæ res. 34.
urere. ad urendum venire. 62.
urgere jus. 156. urgeri potentis alicujus opibus. 99. urgens ſenectus. 187.
uſura reddere. 214.
uſurpare alicujus memoriam cum caritate benevola. 250. uſurpatur ſapiens. 93.
uſus. 28. ſummis populi beneficiis uſus. 304.
utcunque aderunt res. 61.
uti ſuo judicio. 2. liberalitate. 22. accuſatione adverſus aliquem. 109. alicujus patrocinio. 110. quæ utenda acceperis, majore menſura reddere jubet Heſiodus. 23. de utenda pecunia. 121.
utile nihil, quod non honeſtum, & juſtum. 178. nihil, quod turpe. 162. nunquam utile eſt peccare. 154. ſemper eſt, virum bonum eſſe. *ibid.* utilitas ad ſe rapit. 6. cum honeſtate contendere nunquam poteſt. 126. eadem ſit uniuſcujuſque, & univerſorum. 134. nonnunquam videtur repugnare honeſtati. 147. honeſtate dirigenda eſt. 164. utilitatis ſpecie peccatur. 145. utilitatem ab honeſtate ſejungentes fundamenta naturæ pervertunt. 174. utilitate magis, quam humanitate, officium dirigi putat Hecato. 167. utilitates noſtræ nobis omittendæ non ſunt. 143.
uva oriens. 216.

X.

Xantippus Lacedæmonius. 173.
Xenocrates ſeveriſſimus philoſophorum. 50.
Xenophon Socraticus. 120.
Xerxes. 146.

Z.

Zeno. 139.

Nomina

NOMINA Eorum, Quorum Obſervationes, & Notæ hac Editione exhibentur.

A.

Accius.
Æſchines.
Afranius.
Ambroſius.
Anacharſis.
Anacreon.
Anaxagoras.
Anonymus.
Antoninus.
Appianus.
Appius Poëta.
Apuleius.
Ariſtides.
Ariſtoteles.
Aſconius Pedianus.

B.

Baldninus.
Barnefius.
Bentleius.
Boëtius.

C.

Cæcilius.
Cælius Aurelius.
Cælius Calcagninus.
Cæſar.
Canterus.
Caſaubonus Iſ.
Catullus.
Celſus Jureconſultus.
Celſus Medicus.
Cenſorinus.
Cicero.
Claudianus.
Claudius Quadrigarius.
Columella.
Commentator Vetus.
Copernicus.
Cornelius Nepos.
Cornificius.

D.

Demoſthenes.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laërtius.
Donatus.

E.

Empedocles.
Ennius.
Epicharmus.
Epictetus.
Eraſmus.
Euripides.

F.

Fabius.
Fabritius.
Feſtus Pompeius.
Florus.

G.

Gaſſendus.
Gellius.
Giſanius.
Gorgias.
Gravius.
Gregorius Nazianzenus.
Gronovius.
Grotius.
Gruterus.
Guilielmius.
Guntherus Ligurinus.

H.

Harduinus.
Herodotus.
Heſiodus.
Hieronymus Rhodius.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.

I.

Iſocrates.
Julianus Apoſtata.
Juſtinianus Imperator.
Juſtinus.
Juvenalis.

L.

Lactantius.
Lambinus.
Langius.
Latomus.
Lipſius.
Livius Andronicus.
Livius T.
Lucanus.
Lucianus.
Lucilius.
Lucretius.
Lyſias.

M.

M.

Macrobius.
Majoragius M. Ant.
Manutius Aldus.
Manutius Paulus.
Martialis.
Martianus Capella.
Maturantius.
Menander.
Meurſius.
Minucius Felix.
Muretus.

N.

Nævius.
Nonius Marcellus.

O.

Ovidius.

P.

Pacuvius.
Paſſeratius.
Paterculus.
Paulus Jure-conſultus.
Perſius.
Phædrus.
Plato.
Plautus.
Plinius Junior.
Plinius Senior.
Plutarchus.
Polybius.
Priſcianus.
Prodicus.
Puſendorfius.
Pythagoras.

Q.

Quintilianus.

R.

Rachelius.
Ramus.
Rogerius.
Rutilius Lupus.

S.

Salmaſius.
Saluſtius.
Sappho.
Seneca Philoſophus.
Seneca Poëta.
Servius.
Silius Italicus.
Simonides.
Solon.
Soſipater.
Staſeas.
Statius.
Stephanus Hen.
Strabo.
Suetonius.
Suffridus Petrus.
Sylvius.
Syrus P. Mimus.

T.

Tacitus.
Terentius.
Tertullianus.
Themiſtius.
Theophraſtus.
Thucydides.
Turnebus.

V.

Valerius Maximus.
Valla Laurentius.
Varro.
Vavaſſor.
Vegetius.
Verrius.
Vinetus.
Virgilius.
Voſſius Ger.
Voſſius Iſ.
Urſinus.

W.

Wolfius.

X.

Xenophon.

FINIS.

FINIS